







1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

Mosheim, Johann Lorenz

IO. LAVRENTII MOSHEMII

# HISTORIA TARTARORVM ECCLESIASTICA.




ADIECTA EST

TARTARIAE ASIATICAE

SECVNDVM RECENTIORES GEOGRAPHOS

IN MAPPA DELINEATIO.

---

HELMSTADI,

APVD FRIDERICVM CHRISTIANVM WEYGAND.

M DCC XXXXI.





## BIBLIOPOLA LECTORI, s.




VIR ſumme Venerabilis, cuius nomen ſtatim tibi librum hunc, cuius in fronte poſitum eſt, commendavit, cum multis eſſet aliis negotiis impeditus, cuidam ex auditoribus ſuis, qui prae ceteris id praeſtare poſſe videbatur, ut totum hoc argumentum ſedulo pertractaret, Auctor exſtitit. Fuit is

*Hermannus Christianus Paulsen, Glukstadio-Holsatus*, Iuvenis doctissimus, quem et Ipse semper dilexit, et quilibet ingeniorum ac doctrinae aestimatores elogio dignum iudicabunt. Hic ita versatus in tradito sibi negotio est, Duce praesertim et facem praeferente MOSHEMIO, qui et materiam ipsi omnem suggessit et librorum fecit copiam, ipsum quoque scripturae genus multis in locis mollius fecit et exquisitius, ut non illustri solum Iuliae opus suum ipse, cum Dissertationis loco illud defenderet, insigniter commendaret, verum nos quoque veriti haud simus magnum nomen libro huic praefigere, qui, si minus alias ob causas, idcirco saltem honorem hunc poscere videbatur, quod a potiori, ut aiunt, fit denominatio.



MARE

IAPONICVM

Hæc Insula Russiæ tributum non solvit.

KAMTSCHATKA

MARE

Anadirskoy

Populi feroces

Volcan

Aquæ tepidæ

Amur Fl.

Mergeen

Naun


I. Formosa

Cancri.

55 50 45 40 20

155 160 165 170

130 135 140 145 150





## CAPVT I.

# FATA REI CHRISTIANAE IN TARTARIA ANTE ZINGISCHANVM.

§. I.



N fata rei Christianae inter Tartaros inquirentibus nobis pauca de ipsius vocis *Tartarorum* ratione et vsu praemonenda sunt. Hodie quidem *Tartarorum*, seu vti ab aliis vocantur, *Tatarorum* nomen iusto ampliorem potestatem habet. Proprie illud vnam tantum tribum significat siue vnam gentem ex multis illis, quae nunc eo nomine insigniuntur, quae (a) quidem tribus partim in ora fluminis Ianiseae (b), partim Chata- *Tartari qui?*



(a) ABVLGASI *Histoire Genealogique des Tatars P. II. C. IX. pag. 103. s. Lugd. 1726. 8.*

(b) Ita magnus ille fluuius a Ruthenis vocatur, qui circa gradum 45. latitudinis oriens, clarissima vnda manans, in mare, quod glaciale vocant, influit.

iam (c) verſus habitauit. Tradunt nimirum Tartari, (d) IAPHETEM filium reliquiſſe nomine TVRK, cui principatum et imperium in fratres tradiderit, et ab hoc vniuerſam gentem ſuam deſcendere. Et hinc eſt, quod omnes et olim *Turcae* vocati ſunt, eoque nomine ad hodiernum vsque diem a reliquis populis ſeſe diſtinguere ſolent. Inter TVRKI poſteros ALANZA Chan (e), ſi fides Tartarorum ſcriptoribus eſt habenda, duos reliquit filios TATAR et MVNGL, duarum illarum celebrium tribuum conditores, quae ſub *Tartarorum* et *Mungalorum* ſeu *Mongalorum* nomine notae ſunt. Hodie vero notio nominis Tartarorum multo patet latius: nos enim eo omnes illos populos deſignamus, qui a Graecis Scythae olim vocati ſunt. Qua ratione factum ſit, vt nomen Tartarorum, quod vni tribui proprium eſt, ad totam Turcorum gentem translatum fuerit, parum liquet. PETR. BIZARVS (f) inde id eueniſſe coniicit, quia ZINGIS-CHANVS, qui vniuerſam fere Scythiam ſibi ſubiecit, ex tribu Tartarorum fuit. Alii (g) id Neſtorianis eſſe tribuendum ſuſpican-

(c) De regionis CHATAIAE ſ. KITAY ſitu, valde olim diſputarunt eruditi. Alii eam extra Chinam quaeſiuerunt, vid. ANDR. MVLLERI *Diſquiſit. de Chataia Berol.* 1671. 4. alii eam pro parte Chinae boreali habuerunt. Recte hos iudicaſſe probauit NIC. TRIGAVTIVS *de christiana expeditione apud Sinas L. IV. C. III. p. 338. ſ.* conf. HERBELOT *Biblioth. Orient. Supplem. p. 995. voce Khotan.* IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. Clem. Vat. T. III. P. II. C. IX. §. VI. p. DIV. ſ.* vbi oſtendit, Chinam diſtinctam fuiſſe in Chinam borealem et meridionalem, illam *Chataiam*, hanc vero *Mangi* ſiue *Maſinam* eſſe vocatam.

(d) *Hiſt. Geneal. P. I. C. II. III. p. 19. ſ.*

(e) Vocem CHAN vel KAN ſolitum Tartarorum eſſe titulum, quem omnibus principibus tribuunt, nemo ignorat.

(f) *Hiſtor. Per. Perſicar. L. VIII. p. 219. ed. Francof. 1601. fol.*

(g) *Hiſt. Geneal. P. II. C. IX. p. 103. ſ.* not. h.

cantur, quos maxima parte Tartarorum proprie sic dictorum ad religionem Christianam adducta, quo magis facinora sua praedicarent, Tartaris potentiam, regna atque opes tribuisse putant, quibus numquam gauisi sunt: hinc nomen Tartarorum illustre factum, Mungalorum vero, ad quos quippe Nestoriani non accesserant, quosue ignorabant, obscuratum esse. Haec sententia etsi certis confirmari non potest argumentis, speciem tamen nonnullam prae se fert veritatis. Nos quidem in praesenti commentatione hodiernum sequentes vsum, loquendi scribendique arbitrum et magistrum, Tartarorum nomine omnes illos populos designamus, qui intra et extra Imaum siue Caucasum montem in Asia habitant, omnesque illas terras occupant, quae gradibus 75. et 150. longitudinis, ac 138. et 152. latitudinis septemtrionalis continentur. Nam Tartarorum Europaeorum, qui Tauricam Chersonesum siue Crimaeam incolunt, ex instituto mentionem haud faciemus. Illi enim non nisi recentiori aetate cum Turcis siue Saracenis in hanc regionem transiere.

## §. II.

*Tartarorum diuisio, fines, mores.*

Varie a variis Tartaria diuiditur. HAYTHONVS (a) Tartaros in septem distinguit nationes, quas adpellat 1. Tartaros, 2. Tangot, 3. Cunat, 4. Ialair, 5. Sonich, 6. Monghi, 7. Tebeth. VINCENTIVS vero BELLOVACENSIS (b) et MARINVS SANVTVS (c) quatuor tantum memorant, 1. Iekamongal, id est magnos Mongalos, 2. Sumongal, id est aquaticos Mongalos, 3. Merkit, 4. Metrit. Reliqui orientales (d) Tartariam in quatuor partes diuidunt,

 1. Cap-

(a) Libro *de Tartaris C. XVI. p. 26.* edit. ANDR. MVLLERI.
(b) *Spec. Histor. L. XXXI. C. VIII.*
(c) *Secret. Fidel. Cruc. L. III. P. XIII. C. III. p. 234.* in IAC. BONGARSI *gestis Dei per Francos.*
(d) PETIT LA CROIX *Histoire de Genghiz-Can L. I. C. I. p. 5.*

1. Capſchak, 2. Zagathaiam, ſiue Tranſoxianam vel Mauaralnaharam, 3. Caracataiam, 4. regionem Moglorum. Hodie (e) ex tribus Tartari conſtant populis, ex Tartaris proprie ſic dictis, Calmuccis et Mungalis, quorum illi circa mare Caſpium commorantur, iſti medium magnae Tartariae ſpatium occupant, hi ad ſolem orientem et ad mare, quod orientale vocant, viuunt. Haec licet generatim certa ſint, fines tamen ampliſſimae illius regionis, quae vno hodie magnae Tartariae nomine deſignatur, quousque pateant, nondum ſatis conſtat. Magnus Ruthenorum Imperator Petrus I. nulli pepercit operae, vt populos in his terris viuentes notiores redderet: nec omni ſtudium eius fructu caruit, quod NICOLAI WITSENII *Tartaria* docere poteſt: (f) at multa tamen adhuc expedienda reſtant, antequam praedicare liceat nobis, Tartaros et patriam Tartarorum nobis plane cognitam eſſe. De moribus eorum, vitaeque ratione vt quaedam addamus, vix neceſſe eſt. Nemo enim ignorat, eos ex rapina caedibusque viuere conſuetos, nullis fere legibus contineri, in campis cum familiis vagari, ſemper incompoſitos atque inordinatos tumultuantium more ex equis pugnare, carne veſci equina, et lacte equarum pro potu vti, et quae ſunt reliqua cuilibet ſatis nota. Hoc tamen de iis Tartaris velim intelligas, qui neque Chinenſibus, neque Mahumedanis, ſed ſuis ſubiecti Chanis ſiue principibus, his viuere moribus nondum deſiere. Nonnulli enim Chinae maxime vicini, Mongali nimirum, ex quibus Chinen-

(e) Vid. *Relation de la grande Tartarie dreſſée ſur les memoires originaux des Suedois Priſonniers en Siberie*, in *Recueil de Voyages au Nord. T. X. p. 1. ſ.*

(f) ENGELB. KAEMPFER *Hiſtory of Iapan T. I. p. 67. ſ.* De WITSENII mappa Tartariae eximia quidem, nec tamen erroribus omnibus vacua, vid. IO. CLERICI *Biblioth. Vniuerſelle et Hiſtor. T. XX. p. 141.* Ipſa eius Tartaria, Belgice conſcripta, rariſſima hodie eſt.

nensium hodierni Imperatores prodierunt, satis pacate viuunt, certis legibus adstricti sunt, agros colunt. cet. Mongalorum in primis viuendi ratio, ex quo Chinensibus parent, non leuiter emendata et mutata est. Illi etiam Tartari, qui Mahumedana sacra susceperunt, morati magis sunt, quam reliqui. Oppida enim habent et vrbes, serunt metuntque et stabilibus in domiciliis viuunt. Ceteri maiorum more vagantur adhuc.

## §. III.

*Initium Christianae religionis in Tartaria.*

De primis Christianae religionis in Tartaria initiis nihil certi nobis constat. Tradunt quidem haud pauci, (a) maxime Pontificii, S. THOMAM Apostolum non modo in Indiam, sed in Chinam quoque, profectum esse, et CHRISTVM ibi praedicasse: quod si demonstrari posset, facile crederemus KIRCHERO (b) et ORTELIO, qui pri-



(a) ANTON. DE GOVVEA in libro rarissimo *Iornada do Arcebispò de Goa L. I. C. I.* cit. a. MATH. VEISS. LA CROZE *Hist. du Christianisme des Indes L. I. p. 38. s.* NICOL. TRIGAVTIVS *de Christiana expeditione apud Sinas L. I. p. 124.* ATHAN. KIRCHERVS *China illustr. Cap. II. p. 57. Cap. VII. p. 91.* et in *Prodromo Copto Cap. IV. p. 106. s.* P. DE PREMARE, Iesuita, *Lettres edifiantes et curieuses des Missions etrangeres. Tom. XIX. p. 449.* Conf. ANDR. MVLLERI *Hebdomas Obseruationum Sinicar. p. 10.* LVD. LE COMTE *Memoires de la Chine Tom. II. p. 140. s.*

(b) *Chin. illustr. Part. II. Cap. VII. p. 92. Vnde ex hisce regionibus iam enarratis,* inquit, *videlicet ex Cabul, Caphurstan, Tibet, Mogul,* (vbi S. THOMAS euangelium praedicasse dicitur) *facile per successores episcopos in vlteriores prouincias et regna vsque ad vltimum Tartariae terminum sacrum* CHRISTI *euangelium propagari potuit; id sane aperte dicit* ORTELIVS, *qui regnum Argon in vltimo septentrionis angulo constitutum, Christianorum dicit a* S. THOMA *ad fidem* CHRISTI *conuersum: subintellige a successoribus suis* cet.

primo iam post CHRISTVM natum saeculo etiam Tartaris siue Scythis euangelium innotuisse putant: nam Tartaria ex altera parte Indiae, ex altera Chinae contigua est. Verum iter S. THOMAE Sinicum omnibus cum Graecorum et Latinorum, tum ipsorum Chinensium testimoniis destitutum, et dudum idcirco a viris eruditis explosum est. Argumenta, quae adducit NIC. TRIGAVTIVS (c) et alii ex *breuiario Chaldaeo ecclesiae Arabicae*, ex *Antiphona* quadam eiusdem ecclesiae et ex summa *canonum Synodalium*, nimis fragilia sunt. Et probant hanc sententiam, inuitis licet multis Iesuitis, viri ex ipsis Pontificiis doctissimi, e quibus PHILIPPVM tantum COVPLETVM et EVSEBIVM RENAVDOTVM nominare lubet. Ille tametsi refert, (d) imperatorem MIM-TI circa annum LXIV. post natum Seruatorem, *occasione somnii, quo oblata fuerat species viri gigantei, et memorem dicti a Confucio prolati, in occidente exstitit Sanctus, quaeri iussisse per suos legatos veram legem ex Indiis;* tamen addit, *at enim idoli Foe pestifera secta cum metempsychosi proh dolor illata est.* Aduentum quoque S. THOMAE in Chinam in *tabula monarchiae sinicae chronologica* praetermittit. Hic diserte (e) hanc totam narrationem de itinere THOMAE in Chinam vt fabulosam et incertam reiicit. Nec Indica S. THOMAE peregrinatio, Indi licet minime de ea dubitent, tam certa est, vt multi putant. Nam vt alias omittamus, quae haud parum illi obstant, rationes, a CROZIO, IAC. TOLLIO, RENAVDOTO et aliis dudum adlatas, ISAAC. DE BEAVSOBRE (f) haud ita pridem rationibus maximi

mi

(c) *de Christ. exped. apud Sinas L. I. p. 124.*
(d) *Ad calcem Confucii seu Scientiae Sinensis p. 39.*
(e) *Remarques sur les anciennes Relations des Indes et de la Chine p. 230.*
(f) *Hist. de Manichée et du Manicheisme Tom. I. Lib. II. Cap. V. p. 404. s.* Conf. *Biblioth. German. T. XXI. p. 98. 99.*

mi ponderis effecit, Indiam, in quam veteres s. THOMAM profectum esse dicunt, Persiam esse. Haec tamen omnia non obstant, quo minus mature Christianam religionem ad Chinas, Seres, Tartaros peruenisse credamus. Nam Graeci aeque ac Syri tradunt (g), Hyrcanis, Bactris et Margis euangelium a THOMA Apostolo, Gelis vero vltra Hyrcanum mare vsque ad Gog et Magog ab AGHAEO ADAEI discipulo adnunciatum fuisse. Adfirmat quoque SOPHRONIVS, (h) ANDREAM Apostolum non tantum Scythis, sed et Sogdianis et Sacis praedicasse. Quae si quis probe perpendit, facile sibi persuadebit, etiam populos illos, qui postea Tartari sunt vocati, haud ita multo post adscensum Seruatoris nostri doctrinam ipsius suscepisse. Accedit, quod ex Syriacis monumentis (i) euinci potest, in Chorasana et Mauaralnahara prouinciis religionem Christianam initio saeculi IV. floruisse. Adsunt insuper varia a viris eruditis collecta argumenta, ex quibus efficitur, fidem Christianam etsi non ab ipso THOMA Apostolo, tamen a primis Christianorum doctoribus in Chinam esse inuectam. ARNOBIVS (k), qui saeculo III. floruit, diserte Seres inter populos refert, qui Christianam religionem receperunt, Seres autem non alios esse quam Chinenses, hodie a nemine

(g) IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Orient. T. III. P. II. C. I. p. 3. 16. 17. 20. 25.* et *C. IX. § I. p. 425.*

(h) *De vitis apostolorum* Append. I. ad HIERON. *Catal. Script. Eccles. p 224.* edit. FABRICII.

(i) IOS. SIM. ASSEMANVS vbi supra *p. 426.*

(k) Is Libro II. *aduersus gentes, Virtutes,* inquit, *sub oculis positae, et inaudita illa vis rerum, vel quae ab ipso* (CHRISTO) *fiebat palam, vel ab eius praeconibus celebrabatur in orbe toto: ea subdidit appetitionum flammas, et ad vnius credulitatis assensum vna concurrere gentes et populos fecit, et moribus dissimillimas Nationes. Enumerari enim possunt, atque in vsum computationis venire ea, quae in India gesta sunt, apud* SERAS, *Persas et Medos* cet. p. 50.

ne in dubium vocatur. (l) EBEDIESVS SOBENSIS in *epitome canonum* (m): *Heriae*, inquit, *et Samarkandae et Sinae Metropolitanos creauit* SALIBAZACHA *Catholicus. Aiunt vero quidam*, ACHAEVM *et* SILAM *illos constituisse.* ACHAEVS (n) orthodoxis Chaldaeis Archiepiscopus Seleuciensis praefuit ab anno Christi CCCCXI. ad CCCCXV. SILAS vero fuit patriarcha Nestorianorum ab anno DIII. ad DXX. SALIBAZACHA autem eodem munere instructus fuit anno DCCXIV. ad DCCXXVIII. Quisquis Sinae Metropolitam creauerit, certum est, Sinenses longe ante SALIBAZACHAE tempora ad CHRISTVM esse conuersos: qui enim Metropolitanus illis praefici potuisset, nisi Christiana religio apud eos longe lateque creuisset, et complures eos episcopi gubernassent? id quod breui temporis spatio fieri haud potuit. Aliud porro argumentum ex notitia desumi potest sedium Metropolitanarum, Patriarchae Nestoriano subiectarum, quam ex AMRO refert ASSEMANVS, (o) in qua Metropolita Sinarum cum Indico coniungitur. Sequitur hinc, sedem Metropolitanam circa idem tempus in China esse institutam, quo in India; *caussa enim primatus sedium inter se*, dicit EBEDIESVS SOBENSIS expressis verbis (p), *ex prioritate temporum desumitur, quibus earum fundatores Patriarchae vixerunt.* Antiquitatem vero Christianismi in India probat LA CROZE (q) argumentis non contemnendis. Euincunt denique Iesuitae

(l) Vid CHRIST. CELLARII *Notitia orbis antiqui T. II. Lib. III. Cap. XXIV. Sect. IV. p. 759. f.*

(m) *Part. VIII. C. XV.* cit. ab ASSEMANO *T. III. P. II. C. IX. §. VI. p. DXXI. f.*

(n) IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. T. III. P. I. p. 614. 616.*

(o) *Biblioth. Orient. Tom. II. Cap. XLII. p. 458. f.* Vid. Appendix nostra *p. I. N. I. et II.*

(p) cit. ab ASSEMANO *Tom. III. P. I. p. 346.*

(q) *Histoire du Christianisme aux Indes Lib. I. p. 44. f.*

ſuitae et alii antiquitatem religionis Chriſtianae in China etiam ex numis antiquis repertis, (r) nec non ex ſecta *Xekiao* ſiue crucis. (s) Ex omnibus hisce teſtimoniis liquido adparet, ſalutarem CHRISTI doctrinam primis Chriſtianorum temporibus in China eſſe adnunciatam. Quodſi autem ipſa China euangelii luce tam cito eſt colluſtrata, quidni etiam Tartaria, cuius nonnullae prouinciae ipſi Syriae ſunt conterminae?

## §. IV.

Aliud maioris momenti de Chriſtianae religionis in iis regnis propagatione argumentum nobis exhibet celebre illud monumentum Syro-Sinicum, quod ſuperioris ſaeculi anno XXV. in vrbe SINGAN FV prouinciae XEN SI capite in China erutum eſt. Primus hoc produxit ATHAN. KIRCHERVS in *Prodromo Copto* et in *China illuſtrata*, (a) quem ſecuti ſunt ANDR. MVLLERVS, (b) EVSEB. RENAVDOTVS, (c) IOS. SIM. ASSEMANI (d) et alii, qui illud variis obſeruationibus illuſtrarunt. Vehemens inter viros eruditos fuit pugna, quae hodie nondum ceſſauit, quid de hoc monumento eſſet iudicandum? aliis (e) illud pro vero et genuino antiquitatis monumento habenti-

*Monumentum Sinicum.*



(r) Vid. *Praef. ad Lettres edif. et cur. Tom. XVI. p. XIV.*

(s) Vid. ANDR. MVLLERVS *de Chataia p. 58.*

(a) *Part. I.* tot.

(b) Libro de *Monumento Sinico Berol. 1672. 4.*

(c) *Ancienn. Relations des Indes et de la Chine p. 234. ſ.* Hic ANDR. MVLLERVM, tamquam linguae Sinicae ignarum, variis in locis caſtigauit: eodem vitio notatus a PREMARE Ieſuita in *Lettr. edif. et cur. T. XIX. p. 420. ſ.*

(d) *Bibl. Orient. Clem. Vat. Tom. III. Part. II. Cap. IX. §. VII. pag. 538. ſ.*

(e) V. c. KIRCHERVS, MVLLERVS, RENAVDOTVS, ASSEMANVS cet.

bentibus, aliis (f) vero Iesuitas, quos vocant, accusantibus, quasi ipsi hoc monumentum finxissent, atque orbi erudito imponere ausi fuissent. Nostrum iam non est, litem hanc eruditorum componere, omnia ac singula, quae in vtramque partem disputata sunt, ad exacti iudicii trutinam examinare, et a quibus partibus veritas stet, diiudicare. Interim iis nos adiungere non veremur, qui Romanam ecclesiam et societatem illam, quae a IESV vocari voluit, omni fraude absoluunt, et monumentum hoc pro egregio atque pretioso vetustatis cimelio habent. Ne quid enim de virorum eruditorum argumentis dicamus, quibus fidem monumenti huius labefactare student, quaeque ita haud comparata sunt, vt nihil ad illa regeri queat: fines certe, quos sodales ordinis IESV sibi vel proponere potuerunt, vel intendisse dicuntur, eiusmodi fraude nullo modo potuerunt obtineri. Etenim vel doctrinam Romanae ecclesiae eos confirmare voluisse necesse est, vel etiam antiquitatem Christianae religionis in China probare. Prius nemo facile sibi persuadebit, quum doctrina Nestorianorum potius, quam Latinorum, in monumento Sinico proponatur, id quod neque ipsi Pontificii diffitentur. Neque posterius credibile est: Chinenses enim quidquid ante mille et quod excurrit annos euenit, ad recentiora tempora referunt, ita vt religionem Christianam, etiamsi illam saeculo VII. maioribus adnunciatam esse credant, tamen pro antiqua doctrina minime habeant. Refert quidem LVD. LE COMTE, (g) praecipuam Imperatoris Chinensium obiectionem, qua Christianam religionem adgressus sit, eam fuisse, quare illa non prius Chinensibus sit adnunciata: verum

---

(f) Quod fecit GEORG. HORNIVS *Origin. American L.IV C.XV.* THEOPH. SPIZELIVS *de re litter. Sinens. Sect. IX p. 160.* et MATH. VEISS. LA CROZE *Hist. du Christ. des Indes L. I. p 42.*

(g) *Memoir. de la Chine Tom. II. p. 139. s.*

verum non solum ante inuentum est et in lucem productum hoc monumentum, quam eiusmodi obiectionibus legati Romanensium sacri ab Imperatore peterentur; sed alia quoque sodalibus ordinis IESV adfuerunt argumenta, quibus contrarium euincerent, et nomen IESV CHRISTI iam olim Chinensibus innotuisse demonstrarent, quorum praecipua §. antecedente III. adduximus. Non tam corrupti omnes Iesuitae sunt impostores, vt nihil veri, nihil solidi, nihil pie meditati et sinceri ab illis proficisci queat, quemadmodum aduersarii eorum maximam partem nobis persuadere conantur. Neque igitur haec concludendi ratio satis est solida et accurata: hoc monumentum a Iesuitis est productum, ergo est suppositum. Etiam in hac lite viri alias doctissimi non carent partium studio, quod in omni doctrinae genere, cumprimis vero in rerum gestarum narratione maxima incommoda et incredibiles errores producere solet. Conscriptum est hoc monumentum (h) partim in lingua Sinica, partim in Syriaca. In parte Sinica primum ipsa doctrina exponitur, quae satis ostendit, Nestorianos fuisse, qui eam praedicarunt: narratur deinde, quomodo euangelium in Chinam fuerit translatum. OLOPVEN (quod nomen ASSEMANVS a Syriaco IABALLAHA deducit) anno CHR. DCXXXVI. euangelium ex Syria in Chinam inuexit, quod ibi floruit vsque ad ann. DCCLXXXI. quo monumentum hocce lapideum fuit erectum. In parte altera lapidis, quae Syriace est consigna-



(h) Haec vt clarius intelligantur, ipsum monumentum in Appendice nostra N. III. describemus, vti ab ATH. KIRCHERO, ANDR. MVLLERO et ASSEMANO locis citatis expositum est. Multo quidem accuratius illud in lucem edere in animo habuit vir rerum Sinicarum peritissimus THEOPHILVS SIGEFRIDVS BAYERVS (nam multis adhuc, quod omnes fatentur, scatet mendis) verum praematura eum mors orbi erudito proh dolor! eripuit.

ta, continentur primum nomina LXX. praeconum euangelii, qui Christianam fidem in China adnunciarunt, designantur deinde auctores erecti lapidis tempusque. Qualis haec religio Christiana fuerit, quae in Chinensium regno floruit, facile ex dictis adparet. Quum enim de solis Nestorianis constet, quod euangelium in dissito hoc imperio praedicarunt: quilibet facile sibi persuadebit, non aliam quam Nestorianorum doctrinam doceri potuisse. Omnes fere hominum ad Christum conuersiones, quae a saeculo V. vsque ad XIII. in Asia septemtrionali euenerunt, Nestorianis sunt tribuendae. Hi, quod ex historia eorum satis constat, nullum non mouerunt lapidem, vt sectam suam et propagarent et amplificarent. Neque spes eos fefellit: multo enim felicius hoc negotium illis cessit, quam omnes ecclesiae Romanae legationes, quas praedicandi euangelii caussa instituit. Quid vero post erectum hocce monumentum Christianis in China euenerit, et quis rei Christianae ibi fuerit status, quum desint monumenta, exponi nequit. Nisi quod indubitatis testimoniis confirmari potest, Christianam religionem diu admodum in hoc regno floruisse, immo vero Christiani nominis memoriam vsque ad nouissima tempora et Pontificiorum in Chinam aduentum non plane fuisse exstinctam. Sane anno DCCCLXXVII. multos Christianos in Masina siue meridionali Sina exstitisse necesse est: nam illorum plurimos BAICHV quidam, a Sinarum Imperatore deficiens in vrbe *Cansu*, quae *Canton* hodie vocatur, trucidasse fertur. (i) Exhibet quoque EVS. RENAVDOTVS (k) narrationem Arabis cuiusdam nomine EBN WAHAB, qui saeculo IX. in Chinam erat profectus, ibique cum Imperatore collocutus. Ostendebat ipsi Imperator imagines NOA-

(i) EVS. RENAVDOT *anciens. relat. p. 51. s.*
(k) *Ibidem p. 63. s.*

NOACHI, MOSIS, nec non I. CHRISTI ſedentis in aſino et apoſtolis ſtipati. *Hic*, ita de Seruatore loquebatur, *non diu in terris fuit, omnia enim eius geſta triginta menſium ſpatio continentur.* Porro GOLIVS in *adnotationibus* ad ALFRAGANIVM ex ABVLFARAGIO, Mahomethano auctore, monachum quemdam narrat a Catholico anno DCCCCLXXVIII. in Chinam miſſum eſſe. Saeculo XIII. multos Chriſtianos in China adhuc eſſe commoratos, variis locis nos docet MARCVS PAVLVS VENETVS. (m) Quid quod MATTHAEVS RICCIVS (n) Ieſuita, qui Saeculo XVII. ineunte in eodem regno fuit, a Iudaeo quodam Sinenſi eſt edoctus, Chriſtianos nonnullos a compluribus annis inter Chinenſes latere. Quae quidem omnia ſi quis probe perpenderit, infinitam ſupremi rerum omnium moderatoris clementiam pia merito venerabitur mente, quae ne in vltimis quidem orbis terrarum prouinciis veritatem ignotam eſſe voluit, et nullo non tempore nomen IESV CHRISTI et gloriam manifeſtauit.

## §. V.

*Gelae, Dailamitae, Tartari conuerſi.*

Nondum octauum effluxerat ſaeculum, quum aliud ardoris ſui in propaganda religione Chriſtiana inſigne monumentum edebant Neſtoriani. Nam TIMOTHEVS, qui ab anno DCCLXXVII. ad DCCCXX. patriarchae Neſtorianorum



(l) ABVLPHERGIVS, inquit, *teſte monacho quodam Nageranenſi haec ipſius verba recitat: Eum ſcilicet anno CCCLXXXVII.* (CHRISTI *DCCCCLXXXVII.*) *rediiſſe e Sina, quo a catholico vna cum quinque aliis miſſus fuerat, ibique ſeptem circiter annis manſerat; nomen vero vrbis, vbi moratus fuerat, eſſe Taiouna.*

(m) *De regionibus orientalibus Lib. II. Cap IV. V. VI. XIV* cet. Conf. quae nos infra Cap. II. §. XVIII. de Metropolita Sinenſium commemorabimus.

(n) Rem narrat NICOL. TRIGAVTIVS *de Chriſtiana expeditione apud Sinas Lib. I. Cap. XI. p. 121. ſ.*

norum ſedem occupauit, Tabreſtanos, Gelas, Dailamitas, aliosque populos Hyrcanum ſiue Caſpium mare accolentes Chriſtianis imbui ſacris curauit. Commorabatur (a) in coenobio Neſtorianorum Beth-Abenſi, quod in media Aſſyria poſitum, celeberrimum iis temporibus erat, (b) monachus quidam SVBCHALIESVS, qui pro horum temporum ratione ſatis erat doctus, et linguas cum Syrorum, tum Arabum Perſarúmque callebat. Eum huic negotio aptiſſimum duxit TIMOTHEVS patriarcha, et idcirco epiſcopum ordinatum ad Gelas et Dailamitas praedicandi euangelii cauſſa ablegauit. Neque ſpes TIMOTHEVM fefellit. Non ſolum enim SVBCHALIESVS complures horum populorum ad veritatem adduxit, variasque inter eos eccleſias conſtitutas presbyteris inſtruxit; ſed ad extremos quoque orientis fines, in Tartariam, Chataiam, Sinam penetraſſe et Chriſtianam doctrinam longe lateque circumtuliſſe perhibetur. Laborum ſuorum meritorumque praemia inter mortales quidem hicce apoſtolus reportauit nulla, nam in Aſſyriam rediens ad viſendum TIMOTHEVM patriarcham fratresque monachos, a barbaris in itinere caeſus fuit. Subrogauit in eius locum TIMOTHEVS KARDAGVM et IABALLAHAM eiusdem Beth-Abenſis coenobii monachos, eisque quindecim alios laudati monaſterii ſodales adiunxit. Ex illis poſtea TIMOTHEO conſen-

(a) THOMAS MARGENSIS *in hiſtoria monaſtica Lib. IV. Cap. XX.* cit. a IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. Clem. Vat. Tom. III. P. I. p. 491. ſ. P. II. Cap. IX. § V. p. CCCCLXXVIII.* Conf. EVSEB. RENAVDOTI *ancienn. relat. des Indes et de la Chine p. 319.* qui tamen duo euenta confundit, et hoc, quod iam referimus, idem eſſe putat, quod nos infra §. VII. narrabimus, id quod luculenter oſtendit IOS. SIM. ASSEMANI *T. III. P. II. p. CCCCLXXXII. ſ.*

(b) Vid. IOS. SIM. ASSEMANVS l. cit. *C. XIV. §. II. p. DCCCLXXVI.*

ſentiente (c) hos epiſcopos conſecrarunt, THOMAM, ZACCHAEVM, SEMVM, EPHRAEMVM, SIMEONEM, ANANIAM et DAVIDEM: et alios in Indiam, alios in Chataiam et Sinam miſerunt. THOMAS (d) quidem in Indiam migrauit, DAVIDES (e) autem Sinarum fuit metropolita. IABALLAHA deuique poſtquam ſemel iterumque ad patriarcham redierat, multis apud barbaros exantlatis laboribus ibi deceſſiſſe fertur. Vbi autem ſedem metropolitanam KARDAGVS et IABALLAHA fixerint, non liquet. Interim quum ex tabulis AMRI et ELIAE adpareat, binas in Hyrcania metropoles fuiſſe, alteram *Dailamitarum*, alteram *Raiae* et *Tabreſtanae*, has ab iis eſſe inſtitutas veri eſt ſimillimum. TIMOTHEVS iſte Neſtorianorum patriarcha, cuius auſpiciis haec omnia geſta ſunt, anno DCCCXX. diem obiit ſupremum, et ab hoc tem-

---

(c) THOMAS MARGENSIS apud ASSEMANVM *loc. cit. Epiſtolam*, inquit, MAR TIMOTHEI *Catholici ad* MAR IABALLAHAM *reſponſiuam epiſtolae ab eodem acceptae legi. Scripſerat autem* IABALLAHA *in haec verba.* „*Veſtris, Domine, precibus et* CHRISTI *gratia factum eſt, vt complures populi ad rectam fidem conuerſi ſint, quibus praeficere nos oportet epiſcopos ex monachis, qui nobiscum in has terras venerunt.*„ IABALLAHAE *ſociisque* TIMOTHEVS *ita reſpondit.* „*Quandoquidem epiſcopi ordinatio trium epiſcoporum praeſentiam omnino exigit; vos autem in iis terris eſtis, in quibus habere hunc epiſcoporum numerum non poteſtis; haec facultas vobis a verbo Domini noſtri, quo omnia conſtant et gubernantur, conceditur: epiſcopum nempe quemcunque elegeritis, tibi ſimul et epiſcopo* KARDAGO *fas ſit conſecrare, et pro tertio epiſcopo codex euangeliorum ſuper ſella ad dexterum latus collocetur: et hoc ritu per virtutem Dei, primi epiſcopi conſecrationem perficite. Alius autem non niſi a tribus epiſcopis conſecretur. Diuinus autem ſpiritus in vobis conſecrationes ſuas, oro, diſpertiat, quemadmodum in beatis apoſtolis olim eſt operatus.*„

(d) IOS. SIM. ASSEMANVS vbi ſupra p. CCCCXLIV.

(e) *Idem Tom. III, P. I. p.* 489.

tempore vsque ad annum millesimum in Tartaria quid gestum sit, et quis rei Christianae fuerit status, auctores fide digni non commemorant.

## §. VI.

*Presbyter* IOHANNES.

Saeculo vero XI. ineunte ingens religio I. CHRISTI in Tartaria emolumentum cepit famosi illius principis conuersione, qui sub nomine PRESBYTERI IOHANNIS orbi europaeo innotuit, de quo vt paullo copiosius agamus, res ipsa postulat. Quae de hoc principe eiusque et nomine, et religione, et patria olim retulerunt eruditi, tam varia sunt, tam discrepantia, vt verum quid sit atque certum, vix ac ne vix quidem definire quisquam potuisse videatur. Verum enim vero recentiorum eruditorum cum itinera, tum alia scripta innumerabilibus obseruationibus historiam *presbyteri* IOHANNIS ita illustrarunt, vt longe tutius, longe accuratius de eo ferre iudicium nobis hodie liceat. Increbescebat fama de *presbyteri* IOHANNIS opibus atque potentia saeculis cumprimis XII. et XIII. Narrabant, esse principem quemdam, qui non modo CHRISTI confiteretur nomen, sed ipse quoque sacerdotis atque presbyteri munere fungeretur, eumque opibus et potentia reliquos fere omnes orbis terrarum principes superare. (a) Verum dubitabant omnes, vbinam terrarum alter hicce CROESVS commoraretur, nec adparebat quisquam, qui eius domicilium indicaret. Duplex tamen virorum doctorum animos diuidebat sententia. Nonnulli enim, ad quos fama de Rege Aethiopum Christianis sacris addicto peruenerat, eum celebrem esse illum *presbyterum* IOHANNEM putabant: alii vero Latinorum quo-

---

(a) Famae huius vestigia adhuc inter nos exstare, tritum vulgi ostendit prouerbium de felicissimo *presbyteri* IOHANNIS regno, er meinet, er sey in des Priester Johannes Lande, er lebet so vergnügt, als wäre er in des Priester Johannes Lande.

quorumdam ſcriptorum auctoritate moti, eumdem in Aſiae quadam regione ad orientem vergente rerum potiri adſeuerabant. Dum res ita in ancipiti erat, IOHANNES II. (b) Luſitaniae Rex anno cIↃCCCCLXXXVII. PETRVM COVILLANIVM equitem, vna cum ALPHONSO PAIVA duobusque Iudaeis, mittebat ad explorandum, quanam orbis terrarum regione contineretur *presbyteri* IOHANNIS imperium. Is in Aethiopiam delatus, quum Chriſtianum ibi vidiſſet Imperatorem, multaque reperiſſet, quae de vero *presbytero* IOHANNE in Europa percrebuerant, exiſtimauit, illum ipſum eſſe, qui hoc nomine ab Europaeis inſigniretur. Ea quippe plerorumque mortalium miſera eſt conditio, vt dum quaeſtionem aliquam curioſi inueſtigant, id ſtatim, neſcio quo fato, amplectantur, in quo nonnullas rei indagandae proprietates offendunt. Quis haud paucos eruditorum ita rationes ſubducere ignorat: haec res certa ratione cum illa conuenit, quam quaero: ergo eadem eſt? Ita COVILLANIVS iudicauit, *presbyter* IOHANNES nomen IESV CHRISTI confitetur, et princeps eſt opulentiſſimus, Aethiopiae Rex itidem potentia eſt inſignis, nec Chriſtianae religioni non addictus, ergo Rex Aethiopiae eſt *presbyter* IOHANNES. In Luſitaniam redux COVILLANIVS, quae viderat, quaeque audiuerat, retulit, ſeque famoſum illum IOHANNEM *presbyterum* in Aethiopia et Abyſſinorum regno inueniſſe confidenter perhibuit, quod temerarium et immaturum indocti peregrinatoris iudicium, mirum eſt, quot quantisue adriſerit eruditis. Ne quid enim de ciuibus eius Luſitanis dicam, nemo fere ſaeculo XVI. floruit eruditus, qui a COVILLANII ſententia alienus, in Aethiopia hunc prin-



(b) Vid. IOS. FRANC. LAFITAV *Hiſt. des decouvertes des Portugais dans le nouveau monde T. I. L. I. p. 61. ſ.*

cipem degere negauerit. (c) Verum enim vero saeculo XVII. ineunte alteram, quae iam proscripta videbatur, opinionem, *presbyterum* IOHANNEM Asiae, non Africae esse principem, maxima pars eruditorum est ammplexa. Inter quos ipsos tantum Lusitanos BALTHASAREM TELLEZIVM (d) et ALPHONSVM MENDESIVM, (e) quem Romana ecclesia Aethiopiae patriarcham constituit, nominabimus; nam omnes ac singulos huius sententiae patronos enumerare, et molestum foret et inutile. Et hos multo felicius prioribus coniecisse, ac rem, quod aiunt, acu tetigisse, cum veterum, tum recentium Latinorum comprobant testimonia. Ex illis OTTO FRISINGENSIS, (f) GVILLELMVS TRIPOLITANVS,

---

(c) Consensere cum COVILLANIO ALOISIVS CADAMVSTI *Nauigat. C. LVIII. LX.* LVDOVICVS ROMANVS PATRICIVS *Nauigat. L. II. C. IV. XV. et alibi*, ALVARES in *legatione Aethiopica*, MAFFAEVS *Histor. Indicar. L. I.* GENEBRARDVS in *Chron. ad ann. 1513. et 1566.* citati a IO. MORINO *de sacris ecclesiae ordinationibus P. II. p. 367.* et plerique alii. His, quos nominauimus, auctoribus nonnulli DAMIANVM a GOEZ equitem Lusitanum adiungunt, quem varios hac de re tractatus in lucem emisisse, et in iis Aethiopum Regem vbique *presbyterum* IOHANNEM vocare, adserit MORINVS l. cit. Verum quum ei ATH. KIRCHERVS *Chin. Illustr. P. II. C. I. p. 51.* aperte repugnet, et Regem Aethiopiae *presbyterum* IOHANNEM dici, aut vmquam dictum esse, DAMIANVM a GOEZ lib. *de Aethiopum moribus* expresse negare doceat, litem hanc iis componendam relinquimus, quibus ipsum GOEZII librum perlustrandi est facultas.

(d) In *Historia Aethiopiae* polito Lusitanico stylo conscripta, hoc nomine laudata ab ATH. KIRCHERO loco modo citato.

(e) In epistola *de rebus Aethiopicis* operi TELLEZII praefixa. De hoc MENDESIO conf. MATH. VEISS. LA CROZE. *Hist. du Christianisme d' Ethiopie et d' Armenie*, L. III. p. 299. s.

(f) Lib. VII. C. XXXIII. *Narrabat etiam* (Gabulensis episcopus) *quod ante non multos annos* IOANNES *quidam* (*qui vltra Per-*

NVS, (g) ALBERICVS, (h) VINCENTIVS BELLOVACENSIS, (i) MARINVS SANVTVS, (k) IACOBVS de VITRIACO, (l) MARCVS PAVLVS VENETVS,



*fidem et Armeniam, in extremo oriente habitans, Rex et sacerdos cum gente sua Christianus est, sed Nestorianus) Persarum et Medorum Reges fratres,* SAMIARDOS *dictos, bello petierit. cet.*

(g) Is in GERARDO MERCATORE testatur, anno MXCVIII. quo Antiochia a crucesignatis capta, COIREM *Chamum fuisse dominum aut Regem regionum orientalium Asiae, eoque demortuo quemdam Presbyterum Nestorianum regnum illud inuasisse, et* PRESBYTERVM IOHANNEM *adpellatum esse.*

(h) *In Chron.* ann. MCLXV. et MCLXX. vbi de IOHANNIS *presbyteri* ad Europae principes, et pontificis ad ipsum litteris agit, et eum *Indorum Regem* adpellat, in LEIBNITII *Accessionibus Histor. Tom. II. p. 345. & p. 355.*

(i) *Specul. historial.* Tom. IV. Lib. XXIX. C. LXIX. *Tartari contra regem* DAVID *dominum suum, videlicet* PRESBYTERI IOHANNIS *quondam dominatoris et Imperatoris Indiae filium, conspirauerunt, eumque dolose machinando interfecerunt.* Et paucis interiectis: *Rex autem* DAVID *aduentum eorum audiens improuise, nec vllatenus valens resistere, quum ab vna parte exercitus effugere vellet, ab altera praeuentus est et oppressus, tandemque cum tota familia sua praeter vnicam filiam membratim detruncatus, quam videlicet superstitem* CINGISCHAM *sibi vxorem accepit et de ea, vt dicitur, filios generauit.*

(k) *Secret. Fidel. Crucis* L. III. P. XIII. C. IV. p. 234. f. vbi eadem refert, quae VINCENT. BELLOVACENSIS loco iam citato.

(l) *Hist. Hierosol.* L. I. C. LXXVI. *Sunt aliae nationes non solum in terra Sancta, vel inter Saracenos, sed seorsim per se in maiori parte Indiae habitantes. Hos autem Nestorinos seu Nestorianos appellant, a quodam Haeresiarcha* NESTORIO, *qui peruersa doctrina sua ex magna parte orientalem regionem lethaliter adfecit, et maxime illos, qui in terra potentissimi principis, quem* PRESBYTERVM IOHANNEM *vulgus adpellat, commorantur. Hi omnes Nestoriani sunt cum Rege suo, qui cum Iacobinis plures esse dicuntur, quam Latini vel Graeci, cet.*

TVS, (m) IOHANNES de PLANO CARPINI, (n) GVILIELMVS RVBRVQVIS (o) et alii *presbyterum* IOHANNEM partim in Asia orientem versus regnasse, partim a ZINGISCHANO inclyto Tartarorum Imperatore deuictum et regno vitaque esse exutum, vnanimi consensu perhibent. Recentiorum plurimi idem confirmant, et *presbyteri* IOHANNIS vestigia nonnulla adhuc in regno Tibet et Tangut deprehendi adserunt. (p) Nec obstat, quod EVSEBIVS RE-

(m) *De Regionib. Oriental.* L. I. C. LXIV. p. 55. Edit. MVLLERI: *Ab Egrigaia prouincia eundo ad orientem ducit iter ad prouinciam Teudach, in qua sunt ciuitates et castra multa, vbi etiam manere consueuit Rex ille magnus, et toto orbe terrarum nominatissimus, vulgo* PRESBYTER IOHANNES *dictus. Modo autem prouincia illa tributa pendet magno Cham, habens Regem, qui est de progenie Presbyteri* IOANNIS.

(n) *Rélation du voyage de* IEAN DV PLAN CARPIN, art. V. p. 42. in *Voyages faits principalement en Asie par* P. BERGERON. *Cette armée* (de CINGIS-CHAN) *marcha aussi contre les Chretiens de la grande Inde. Le Roi de ce païs-lâ qu'on appelle le* PRESTRE-IEAN, *en aiant été averti vint â leur rencontre avec ses forces. cet.*

(o) *Voyage de* GVILLAVME RVBRVQVIS C. XVIII. p. 36. in eodem itinerum volumine *Le Cathay est au dedans de certaines montagnes -- avec une grande campagne, où étoit autrefois un grand Prêtre Nestorien, qui étoit seigneur d'un peuple nommé Nayman, tous Chrêtiens Nestoriens.* KEN-CHAM *étant mort, ce Prêtre Nestorien s'éleva et se fit Roi, tous les Nestoriens l'appelloient le Roi* PRETRE IEAN, *et disoient de lui des choses merveilleuses, mais beaucoup plus qu'il n'y avoit en effet: car c'est la côutume des Nestoriens venant de ces païs-lâ de faire un grand bruit de peu de chose --- Ce* PRETRE-IEAN *étoit fort renommé par tout, quoique, quand je passois par son païs, personne ne savoit qui il étoit, si non quelque peu de Nestoriens. cet.*

(p) Vid. quae nos infra Cap. III. de DALAI-LAMA seu maximo Lamarum pontifice commentabimur.

RENAVDOTVS(q) et IOSEPHVS FRANCISCVS LAFITAV (r) dudum explosam Lusitanorum fabulam de *presbytero* IOHANNE in Africa degente, iterum defendendam susceperunt: neutri, si quid recte iudico, quisquam fidem habebit. Ille enim documenta litteraria nobis deesse confidenter adserit, neque idcirco hanc litem componi posse, quod tamen falsum esse, ex auctoribus a nobis modo productis adparet: hic autem Christianum Regem in Asia vixisse negare non audens, Regem Aethiopum etiam in Asia imperasse coniicit, quod et nullo argumento corroborari, et ex iis, quae paragraphis sequentibus narraturi sumus, nullo negotio conuelli potest. Ex hac de *presbyteri* IOHANNIS imperio controuersia, non minor de huius nominis et origine et vsu nata est dissensio. IVL. CAES. SCALIGER (s) illud ex lingua Persarum deriuauit, in qua vocem *Fristegiani* siue *Prestegbani Apostolicum* sonare adfirmat. Ex eadem lingua vocem hanc IOBVS LVDOLFVS (t) auctore ANDREA MVLLERO deducens, *Prester-Chan* idem esse atque *adoratorum*, id est *Christianorum*, *Chanum* existimat. Quidam (v) ex *Presbytero* IOHANNE formarunt *pretiosum* IOHANNEM. Ex Lusitanico *Preste* seu *Prete* (i. e. presbyter) nonnulli (x) *Preto* fecerunt, quod nigrum in earum lingua sonat, eumque vocarunt PRETO IOAM, *nigrum* IOHANNEM, quod scilicet colore niger esset Rex Aethiopiae, quem *presbyterum* IOHANNEM esse voluerunt. Alii (y) illum ridicu-



(q) *Histor. Patr. Alexandr*, p. 223. et 337. f.
(r) *Hist. des decouvertes des Portugais* T. I. p. 58. et *Tom.* III. p. 57.
(s) *De emend. temp.* L. VII. *in notis ad computum Aethiop.*
(t) *Commentar. ad Hist. Aethiop.* L. II, C. I. N. III. p. 219.
(v) TZAGA-ZABVS in *confessione sua.*
(x) CORNELIVS A LAPIDE *ad Num. XII.*
(y) PAVLVS GVICIVS in *Lexico.*

le PEDRO IVAN, id eſt PETRVM IOHANNEM adpellarunt. Quid quod SEBAST. MVNSTERVS (z) nomen hoc ex voce Hebraea כוהן ductum exiſtimans, ei *presbyteri* COHAN nomen tribuit, quod ſi Romano ſermone exprimere velles, *presbyter presbyter* eſſet vertendum, quod quam incongruum ſit, pueri cognoſcunt. Alii alio modo nomen hoc interpretati ſunt. Verum enim vero oleum et operam omnes perdidiſſe, ex iis, quae iam retulimus, luce eſt clarius. Nam, ſi dicendum quod res eſt, *presbyter* IOHANNES princeps fuit Tartarorum orientem verſus habitantium, vel vt accuratius loquamur, nonnulli hoc nomine olim inſigniti ſunt Tartarorum Chani, qui ſaeculis XI. et XII. illi Tartarorum genti praefuere, quae *Kerit* (a) vel *Carait* fuit adpellata, et eam Aſiae regionem occupauit, quae Chinarum imperio contigua hodie *Tenduch* et *Tanguth* vocatur. Sedes regni eorum fuit vrbs *Caracorom*, (b) de cuius ſitu nihil certi tradere licet, quum nulla eius ſuperſint veſtigia. Horum primus ſaeculo XI. a Neſtorianorum familia ad Chriſtiana ſacra adductus *presbyteri* IOHANNIS nomine inclaruit. Num autem re vera fuerit presbyter, et cum regno ſacerdotium coniunxerit, equidem non auſim determinare. Eum cum poſteris hoc nomine eſſe inſignitum, extra omnem dubitationis aleam eſt poſitam; ſed multa quoque a Neſtorianis de illo eſſe excogitata, vt eo maiorem illi et ſibi ipſis famam compararent gloriamque, nemo prudens rerum ſcrutator negabit. Fortaſſe et presbyteri titulum principi ſuo eum in finem impoſuerunt, vt celebrem magis ipſum redderent, eoque facilius toti orbi imponerent, qui eiusmodi

(z) *Grammat. Chald.* p. 15.

(a) Conf. HERBELOT *Biblioth. Orient.* voce *Carit* p. 256. et *Suppl.* voce *Kerit* p. 959.

(b) Vid. *Voyage* de GVILLAVME RVBRVQVIS C. XIX. p. 36. et C. XLIX. p. 106.

modi fabulas ambabus, vt aiunt, manibus solet amplecti, et pro exploratissimis historiis habere.

## §. VII.

*Presbyter* IOHANNES *primus.*

Quaenam horum principum fuerit origo, quum adhuc certa desint monumenta, (certiora forte in posterum ex Bibliotheca Regia Parisiensi, aut Vaticana prodibunt) explicari nequit, nec omnium nomina gestaque nobis sunt nota. Quatuor sunt principes, quorum apud auctores quosdam mentio extat, sed parum clara et distincta. Nos ea, quae de illis referuntur, ordine recensebimns. Primus, quem cognoscimus, est is, qui cum vniverso populo suo numerum ducentorum millium excedente Christiana sacra suscepit. Accidit hoc insigne euentum anno saeculi XI. primo, ab ABVLPHARAGIO ex epistola quadam relatum, quam EBEDIESV ciuitatis Maru Metropolita ad IOHANNEM Nestorianorum patriarcham exarauit. (a) Rex populi Tartarorum, qui *Berita* (id est *Kerit*) vocabatur, quum bestias in venatione improuide insectaretur, in vias inexplicabiles est elapsus. Iam de salute desperanti adparuit Sanctus quidam in visione, qui viam se ei monstraturum fidem dedit, si nomen IESV CHRISTI et doctrinam vellet profiteri. Quod quum sine omni mora promisisset, in viam a Sancto est reductus. Domum itaque reuersus Christianos mercatores in castris suis commorantes arcessiuit, ab iis in salutari doctrina instructus CHRISTVM colere coepit, et a dicto Maruensi Metropolita sacra baptismatis vnda lustrari desideravit; quumque praeter carnem et lac sui nullo vterentur cibo, quid in ieiunio sibi agendum esset, ex eo quaesiuit. Quae quum comperisset EBEDIESV, IOHANNEM patriar-

(a) ABVLPHARAG. in *Chron. Syr.* et ex eo IOH. SIM. ASSEMANI *Bibl. Orient. Clem. Vat. Tom.* II. p. 444. f.

triarcham eorum certiorem fecit, et laudatas modo ad ipſum litteras dedit. Iuſſit illum patriarcha duos presbyteros diaconosque ad hanc Tartarorum gentem mittere, qui eos, qui ſeſe conuerterant, baptizarent, et vt a carne in ieiunio abſtinentes lacte tantum veſcerentur, docerent. Inſignis haec Tartarorum ad CHRISTVM conuerſio etſi in dubium incertumque reuocari non poſſe videatur, cauſſam tamen eiusdem non minus certam aut ſaltim veri eſſe ſimilem, equidem non dixerim. Neque re vera Sanctum vel angelum Regi aberranti adparuiſſe, vt credamus, a nobis quisquam facile impetrabit. Quin potius Regem a Chriſtianis mercatoribus doctrinam Seruatoris nullo antecedente miraculo accepiſſe, prudens huius negotii iudex ſibi perſuadebit. Quodſi quis tamen pertinaciter fabulam hanc defenderet, et miraculum aliquod accidiſſe adfirmaret, ex eo modeſte quaererem, annon Sanctus ille, quem Tartarus in vitae periculum adductus vidiſſe dicitur, eremita ſiue anachoreta (b) eſſe potuerit, qui in montibus atque locis deſertis degens, viarum peritus Regem ad ſuos reduxerit? Interea quoquo modo ſe res habet, princeps hic primus eſt eorum, qui inter Tartaros Chriſtiana ſacra amplexi, *presbyteri* IOHANNIS nomine Europaeis innotuere. Quale vero inter ſuos geſſerit nomen, nobis non conſtat, nomen enim IOHANNIS in baptismo videtur accepiſſe.

## §. VIII.

*Alter.* Huic Tartarorum Keritenſium principi quis ſucceſſerit, difficile eſt indicare. Celeberrimus quidem ille Maronita IOSEPH. SIM. ASSEMANI, magnum Romae hodiernae decus et ſupra noſtras laudes poſitum, ex ABVLPHA-

(b) De monachis et Anachoretis Neſtorianorum vid. IOH. SIM. ASSEMANI *Bibl. Oriental.* T. III. P. II. C. XIV. p. DCCCLVII. ſ.

PHARAGIO (a) ingentem Tartarorum turbam refert anno MXLVI. Imaum montem duce NASARATH quodam transiisse, et ad Chasgaram vsque ciuitatem penetrasse: eumque NASARATH alterum Keritensium esse principem siue *presbyterum* IOHANNEM existimat. Quae num recte se habeat sententia, alii videant: nos eam certis documentis destitutos in medio relinquere, aequi rerum aestimatores, in nullius verba magistri iurantes, haud improbabunt.

§. IX.

Certiora et ad veritatis speciem magis accedere ea videntur, quae de illo nobis constant IOHANNE *presbytero*, qui saeculo XII. medio regnauit. Hic Persarum et Medorum Reges fratres bello petiisse, Ecbatanam sedem regni eorum expugnasse et cruento eos proelio deuicisse perhibetur. His rebus gestis, laborantibus in Syria et Palaestina Christianis opem ferre decreuit, quam ob rem castra ad Tygrim fluuium posuit, eumque traiicere tentauit. *Tertius.*

 Ve-

(a) ABVLPHARAG. in *Chron. Syr. ad ann. Heg.* 438. cit. ab ASSEMANO T. III. P. II. C. IX. §. V. p. CCCCLXXXVIII. *Hoc porro anno* (1046.) *Nestorianus Samarkandae metropolita ad Catholicum epistolam misit, quae et in aula Chaliphae lecta fuit. Populus quidam, (aiebat) qui numero locustas aequabat, sibi aperuit exitum per montem positum inter Thebet et Chutan, quem veteres historiae narrant a magno* ALEXANDRO *fuisse clausum. Inde porro egressi Chascharam vsque venerunt. Sunt autem septem Reges, quorum singuli septingenta millia equitum ducunt: eorum vero maximus* NASARATH *nominatur, diuino scilicet mandato praefectus. Sunt autem Indorum ad instar nigricantes, facies suas non lauant, nec capillos tondent, sed ad thiarae modum spissant, eoque inuolucro pro casside vtuntur: optimi sunt sagittarii, cibumque simplicem atque exiguum capiunt. Humanitatem in primis et iustitiam colunt: eorum equi carnibus vescuntur.*

Verum neſcio quo fato impeditus, ad ſuos reuerti coactus fuit. Conſtant nobis haec, quae iam retulimus, ex narratione Gabulenſis epiſcopi, qui ad EVGENIVM III. Pontificem ex Syria legatus Armeniorum venit, cuius mentionem fecit OTTO FRISINGENSIS. (a) Idem hic procul dubio eſt *presbyter* ille IOHANNES, qui ad Conſtantinopolitanum Graecorum Imperatorem litteras (b) miſiſſe fertur, incredibilis arrogantiae plenas, in quibus ſe ab vlteriore India vsque ad Babylonem deſertam dominari, et ſeptuaginta Reges tributa ſibi pendere iactat, multaque alia addit, quibus nemo ſanus fidem habebit. Verum enim vero ſuppoſitam eſſe hanc epiſtolam et ab impoſtore aliquo, eoque procul dubio Neſtoriano, confictam, cuilibet, eam vel fugiente oculo perluſtranti, veri videbitur ſimillimum. Eiusmodi enim Tartarorum Chanus, qui tanta gauiſus fuerit potentia, quanta *presbytero* IOHANNI noſtro in his litteris tribuitur, exſtitit numquam: neque ipſe ZINGIS-CHANVS, qui maximam Aſiae partem ſibi ſubiecit, ſeptuaginta Regibus eſt dominatus, niſi Regum nomine omnes minorum gentium principes, duces et vrbium rectores deſignare velis. Aliae (c) adhuc exſtant ad

(a) Lib. VII. cap. XXXIII Ridicula ſunt, quae addit: *Fertur iſte de antiqua progenie illorum, quorum in euangelio mentio fit, eſſe magorum, eisdemque quibus et iſti gentibus imperans, tanta gloria et abundantia frui, vt non niſi ſceptro ſmaragdino vti dicatur. Patrum itaque ſuorum, qui in cunabulis* CHRISTVM *adorare venerunt, accenſus exemplo, Hieroſolymam ire propoſuerat, ſed praetaxata cauſſa impeditum fuiſſe adſerunt.*

(b) Ipſam epiſtolam ex ASSEMANO T. III. P. II. p. CCCCLXXXVIII. ſ. deſcribemus in appendice noſtra N. IV.

(c) PETIT DE LA CROIX *Hiſt. de Genghizcan* L. I c. II. p. 31. *On voit encore des lettres circulaires écrites de ſa part à des Princes Chretiens pendant le cours de ſon regne. Il y en a au Pape Alexandre III. au Roy de France, à l'Empereur de Conſtantinople, et meme au Roy de Portugal. Elles ſont toutes d'un*

ad diuersos Europae principes litterae, quae *presbytero* IOHANNI vulgo tribuuntur, verum quum ad nos non pervenerint, iis has diiudicandas relinquimus, in quorum scriniis adseruantur.

## §. X.

Vltimus horum principum est is, quem celeberrimus Tartarorum Imperator ZINGIS-CHANVS debellauit. Proprium eius nomen fuit TOGRVL siue (a) TAYRELL, (b) quum autem regnum obtinebat, Imperator Chinensium ei legatum mittens gratulandi caussa titulum conferebat VNCH-CHANI (c) siue AVNAK-CHANI, (d) qui honoris est signum, et *Imperatorem* siue *magnum Chanum* denotat. (e) Ad hunc primae a Pontifice Romano litterae, (f) quas nouimus, datae sunt. Scripsit eas ALEXANDER III. anno MCLXXVII. d. V. Kalend. Octobris dum adhuc Venetiis dege-

*Quartus et vltimus.*



*stile fort elevé, et leur auteur a pretendu donner à ceux à qui elles sont adressées, l'idée du plus grand Prince qui fut alors en Asie. On a en François une copie de celle qui fut ecrite en France au Roy Louis VII. pere de Philippe Auguste; mais le caractere n'a pas plus de trois cens ans, et elle commence par ces mots: Prêtre Iean par la grace de Dieu. Roy tout-puissant sur tous les Chrétiens, salut etc. (cette Lettre est en original chez l'Auteur.)* Quae ex his litteris refert auctor, plane cum ea conueniunt epistola quam appendicis nostrae loco cit. exhibemus.

(a) PETIS DE LA CROIX *Hist. de Genghizcan*, L. I. C. II. p. 30.

(b) ABVLGASI *Hist. Gen. des Tatars* P. II. C. XI. p. 117.

(c) PETIS DE LA CROIX loc. cit.

(d) ABVLGASI loc. cit.

(e) Patet hinc, virum alioqui doctissimum, IOS. SIM. ASSEMANVM, non satis accurate loqui, quum T. III. P. II. C. IX. §. V. p. CCCCLXXXVII. s. omnes Keritensium Chanos VNCH-CHANOS adpellat, hoc enim nomen vltimo fuit proprium, eique a Chinensium Imperatore tributum.

(f) CAES. BARONII *Annal. eccles. Tom.* XII. *ann.* 1177. §. LIV-LVII. p. 684. s.

degeret. Susceperat magister quidam PHILIPPVS Pontificis medicus iter in Tartariam, ex quo redux factus, principem Tartarorum sacris Christianis esse imbutum retulit, sed quum a Romana ecclesia esset alienus, se cum eadem coniungere et in eiusdem doctrina institui, eum desiderare vehementer. Haec PHILIPPI relatio quo loco sit habenda, quum alia nobis desint monumenta, difficile est determinare; principem enim Nestorianum in dissitis Asiae regionibus degentem, patria relicta doctrina, Romano episcopo se subiicere decreuisse, quis sibi persuadebit? Quodsi re tamen vera eiusmodi quid in animo habuit, medicum Pontificis eum decepisse, et Romanensium doctrinam vel ipsum non intellexisse, vel etiam parum sincere explicasse necesse est. Interim Pontifex PHILIPPVM hunc episcopum (g) ordinauit, et in doctrina Romanae ecclesiae diligenter instructum cum iis, quas diximus, litteris (h) in Tartariam remisit. BARONIVS quidem sequentia addit: *Quae autem secuta sint ista, nos latet, nisi quod siue ab ipso* ALEXANDRO *Papa siue ab aliis eiusdem sedis Apostolicae Pontificibus constat, Aethiopibus ipsis regni* PRETEIANI, *Abyssinis dictis, datam ecclesiam S.* STEPHANI *protoMartyris vna cum eius habitationibus, sitam post absidem Basilicae S.* PETRI, *quam in hanc vsque possident diem.* Verum error hicce BARONII ex iis, quae supra §. VI. dicta sunt, satis superque adparet, neque refutatione indiget. Primos hos Pontificum Romanorum conatus nulli euentus, quantum nos quidem nouimus, sunt secuti. Neque quid PHILIPPO legato acciderit, legimus relatum.

CA-

(g) ALBERICVS in *Chron. ad ann.* 1170. *p.* 355. in LEIBNITII *Accessionibus Historicis Tom.* II.

(h) Quas vide apud BARONIVM l. c. et Append. nostrae N. V.

## CAPVT II.

# HISTORIA REI CHRISTIANAE IN TARTARIA A ZINGIS-CHANO VSQVE AD TAMERLANEM.

## §. I.

Talis rei Christianae in Tartaria status erat, quum celebris ille oriretur princeps ZINGIS-CHANVS, qui non solum regnum illorum principum, quos *presbyteros* IOHANNES vocarunt, et de quibus adhuc locuti sumus, euertit; sed maximam quoque Asiae partem in suam redegit potestatem. Tanta huius viri est rerum gestarum et copia et gloria, (a) vt omnes si enarrare vellemus, iustae magnitudinis volumen nullo negotio a nobis conscribi posset. Verum supersedemus hoc labore, quum iam ab aliis susceptus sit, (b) neque propositi nostri ratio illum a nobis exigat. Nos ea tantum attingemus, quae ad rem nostram faciunt. Proprium ZINGIS-CHANI nomen fuit TE-

ZINGIS-CHANVS *presbyterum* IOHANNEM *debellat.*



(a) Venerantur adhuc omnes Tartari memoriam huius principis incredibili modo. Hoc ipso anno caput inter illos extulit homo quidam, qui se ex posteris ZINGIS-CHANI esse tradidit: et hunc statim infinita multitudo tamquam Numen de caelo delapsum sequuta est. Motus nondum a Ruthenis sedari potuerunt, quos rarus hic ZINGIS-CHANI nepos concitauit.

(b) Vid. M. PAVLVS VENETVS *Lib. I. Cap. LII. LIII. p. 44. s.* ABVLGASI *Hist. Geneal. des Tatars Part. III. p. 156. s.* et omnes fere illi, qui Tartarorum mentionem fecerunt: cumprimis vero *Histoire du grand Genghizcan par Mr.* PETIT DE LA CROIX Par. 1710. 8. cui auctori eo maior fides est habenda, quo studiosius scriptores Persarum aliosque codices bibliothecae regiae, quae Parisiis est, manu exaratos perlustrauit. Insudauit huic labori, quem auctore COLBERTO susceperat, vltra decem annos. Vid. *Praef.*

TEMVGIN ſiue TEMVR-CIN, (c) vel vt ab aliis (d) exprimitur, TAMVZIN, quae vox Tartarica lingua fabrum ferrarium ſignificat, ac varios ſefellit ſcriptores, (e) vt eum fabrum olim re vera fuiſſe crediderint. Verum hi longe a veritatis aberrarunt tramite. Natus enim eſt ZINGIS-CHANVS A. cIↃCLXIIII. illuſtri et nobili loco. Pater eius, qui ab aliis (f) PISVCA, ab aliis (g) IESSVGI-BAIADVR-CHAN vocatur, fuit Chanus quidam Tartarorum, qui veteris regionis *Mogoliſtan* dictae prouinciam *Caracataiam* ſupremo cum imperio obtinuit. Annum agentem vigeſimum ad VNGH-CHANVM eum ſe contuliſſe, et in aula ipſius per tempus aliquod eſſe verſatum, nonnulli (h) referunt. Ibi amorem filiae regiae VISVLOGINAE ſibi comparaſſe dicitur, ac propter ea in inuidiam et inſidias procerum quorumdam incidiſſe, ita vt ex aula VNCH-CHANI diſcedere coactus fuerit. Alii (i) ZINGIVM in aula huius principis vmquam fuiſſe negantes, eum apud ipſum delatum eſſe tradunt tamquam res nouas molientem, qui ZINGIVM propter ea ſpecie amicitiae arceſſiuerit, re autem ipſa de medio tollere decreuerit: ZINGIVM denique de ſtructis ſibi inſidiis certiorem factum bellum VNCH-CHANO intuliſſe. Quoquo modo ſe res habet, certum eſt, ZINGIS-CHANVM complures mino-

(c) PETIT LA CROIX libro cit. L. I. C. I. p. 17.
(d) *Hiſt. Geneal.* P. III. C. IV. p. 194.
(e) V. C. HAITHONVM Armenum Cap. XVI. p. 26. GVILLELMVM RVBRVQVIS, vid. eius *Voyage en Tartarie Ch. XIX.* p. 37. dans les *Voyages en Aſie par* P. BERGERON T. I. et alios, ſatis a PETIT LA CROIX l. c. confutatos.
(f) PETIT DE LA CROIX vbi ſupra.
(g) *Hiſt. Geneal. des Tatars* P. III. C. I. p. 157.
(h) PETIT DE LA CROIX *L. I. C. II.* p. 35. ſ.
(i) *Hiſt. Geneal. des Tatars. P. III. C. III.* p. 178. vid. *obſeruatio interpretis.*

norum gentium principes in ſuas partes traxiſſe et vna cum iis hunc Imperatorem bello adgreſſum eſſe. MARCVS quidem PAVLVS (k) cauſſam belli hanc refert, quod ZINGIVS VNCH-CHANI filiam ſibi vxorem poſtulans repulſam tulerit. Narrat, VNCH-CHANVM legatis ZINGII reſpondiſſe: *malo filiam meam* VVLCANO *conſecrare, quam ſeruo meo dare in vxorem:* et eiectis oratoribus addidiſſe: *dicite domino veſtro, quia ad tantam creuiſti ſuperbiam, vt praeſumas petere filiam domini tui in vxorem, en ne potiaris voto tuo, faciam eam amara interire morte.* Sed hoc omni veritatis ſpecie deſtituitur, quum ZINGIVS non ſolum ab VNCH-CHANO bene ſemper ſit habitus, ſed etiam fortitudine ſua atque virtute cum ipſi Imperatori, tum omnibus fere eius purpuratis gratum ſe reddiderit. (l) Praeter ea hac de re reliqui auctores plane ſilent. Venerunt denique ad arma, et inſigni proelio in planitie quadam TANGVT ſiue TANDVC dicta decreuerunt. Ante pugnam magos ſuos et aſtrologos ZINGIVS principum orientalium more, qui artibus diuinatoriis mirifice dediti ſunt, nec in hunc vsque diem aliquid ſuſcipiunt alicuius momenti, niſi conſultis diuinis et aſtrologiae peritis, conſuluiſſe dicitur: (m) qui certam victoriam polliciti ſunt. Equidem

(k) *De region. oriental. L. I. C. LII. p. 45.*

(l) PETIT DE LA CROIX vbi ſupra.

(m) M. PAVLVS VENETVS L. I. C. LIII. p. 45. ſ qui rem ita narrat: CHINCHIS *Tartarorum Rex praecepit incantatoribus et aſtrologis ſuis, vt illi indicarent, qualem euentum praelium futurum eſſet habiturum. Tunc aſtrologi ſcindentes arundinem per longum in duas partes, poſuerunt diuiſiones ipſas in terram, vnamque vocauerunt* CHINCHIS, *et alteram* VNCHAM, *dixeruntque Regi: interim quo nos inuocationes legerimus Deorum, nutu ipſorum fiet, vt hae duae partes arundinis ad ſe inuicem pugnent, et cuius pars ſuper alteram aſcenderit, ille Rex victoriam in praelio obtinebit. Multitudine itaque ad ſpectaculum illud concurrente, coeperunt aſtro-*

dem non dixerim, ipſum ZINGIVM vatibus iſtis fidem habuiſſe, ac vere victoriam ſibi praedici credidiſſe. ZINGIVS omnium eorum, quae ad religionem pertinent, nullam fere rationem habebat, animo quoque nimis erat perſpicaci, quam vt fumum ſibi vendi, ſeque tam impudenter decipi, paſſus fuerit. Quin potius exercitui ipſe impoſuiſſe videtur. Nulla mortales negotia maiori exſequuntur ſtudio, conſtantia atque alacritate, quam ea, quorum proſperum fore euentum ſibi perſuadent, cumprimis ſi quid eiusmodi a Numine praeſignificari et diuina quadam ratione ſibi promitti credunt. Tartari, qui reliquis orientem ſolem ſpectantibus populis ſuperſtitione numquam ceſſerunt, et quidquid impoſtor quilibet atque nebulo illis praedixit, pro certo atque indubitato ſemper habuere, non poterant non forti conſtantique animo pugnare, quum ex his praedicationibus de certa ſibi conſtare victoria putarent. Facile itaque ZINGIVS impoſtores quosdam potuit ſubornare, qui praeſtigiis ſuis barbarum et imperitum populum deciperent. Multo ex vtraque parte ſanguine effuſo, VNGHCHANVS cum filio totoque exercitu in fugam ſe conuertit, et caſtra victoribus reliquit. Primum quidem in vrbem Caracorom, regni ſui ſedem, confugere voluit, verum ab hoſtibus fugienti imminentibus impeditus, ad TAIANVM Naimanenſium principem ſeſe contulit; is vero quum VNGH-

---

*logi murmurare precationes ſuas et legere incantationes: et mox commotae ſunt partes arundinis contra ſe pugnantes, donec tandem pars* CHINCHIS *aſcenderet ſuper partem* VNCHAM. *Quo viſo Tartari de futura certiores facti victoria confortati ſunt.* Haec M. PAVLVS, ceterum hoc diuinationis genus adhuc Mahumedanos, maxime piratas Africanos adhibere, variae peregrinantium relationes confirmant. Antequam nimirum proelium committunt, faciunt vt duo tela, quorum alterum Chriſtianos, alterum Mahumedanos deſignat, inter ſe dimicent. Vid. *Voyages de* THEVENOT L. I. Ch. XXVI. p. 112.

VNGH-CHANI esset inimicus, miserum hunc principem occidi iussit. (n) Neque meliora filii eius, cui SANCVN nomen, fuere fata. Ille enim in Regno Thebet, quo per fugam erat elapsus, similiter vita est priuatus. Hic infelix ille fuit regni tam celebris exitus, et hunc in modum inclytus ille Rex Tartarorum Christianae religioni addictus, (o) quem *presbyterum* IOHANNEM vocarunt, et regno et vita exutus est. Accidit hic memorabilis euentus anno post natiuitatem Seruatoris cIↃCCII. (p) VNGH-CHANO pe-



(n) PETIT DE LA CROIX L. I. Ch. IV. p. 71.

(o) Sacra Christianorum religione licet imbuti fuerint hi principes, vitam tamen ipsorum omni ex parte doctrinae Seruatoris haud fuisse conuenientem, vel inde patet, quod complures mulieres matrimonio sibi iunxerunt. Ipse *presbyter* IOHANNES in litteris suis supra §. IX. citatis, seu quisquis easdem ipsius nomine finxit, disertis verbis: *mulieres*, inquit, *speciosissimas habemus; sed non accedunt ad nos, nisi caussa procreandorum filiorum quater in anno, et sic a nobis sanctificatae, vt* BETHSABEE *a* DAVID, *redeunt quaeque in locum suum.* Qualis haec sanctificatio fuerit, haud difficulter coniicitur. Vltimum, de quo nobis iam sermo est, etiam polygamum fuisse, adserit ABVLPHARAG. *Chron. Syr.* apud ASSEMAN. *T. III. P. II. p. CCCCXCVII. Alia etiam commissa sunt proelia, donec* VNCH-CHANI *copiae deletae sunt, et ipse interfectus est, eiusque* VXORES, *filii atque filiae in captiuitatem abductae.*

(p) PETIT DE LA CROIX L. I. C. IV. *Hist. Geneal. des Tatars.* P. III. C. IV. p. 194. M. PAVLVS VENETVS L. I. C. LII. p. 44. annum cIↃCLXXXVII. perperam designat. Non magis accuratus est WILLELMVS *Monachus* in *Chronico Egmondano*, qui in ANT. MATTHAEI *Analectis veteris aeui* Tom. II. p. 481. ad ann. cIↃ.C.XCIV: *Hoc tempore*, inquit, *Tartarorum Dominium, sicut a plerisque traditur, initium habuit. Hi enim sub montibus Indiae in regione dicta Tartara constituti Dominum suum Regem Indiae* DAVID, *filium* IOHANNIS *presbyteri*, *occidentes ad aliarum terrarum depopulationem processerunt.* Longius adhuc a veritate aberrat HERMANNVS CORNERVS *Chron.* in IO. GE. ECCARDI *corp. histor. medii aeui T. II. p. 818.* vbi non solum hoc euentum ad annum cIↃCIII. refert, verum etiam

peremto ZINGIVS filiam ipsius nomine IASVNSINBEGHI, in matrimonium duxit. (q) Plurimum apud hanc valuit RABBANTA (r) quidam monachus Nestorianus: ipsa nimirum eidem, cui maiores, Nestorianorum sectae erat addicta. Hic reginae et a consiliis fuit et a confessionibus. Ipse sagacissimus atque callidus multa, quae coniectando diuinabat, tamquam certa praedicebat, euentu postea confirmata: et propter ea a Tartaris magni aestimatus, et pro Sancto est habitus. Regina defuncta in vrbe Tauris est commoratus, vbi legati pontificis Romani eum inuenerunt mercaturae operam dantem. Interim non omnem *presbyteri* IOHANNIS familiam esse exstinctam, testimoniis fide dignis potest comprobari. (s) MARCVS

ZINGISCHANVM a Tartarorum Chano distinguit, et eum huius copiis praefectum fuisse refert.

(q) ABVLPHARAG. *Chron. Syr.* cit. ab ASSEMANO *T. III. P. II.* p. DI.

(r) VINCENT. BELLOVAC. *Spec. Hist.* L. XXIX C. LXX.

(s) Episcopus Acconensis in *epistola* quadam ad HONORIVM III. Papam A. 1219. exarata, quae extat in LVCAE D'ACHERY *spicilegio vet. aliquot script. T. III. p. 590.* f. de *presbytero* IOHANNE loquitur tamquam adhuc viuo et opulentissimo principe: *Frater Regis Damasci, dictus* SERAPH, *audiens Regem Indorum* DAVID *terram suam inuasisse, a partibus nostris cum exercitu coactus est recedere. Hic autem Rex* DAVID, *vir potentissimus, et in armis miles strenuus, callidus ingenio, et victoriosissimus in proelio, quem Dominus in diebus nostris suscitauit vt esset malleus paganorum, et perfidi* MACHOMETI *pestiferae traditionis, et execrabilis legis exterminator est, quem vulgus Presbyterum* IOANNEM *appellat: qui cum Fratrum suorum minimus esset, sicuti de sancto Rege Israel* DAVID *Propheta legimus, omnibus praepositus est, et in Regem diuinitus coronatus. Quam mirabiliter autem Dominus ipsum his diebus promouerit, et eius opera magnificauerit, gressus illius dirigens, et populos innumeros, gentes, tribus, et linguas eius ditioni subiiciens, ex transcripto chartae subsequentis patebit, quam de arabico in latinum per fideles interpretes, prout melius potui-*

CVS enim PAVLVS, (t) qui circa annum saeculi XIII. septuagesimum loca illa perlustrauit, disertis verbis dicit, *eamdem prouinciam, in qua presbyter* IOHANNES *regnaverat, habere adhuc regem de progenie illius principis.* Immo vero in prouinciis Tenduch, India et Chataia Reges ex progenie VNCH-CHANI magno tamen Tartarorum Chano subiecti ad annum cIↃCCC. vsque regnarunt. Id confirmat IOHANNES DE MONTE CORVINO, (v) qui saeculo XIV. ineunte in Tartaria euangelium praedicauit, quum in litteris ex Tartaria datis: *Regem*, perhibet, *quemdam illius regionis* GEORGIVM, *de Secta Nestorianorum Christianorum, qui erat de genere illustri magni Regis, qui dictus fuit presbyter* IOHANNES *de India, primo anno, quo eo venerit, sibi adhaesisse, et ad veritatem verae fidei catholicae per se conuersum, minores ordines suscepisse, sibique celebranti regiis vestibus indutum ministrasse.* (x)



*mus, transferre procurauimus. Habet autem Rex* DAVID *tres exercitus: quorum vnum misit in terram* COLAPH *fratris Soldani Aegyptii, alium misit in Baldach, tertium misit versus Mausam, quae prisco nomine Niniue nuncupatur. Et iam non distat ab Antiochia nisi per XV. diaetas, festinans venire vsque ad terram promissionis, vt visitet sepulcrum Domini, et reaedificet ciuitatem sanctam. Prius tamen proposuit Domino concedente, subiugare nomini Christiano terram Soldani Iconiensis, Calaphiam, Damascum, et omnes regiones interiacentes, vt nec vnum post se relinquat aduersarium.* Haec episcopus Acconensis. Hic vero *Presbyter* IOHANNES vel aliquis posterorum istius principis fuit, vel ipse, quod fere crederemus, ZINGISCHANVS, quem incerti mercatorum et militum rumores a vero *presbytero* IOHANNE non satis videntur distinxisse.

(t) *De region. oriental.* L. I. C. LXIV. p. 55.

(v) De hoc IOHANNE DE MONTE CORVINO infra pluribus agemus.

(x) FRANCISCVS quidem PAGI in *Breuiar. Gestor. Pont. Rom. Tom. III.* p. 104. progeniem hanc *presbyteri* IOHANNIS se-

## §. II.

*Reliqua* ZINGIS-CHANI *gesta.*

Redactis in suam potestatem *presbyteri* IOHANNIS prouinciis, ZINGIVS ab omnium Mogulensium tribubus Imperator siue magnus Tartarorum Chanus est declaratus, eaque occasione nomen ZINGIS sibi sumsit. (a) Vox ZIN in lingua Mogulensium *magnum* significat, (b) syllaba vero GIS id, quod maximum et supremum est, ita vt ZINGIS *maximum* et ZINGIS-CHAN *maximum Chanum* siue principem denotet. Accedebat eum in finem ad ipsum COKZA quidam vitrici eius filius, seque a Deo missum iactabat, vt nomen hoc ei imponeret. Veri est simillimum, ipsum Imperatorem hominem hunc subornasse, vt eo maiorem sibi apud suos auctoritatem conciliaret. Illi enim quis morem gerere recusabit, cui ab ipso Supremo Numine titulus magni principis est tributus? Siue autem is impostor fuerit, siue mente captus, nostra quidem nihil refert: certum est, Imperatorem hoc nomen accepisse, nec in posterum alio fuisse insignitum. Regnauit ab hoc tempore, ZINGIVS XXIIII. annos, (c) quibus perpetua bella gessit, ac praecipuam Asiae partem sibi subiecit. Non solum enim vniuersam magnam Tartariam, verum etiam Persidem, Asiam minorem et regnum illud, quod *magni Mogolis* hodie vocatur, in suam redegit potestatem, immo in

mininam esse vult, quoniam teste MARIN. SANVTO, *Secr. Fidel. Cruc. L. III. P. XIII. C. IV. p.* 235. VNGH CHANVS cum tota familia occisus fuerit, excepta vnica eius filia, quam ZINGIVS vxorem accepit; verum an MARINO SANVTO hac in re tanta fides sit habenda, valde dubito.

(a) *Hist. Geneal des Tatars*, P. III. Ch. IV. p. 194. PETIT DE LA CROIX L. I. C. VI. p. 110.

(b) *Hist Geneal.* l. cit.

(c) M. PAVLVS VENETVS L. I. C. LIII. p. 46. ZINGIVM post mortem VNCH-CHANI sex tantum annos regnasse perperam refert.

in Chinam ipſam penetrauit, et vbique quidquid ſeſe ei oppoſuit, ferro flammaque deleuit. Adeo vt huic ZINGIO titulus *magni* principis maximo iure debeatur, ſi modo ii vere magni ſunt principes, qui gentes, in quas nullum ipſis ius competit, debellant, qui populos iuſtis Regibus orbatos ſibi ſubiiciunt, et bello omnia deuaſtant. (d) Nouam eamque inſignem in Chinam expeditionem ZINGIVS anno cIↃCCXXVI. moliebatur, quum morbo correptus ex vita migrabat. (e) Princeps ſane fuit, id quod ex tota eius hiſtoria conſtat, praeclaris animi dotibus inſtructus, prudentia ſingulari, perſpicaciſſimoque, et ad maxima negotia cum ſuſcipienda, tum exequenda aptiſſimo ingenio praeditus; verum idem nimis fuit crudelis, et erga hoſtes de-



(d) Sapientiſſime hoc negat ingenioſiſſimus Gallorum Satyricus NICOLAVS BOILEAV DESPREAVX *Tom. I. Opp. Sat. VIII. p. 131. v. 99. ſ.* vbi ita canit:

*Quoi donc? à votre avis, fut-ce un fou qu'*ALEXANDRE?
*Qui? cet écervelé, qui mit l'Aſie en cendre?*
*Ce fougueux l'*ANGELI, *qui de ſang alteré,*
*Maître du Monde entier, s'y trouvoit trop ſerré?*
*L'enragé qu'il étoit, né Roi d'une province,*
*Qu'il pouvoit gouverner en bon et ſage Prince;*
*S'en alla follement, et penſant être Dieu,*
*Courir comme un Bandit qui n'a ni feu ni lieu;*
*Et traînant avec ſoi les horreurs de la guerre,*
*De ſa vaſte folie emplir toute la Terre.*
*Heureux! ſi de ſon tems, pour cent bonnes raiſons,*
*La Macedoine eût eu des Petites-Maiſons,*
*Et qu'un ſage Tuteur l'eût, en cette demeure,*
*Par avis de Parens, enfermé de bonne heure.*

Locum hunc CAROLVS XII. Rex Suecorum quum legiſſet, folium lacerauit. VOLTAIRE *Hiſt. de Charles XII. Tom. I. p. 243.*

(e) De morte, quam oppetiit ZINGIS-CHANVS, non conuenit inter auctores. M. PAVLVS eum ſagitta in genu percuſſum, quum caſtrum quoddam expugnare moliretur, obiiſſe, perhi-

deuictos, quod commune fere est vitium Tartarorum, parum clemens humanusque. Religionem vix ac ne vix quidem videtur curasse. (f) Ipse qua fuit prudentia, aliqua Dei ac prouidentiae diuinae cognitione praeditus, vnum tantum existere Deum credidit, atque etiam a subditis eamdem fidem requisiuit, (g) neque idola vmquam coluit. Verum enim vero de humanitate ceterisque, quae vel ipsa naturae lex praescribit, officiis, quae aliis debemus homininibus, parum illum sollicitum fuisse, ex omnibus eius actionibus abunde constat: sic vt neque Christianus fuerit, neque MAHOMETIS assecla, neque idolorum cultor. Hoc autem non impediit, quo minus subditi eius idolorum ex parte fuerint cultores, immo vero ipso regnante Tartari ea superstitione imbuti fuere. Saepe nimirum accidit, vt quum principes religione destituuntur, ciues eorum sint superstitiosissimi. Acceperunt (h) Tartari hunc cultum

---

bet L. I. C. LIII. p. 46. quem secutus est PETR. BIZARVS *Rer. Pers. L. VIII. p. 220.* MARINVS autem SANVTVS *Secr. Fidel. Cruc. L. III. P. XIII. C. V. p. 235.* eum fulmine esse percussum tradit. Alii vero illum naturali morbo decessisse ferunt, vid. PETIT DE LA CROIX L. IV. Ch. XIII. p. 485. s. *Hist. Geneal.* P. III. C. XIX. p. 341. s. Et his quidem auctoribus fidem denegare non audemus.

(f) ABVLGASI *Hist. Geneal. P.* III. *Ch. X p. 219. Note du Traduct. Il est apparent que semblable à tous les autres grands Conquerans il avoit peu ou point de religion, et que c'est de là que vint cette egalité avec laquelle il traitta toutes les religions.*

(g) HAITHO ARMENVS *de Tartaris* C. XVI. *p. 28.* Haec prima lex est earum, quae a ZINGIS-CHANO latae *Iassa* vel *Iasac* postea vocatae sunt. Ceterum de religione ZINGIS-CHANI IO. HENR. HOTTINGERVS *Histor. Eccles. Secul. XV. Sect.* II. *p. 605 s.* copiose, sed parum distincte atque solide egit. Conf. quoque HERBELOT *Bibl. Orient. p. 382. voce Genghizkhaniah.*

(h) ABVLPHARAG. *in Chron. Syr.* cit. ab ASSEMANO Tom. III. P. II. C. IX. §. 5. p. 469. s. et alii. Multos tamen inter *Iuguritas* fuisse Christianos, ex HAITHONE ARMENO C. II. p. 3. constat.

tum vna cum litteris scribendique arte a gente illa, quae *Juguritarum* (i) nomine est insignita. Celebratur hic populus propter artem litteras pingendi, (k) cuius admodum peritus fuisse dicitur. Vsus est ZINGIS-CHANVS compluribus eorum ad negotium litterarum, et ab epistolis sibi illos esse voluit.

## §. III.

Ex vita discedens ZINGIS-CHANVS quatuor reliquit filios, qui VGADAI, ZAGATAI, TAVLAI et ZVZI vocabantur: eorum primum regni successorem constituit. (a) VGADAI (b) quum imperium suscepisset, certis

VGADAI-CHAN. ZAGATAI *conuertitur.*

tis

(i) Habitauit hic populus in regno Tharsae secundum HAITHONVM l. cit. quod inter iuga montis Caucasi situm fuisse necesse est, quoniam auctor *Historiae Genealog.* P. II. C. VII. p. 91. *Iuguritas* illic collocat. Hi procul dubio *Iusbergi* illi sunt, Tartari Persis vicini, quos Christianos olim fuisse obseruat CLAVD. SICARDVS Iesuita in *Memoires des Missions* T. VI. p. 199. MATTH. MINCHOVIVS de *Sarmat. Asiat.* L. I. C. X. f. eos *inuasisse* scribit *in Gothos*, *Alanos*, *Ruthenos*, *demum ibi sedem fixisse, vbi nunc est Hungaria, cui de se nomen dederint.* Amplam Iuguritarum descriptionem videsis in *Voyage de* GVIL. RVBRVQVIS *C. XXVI. p. 53.* f. qui sermones cum eis habuit ac disputauit.

(k) Litterae eorum eaedem sunt, quibus hodienum Tartari vtuntur, quas cum characteribus Bengalensium et Tangutensium conuenire, adserit MATH. VEISS. LA CROZE *Hist. du Christ. des Indes L. VI. p. 515* De ipsa, quae apud Tartaros vsitata est, scribendi ratione vid. *Relation de la Tartarie Asiatique Ch. XXII. p. 281.* f. dans le *Recueil de Voyages au Nord, Tom. X.*

(a) Obiter hic obserues, M. PAVLVM VENETVM parum esse accuratum, in enarrandis Regibus Tartarorum, qui ordine sibi successerunt. Ita enim eos *L. I. C. LIV. p. 46.* recenset, 1 ZINGIVS, 2. CVI, 3. BARCHIM, 4. ALLAV, 5. MONGV, 6. CVBLAI. At CVI et BARCHIM non supremi Imperatores fuere, sed primus VGADAI filius, et alter eius nepos. Praeter ea CVBLAI quintus non sextus Imperator fuit.

(b) HERBELOT *Bibl. Orient. p. 684.* eum OCTAI, HAITHONVS

tis regni Tartarici prouinciis fratres praefecit. ZAGATAI Transoxanam tenuit prouinciam ſiue Mauaralnaharam; TAVLAI Choraſanam, Perſiam et Indiam; ZVZI Alaniam, Ruſſiam, Bulgariam. Horum ZAGATAIVS in ciuitate Samarkanda diuinam IESV CHRISTI doctrinam publice eſt profeſſus. Ea occaſione baſilica magna a Chriſtianis in memoriam S. IOHANNIS baptiſtae eſt exſtructa, in qua inſigne eueniſſe prodigium M. PAVLVS VENETVS (c) memoriae prodidit. Ita nimirum erat aedificata, vt tota eius teſtudo vni niteretur columnae, cui fundamenti loco lapis (d) quidam, quem Chriſtiani Saracenis eripuerant, ſuppoſitus erat. ZAGATAIO autem defuncto, Saraceni lapidem repetebant, eumque columnae ſubducendo totam disiicere aedem decreuerant. Sed opportune S. IOHANNES baptiſta aedi ſuae periclitanti miraculo quodam ſuccurrit, et vt lapide remoto columna in aere ſuſpenſa maneret, nec decidendo teſtudinem poſt ſe traheret effecit. Addit M. PAVLVS, miraculum ad ſua vsque tempora durare. Verum etiamſi fidem auctoris in dubium vocare nolumus, tamen a perito architecto eiusmodi miraculum mille modis effici poſſe, prudens quisque facile confitebitur. Ipſe quidem VGADAI etſi CHRISTVM non coluit, neque tamen adeo Chriſtianis inimicus videtur fuiſſe. Neſtoriani ſane ſub eius imperio floruerunt, ac multos in ipſa Tartaria coetus habuerunt. Patet hoc ex epiſtola (e) fratris cuiusdam PHILIPPI

---

*C. XVIII. p. 33.* HOCCOTA, et MARIN. SANVT. *Secr. Fidel. Cruc. C. XII. P. XIII. C. V. p. 235.* OCTOTA vocat.

(c) L. I. C. XXXIX. p. 33.

(d) Hic lapis ſine dubio niger ille lapis eſt Meccanus, quem Mahumetani diuinis paene honoribus adficiunt. V. HERBELOT v. *Carmathi*, et paſſim p. 41. EDV. POCOCK *Specim. Hiſt. Arab.* p. 119.

(e) Quam vide in IAC. ECHARD. *Script. Ord. Praed. T. I. p. 104.* et in Append. noſtra N. VI.

PI Dominicani, qui in Terra sancta *prioris*, quem vocant, munere functus est, et circa annum cIↃCCXXXVII. has, quas diximus, litteras ad GREGORIVM IX. pontificem dedit, et Catholicum Nestorianorum Romanae ecclesiae fauere docuit. Refert quidem SPONDANVS, (f) Tartaris quibusdam circa idem tempus occurrisse monachos nonnullos nigros Syrianos, siue Graecos cum cruce, cereis et aqua sacrata, vt eos sibi propitios redderent; Regem vero Tartarorum eosdem de vitae genere ac de religione interrogatos, cum omni substantia includi iussisse, et flammis impie absumi, addita ironia, *magno se illos adficere beneficio, quod cum omni substantia transmitteret ad Deum suum.* Verum non tam ipsi VGADAIO facinus hoc videtur tribuendum, quam ducibus eius, qui in Syriam his temporibus magno cum exercitu irruentes, crudelissime vbique se gessere. (g) Ipsum VGADAIVM hominem strenuum atque prudentem et a Tartaris valde dilectum fuisse scribit HAITHONVS. (h)

## §. IIII.

Annis cIↃCCXXXXI. et sequenti Tartari magnam cladem Hungariae, Poloniae atque Russiae attulerunt. (a) Miserat (b) anno cIↃCCXXXVII. contra has terras VGADAIVS filium KAIVKVM, BATVM filium fratris ZVZI, *Tartari occidentem vastant.*

*Hist. Eccl. Tart.* F et

(f) HENR. SPONDANI *Annal. Tom. I. ad ann. 1237. n. II. p. 124.* ex ALBERTI *Chron. ann. 1238. p. 567.*

(g) ANT. MATTHAEI *Anal. vet. aeui, Tom. III. p. 159.* conf. §. seq.

(h) *De Tartaris C. XVIII. p. 33.*

(a) Vid. ODOR. RAYNALD. *Annal. T. XIII. ann. 1241. n. 1. p. 501. s.* ABR. BZOVIVS *Annal.* T. XIII. *ad ann. 1241. n. 1. p. 470. s.* Conf. PETR. DE REWA *de Monarchia et corona regni Hungariae, Centur.* III. p. 15. 16.

(b) *Histoire Geneal. des Tatars.* P. IV. C. I. p. 365.

et BAIDAR fratris ZAGATAI filium. Gubernabat eo tempore Vngaros Rex BELA, cui, quod faciliorem ad se aditum Cumanis quam Vngaris praeberet, hi eorum inimici non adeo bene volebant. BELA in tanta calamitate petiit auxilia a FRIDERICO II. Romanorum Imperatore et GREGORIO IX. Pontifice. Hic quidem peculiaribus ad eum litteris datis, easdem illis, qui contra Tartaros essent merituri, immunitates concessit, quas cruce signatis impertiri consueuerat, aliisque ad Regem missis litteris ipsum consolari est conatus. (c) Nefandis Vngarorum sceleribus hanc calamitatem tribuunt auctores. Non modo enim populus, sed cumprimis etiam monachi sese flagitiis inquinauerant. GREGORIVS BELAE precibus sollicitatus archiepiscopo Strigoniensi prouinciam monasteria Benedictinae familiae lustrandi ac monachos coercendi iniunxerat, qui tamquam scurrae vagabantur, et flagitia, quae ne nominare quidem fas est, in se committebant. Ex Vngaria Tartari in Poloniam irruentes ad Silesiam vsque penetrarunt et cruentissima vbique vestigia reliquerunt. Vitoniensi monasterio igne deleto et sacris in eo virginibus occisis, Lancicienſem, Cuiauienſem et Siradienſem tractum pererrarunt et Silesiam infestarunt. Quibus auditis, HENRICVS Silesiae et Cracouiae dux aciem contra eos instruxit, aut vincendum aut moriendum esse ratus. Igitur cum triginta millibus militum acerimo proelio cum iisdem congressus ac fortiter pugnans gloriosa morte in campo Volstadt, quod a Lignicio prope abest, occubuit. Cadaueri Principis caput barbari amputarunt, hastaeque infixum circumtulerunt. Tanta in hoc proelio strages Christianorum edita dicitur, vt Tartari auriculis occisorum, quas singulis singulas praeciderant, nouem ingentes sac-

(c) Vtramque epistolam ex RAYNALDO l. cit. n. 18. 19. describemus Append. N. VII. et VIII.

ſaccos expleuerint. Hanc victoriam magica arte Tartari ſibi feruntur comparaſſe. (d) Erat, vti perhibent, in extremo illorum agmine, vexillum litterae X figura inſignitum, cuius cuſpis tetram nigramque capitis humani barbati imaginem prae ſe ferebat. Id a ſignifero concuſſum fumum ac nebulam denſiſſimam exhalabat. Et hanc non modo hoſtium adſpectu Chriſtianos militantes priuaſſe verum etiam odore teterrimo eos enecaſſe tradunt. Magicis artibus hoc Tartari effeciſſe dicuntur, quibus iuxta ac ceteris diuinationum generibus ad noſtra vsque tempora vtuntur. Enim vero quamuis eiusmodi nebulae Tartaros victoriam debuiſſe non imus inficias, illam tamen magorum et veneficorum artibus eſſe excitatam vt credamus, nemo ante a nobis impetrabit, quam inuictis effecerit argumentis, ita ſerenum et temperatum eo tempore caelum fuiſſe, vt ordinariis naturae legibus craſſiores aeris vapores condenſari haud potuerint. Tartari hac reportata victoria ad Auſtriae et Bohemiae fines vsque omnia deuaſtarunt. In Aſia paullo poſt VGADAI regnum Turquiae occupauit, (e) debellatis anno cIↃCCXXXXIIII. Turcis ad locum quemdam Conſedrak dictum.

## §. V.

*Legationes Pontificis in Tartariam.*

Hae Tartarorum in Europa caedes atque rapinae INNOCENTIVM IV. Pontificem eo adduxerunt, vt ſacros ad Tartaros mittere oratores decreuerit, qui euangelium eis praedicarent, et ad veritatem et moderationem barbaram et incultam gentem adducerent. Studione hoc fecerit, Chriſtianam religionem propagandi, an vero ad ferocem populum tantum domandum difficile dictu eſt. Ignorare non poterat, barbaros et indomitos populos ad fidem

 Chri-

(d) ABR. BZOVIVS *loc. cit.*

(e) HAITHO ARMENVS Cap. XVIII. p. 34.

Christianam conuersos immanitatem exuisse, et mansuetos mitesque esse redditos. Et hanc sine dubio ob caussam religione Christiana eos imbuere voluit. Varios ergo euangelii praecones, alios ex Dominicanorum, alios ex Franciscanorum ordine ablegauit. Duabus hisce familiis ab eo, quo institutae sunt, tempore Pontifices semper sunt vsi in legationibus, quas euangelii praedicandi caussa ad barbaros destinarunt. Hi enim pauperes atque mendici monachi duro et molesto vitae generi adsueti et paucis contenti erant, famem ac sitim tolerare poterant, nec ita magnos a domino suo requirebant sumtus. In arte insuper disputandi optime instructi, ad conuincendos errantes prae ceteris idonei videbantur. Fides quoque ipsorum atque obedientia Romanis episcopis perspecta magis erat, quam reliquorum clericorum, qui suorum saepissime commodorum studiosiores erant, quam Pontificis. Fuerunt hanc ob caussam hi bini ordines Romanae sedis missionarii, vt ita dicam, perpetui, donec societas, quae a IESV vocari voluit, orta est, et legationes sacras suscepit. Misit (a) INNOCENTIVS ad Tartaros ex ordine Dominicanorum ANSELINVM vel ASCELINVM Lombardum, ALBERICVM, ALEXANDRVM, et SIMONEM de S. QVINTINO Gallum, qui ad primum, qui ipsis

(a) Memoriae mandatum est vtrumque iter et Dominicanorum et Franciscanorum. Gesta ANSELINI descripsit SIMON itineris comes et laborum particeps: obseruauit et IOHANNES de PLANO CARPINI quae sibi contigerunt, et simul de moribus Tartarorum egit. Vtrumque transcripsit VINCENTIVS BELLOVACENSIS *Spec. histor. L. XXXI. C. XL.* ex quo S. ANTONINVS *Chron.* P. III. *Tit. XIX. C. V. §. III. fol. XLI. s. et C. VIII. §. XX. fol. LIII. s.* et alii illud retulerunt. Exstat quoque iter ASCELINI in *Recueil de Voyages en Asie* par P. BERGERON, *Tom. I.* et IOHANNIS de PLANO CARPINI in eodem volumine, nec non in *Recueil de Voyages au Nord Tom. VII. p. 330. s.*

ipſis obuiam fieret, Tartarorum exercitum accederent, et litteras Pontificis illi traderent. Ex ordine Minoritarum ſeu Franciſcanorum amandauit LAVRENTIVM Luſitanum cum aliis ex eadem ſocietate, data ad Tartaros epiſtola III. Non. Martii conſignata: nec non IOHANNEM de PLANO CARPINI et BENEDICTVM Polonum cum litteris eodem die exaratis. Verum enim vero licet hae legationes, cum Dominicanorum, tum Franciſcanorum vno eodemque inſtitutae ſint anno, valde tamen differunt et perperam a nonnullis (b) confunduntur. S. FRANCISCI enim ſodales per Bohemiam, Sileſiam, Poloniam iuere; S. DOMINICI autem praeceptis addicti mare conſcenderunt, inde per Armeniam in Perſidem profecti ſunt. Praeter ea IOHANNES de PLANO CARPINI cum ſociis ad ipſum magnum Chamum eſt miſſus, eumque adiit: ASCELINVS vero ad propinquiorem apud Perſas Tartarorum exercitum eiusque ducem BAIOTH NOI ibi agentem peruenit, ſeque ad eum tantum miſſum eſſe, conteſtatus eſt ſemper. Quae quidem omnia ex dicendis clarius patebunt.

## §. VI.

*Dominicani ad Tartaros accedunt.*

Quatuor illis, quos nominauimus, Dominicanis quidam alii ex eodem ordine ſe iunxerunt, ANDREAS nimirum DE LONGIVMELLO, qui orientem iam antea praedicandi euangelii cauſſa peruagatus erat, et GVISCARDVS Cremonenſis, quem Tiflis tranſeundo ſecum adſumſerant, vt harum regionum peritum; ille vero menſibus quinque tantum cum illis fuit, et in reditu Tiflenſe huius ordinis coenobium, vbi iam annos VII. tranſegerat, repetiit. Adgreſſi (a) ſunt iter circa anni cIↃCCXXXXV.

 men-

(b) Verbi cauſſa ab ABR. BZOVIO *Annal. Tom. I. ad. ann.* 1245. *n XIII. p.* 517.

(a) Vid. ipſum ASCELINI *iter* ſupra citatum. IAC. ECHARD. *Scriptor. Praed. Tom. I. p.* 122. *a.* HENR. SPONDAN. *ad ann.* 1245.

menſem Iulium et peruenerunt in Perſidem anno cIↃCCXXXXVII. in caſtra BAIOTHNOI, vnius ex praecipuis ducibus Tartarorum, qui eas regiones valido cum exercitu occupabat. Verum ex omnibus eorum geſtis atque ſermonibus luce clarius eſt, eos parum prudenter munere ſuo eſſe functos, et ſtulta ſua arrogantia totam legationem omnesque labores inutiles reddidiſſe. Vix in caſtra Tartarorum peruenerant, quum BAIOTHNOI quosdam purpuratorum cum interpretibus ad eos mittebat, qui, vnde venirent et a quonam miſſi eſſent, ex iis quaererent. Sed ASCELINVS arroganter reſpondit: *Ego ſum domini papae nuntius, qui apud Chriſtianos maior dignitate omni homine reputatur; et ab eisdem illi tamquam patri et domino reuerentia exhibetur.* Longe aliter hodie Pontificis legati loquuntur, neque ſtatim maximam Romani epiſcopi poteſtatem iactanter praedicant. Tartari, qui ipſi inflati et de eminentia principis ſui perſuaſi erant, his auditis non poterant non valde illis indignari. Mirabundi igitur interrogabant: *quomodo ſuperbe loquentes dicitis, quod Papa dominus veſter maior ſit omni homine? Numquid ſcit ille, quod Cham ſit Dei filius, et quoniam* BAIOTHNOI *et* BATV *ſunt principes eius, nomina eorum diuulgantur et multiplicantur vbique?* Reſpondit ASCELINVS, ignorare Pontificem, quis Cham, quis BAIOTHNOI ſit, accepiſſe vero, barbaram gentem Tartarorum omnia crudeliſſime deuaſtare, et ad eos mitigandos ſe ab illo eſſe miſſos. Poſtularunt deinde Tartari ab ASCELINO et ſociis, ſi principis conueniendi vellent habere poteſtatem, vt ter genua flectentes, ipſum adorent tamquam filium Dei regnantem ſuper

*n. VI. p. 154.* RAYNALD. *ad ann.* 1247. *n.* 78. *ſ.* Add. HERMANNVS CORNERVS *Chron.* in IO. GE. ECCARDI *corp. hiſtor. medii aeui T. II. p.* 591. qui tamen ad annum quadrageſimum nonum hanc legationem refert, quod ſi de reditu monachorum intelligit, tolerari poteſt.

ſuper terram. In ancipiti hoc ſuper mandato haerentes, a GVISCARDO edocti ſunt, cultum hunc minime pro diuino eſſe habendum, quin potius pro ſigno ſubiectionis et reuerentiae ab omnibus nuntiis huic Principi exhiberi ſolito. Id ASCELINVS ſincere ſatis retulit, ſed imprudentiam quoque ſuam prodidit. Hoc enim non obſtante a veſana ſua ſuperbia haud potuerunt impetrare, vt ciuili hoc atque conſueto Tartarorum more principem colerent: ſed timentes ne quid de auctoritate Pontificis detraherent, reuerentiam principi denegarunt, addentes, ſi Chriſtianam vellet ſuſcipere religionem, tunc ſe illum cultum ei eſſe exhibituros. Egregiam ſane rationem Tartaros ad Chriſtum adducendi! Maximi momenti, ſi diis placet! cultum monachorum quorumdam mendicantium fuiſſe neceſſe eſt, qui pro argumento potuerit haberi, veritatem religionis IESV CHRISTI hominibus barbaris et a pietate remotis perſuadendi. Inconſiderata haec Dominicanorum pertinacia adeo BAIOTHNOIVM exacerbauit, vt eos occidere decreuerit, verum a reliquis ducibus reoucatus iis pepercit. Redeuntes igitur Tartari ex illis quaeſiuere, quanam denique ratione dominum ſuum eſſent culturi? Reſpondit ASCELINVS, non alia, quam capitium paullum detrahendo et caput inclinando. Merito autem Tartari cultum, quem lignis lapidibusque Romana exhibet eccleſia, illis obiecere, neque eos ad colloquium Regis admiſere: ſed iuſſit BAIOTHNOI eos magnum Chamum adire, vt gloriae atque maieſtatis ipſius teſtes eſſent. Verum noluit ASCELINVS, ſeque non ad magnum Chamum, ſed ad primum modo, quem offenſuri eſſent, Tartarorum exercitum, eſſe miſſos perhibuit. Acceptis denique litteris Pontificis, BAIOTHNOI eis alias (b) ad illum dedit, in quibus non minorem arrogantiam prodidit, quam monachi, et Pontificem, vt ſubiectum

(b) Quas vide in Appendice noſtra N. IX.

iectum animum publice testaretur, ad se venire iussit. Et sic legati Pontificis re infecta reuersi sunt. Insumserunt in hoc itinere tres annos et septem menses. ASCELINVS enim, qui anno cIↃCCXXXXV. medio se itineri accinxerat sub finem anni cIↃCCXXXXVIII. aut initium sequentis Lugdunum est reuersus. (c)

## §. VII.

*Franciscanorum legatio.* KAIVKVS *Tartarorum Chanus.*

IOHANNES (a) de PLANO CARPINI, qui sodalis olim ipsius S. FRANCISCI fuit, cum sociis an. cIↃCCXXXXVI. in Bohemiam processit, (b) et a Rege exceptus, transmissus est ad ducem Silesiae BOLESLAVM nepotem suum. Is ad CONRADVM Lantisciae ducem eos curauit deduci, cuius tum hospes fuit WASILICO, qui eos de statu et progressibus Tartarorum certiores fecit. Audientes vero munera barbaris esse adferenda, omnibus illis distractis, quae in itinere acceperant, pelles et vestes pretiosas coemerunt. His auditis CONRADVS cum vxore, episcopo et aliis nobilibus multis eos donis cumularunt, et precibus WASILICONEM adduxerunt, vt propriis sumtibus secum eos in Russiam abire iusserit, et diebus aliquot refecerit. Coeperunt interim de Graeca ecclesia cum Romana coniungenda agere, sed nihil effecerunt. Dato itineris duce eos WASILICO dimisit Kiouiam, quae Russiae caput

(c) Nullam omnino ABR. BZOVIVS fidem meretur, dum T. XIII. *ann. 1254. n. XIII. p. 518.* ASCELINVM vna cum IOHANNE DE PLANO CARPINI et BENEDICTO Polono martyrio esse coronatos perhibet.

(a) LAVRENTII illius Lusitani Minoritae, quem Pontifex cum litteris eodem anno ad Tartaros misit, nulla fere ab auctoribus fide dignis mentio est facta. Ipsas interim, quas a Pontifice accepit, litteras, Appendicis nostrae N. X. exhibebimus.

(b) LVCAE WADDINGI *Annal. Minor. T. III. ad ann. 1245. n.* IV. *p.* 118. *f.* cumprimis vero ipsa IOHANNIS relatio supra a nobis citata.

caput erat et metropolis, ſed a Tartaro quodam duce occupata. Sumtis ibi equis Tartaricis duorum dierum itinere Conomem peruenerunt villam Tartarorum, inde primam Tartarorum ſtationem ingreſſi ſunt. Occurrerunt illis praefecti Tartarorum rationem itineris ſciſcitantes, quam ex litteris Pontificis breuibus expoſuerunt. Inde poſt varia pericula et incommoda ad aulam ducis BATHI acceſſerunt, qui eos ad ipſum Imperatorem magnumque Chanum iuſſit proficiſci. Peruenerunt denique in ipſam veram et antiquam Tartarorum patriam. Ex vita eo tempore VGADAI exierat, eique filius KAIVKVS ſuccedebat. Intererant legati Pontificis ritui coronationis Imperatoris. Videbatur is quadraginta annorum, vir mediocris ſtaturae, prudens, ſagax et tantae moderationis et grauitatis tenax, vt raro aut numquam rideret. Spondebant Graeci, qui curiam eius incolebant, clerici, eum fore Chriſtianum: id quod propter ea non incredibile videbatur, quod ante tentorium ſacellum erat exſtructum, in quo ſacra Chriſtiana Graecorum more publice celebrabantur, et ea qui curabant, regiis expenſis alebantur. Benigne eos excepit Imperator, cui litteras Pontificis (c) tradiderunt: et aliam ipſis epiſtolam ad Romanum epiſcopum dedit, quam interpretatam a Saracenis in linguam eorum, ipſi latinam reddiderunt. Addit PAVLVS PANSA, (d) IOHANNEM hunc, BENEDICTVM et reliquos ſocios ad Pontificem anno cIↃCCXXXXVII. regreſſos narraſſe, Imperatorem ab eis inſtitutum in fidem catholicam valde propendiſſe, magnamque eis ſpem ingeſſiſſe, fore, vt breui tempore eamdem amplecteretur, et vere poſtea amplexum fuiſſe: KAIVKVM inſuper varia Pontifici dona miſiſſe, et hunc quidem IOHANNEM de PLANO CARPINI propter le-



(c) Vid. Appendix noſtra. N. XI.

(d) In *vita* INNOCENTII cit. a WADDINGO *vbi ſupra.*

gationem prudenter peractam episcopum Antibarensem constituisse, hac addita laudatione: *Benedictus sis a Domino et a me ipsius vicario, video enim in te vere compleri vocem illam sapientis, sicut frigus niuis in die messis, ita legatus fidelis ei, qui misit eum: animam illius requiescere faciet. Euge! ergo serue bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam.* Et sane Franciscanos hosce maiori prudentia et moderatione munus suum obiisse, quam Dominicanos, quorum §. anteced. mentionem fecimus, necesse est. Interim neque hi multum videntur effecisse. KAIVKVM a Christiana religione non nimis auersum fuisse, negari nequit, immo vero castra eius episcopis, presbyteris et monachis plena erant, et praefectus aedibus regiis CADACHVS Christum colebat. (c) Verum hoc matri Imperatoris TVRACHINAE est tribuendum, quae Christiana erat, eaque Nestorianorum sacris procul dubio addicta. Neque KAIVKVS Romanae ecclesiae placitis amicior videtur fuisse, quam illi, qua a teneris imbutus erat, religioni.

## §. VIII.

*Nestorianorum et Iacobitarum vnio cum Latinis.*

KAIVKVS, (a) ad quem, vti diximus, summa imperii anno cIↃCCXXXXVI. erat delata, breue temporis spatium imperauit; qua enim erat valetudine minus firma, post paucos annos vitam deposuit. Miserat eo regnante Pontifex sacros oratores ad patriarchas Nestorianorum et Iacobitarum, (b) qui eos ad fidem Romanensium amplecten-

(c) IOS. SIM. ASSEMANVS *Bibl. Or. T. III. P. II. §. 5. p. CV.* ex ABVLPHARAGIO.

(a) HERBELOT *Bibl. Or. p. 358.* eum GAIVCH vocat, ASSEMANVS *T. III. P. II. p. CV.* GVIVCH, HAITHO *de Tart. C. XIX. p. 30.* GINO, et IOHANNES de PLANO CARPINI CVINE: sed ABVLGASI *Hist. Gen. P. V C. III. p. 395.* eum KAIVK adpellat.

(b) ODOR. RAYNALDVS *Annal. T. XIII. ann. 1247. n. 32. p. 571. f.*

ctendam hortarentur, et ad communionem cum ecclesia Romana adducerent. Neque plane inanes hosce labores fuisse, liquet ex eorum epistolis et fidei confessionibus, (c) quas Pontifici transmiserunt, in quibus sese Romanae ecclesiae subiicientes primatum episcopi Romani adgnoscunt. At vero certum est, reliquos cum Iacobitarum, tum Nestorianorum hanc patriarcharum suorum defectionem parum curasse et ipsos patriarchas paullo post animum mutasse.

## §. IX.

Dum haec geruntur, ANDREAS DE LONGIVMELLO Dominicanus, de quo §. VI. verba fecimus ex itinere Persico redux factus, LVDOVICVM IX. Gallorum Regem, cui a virtutibus et sacris, quas aduersus Saracenos suscepit, expeditionibus, *Sancti* nomen est tributum, in insula Cypro inuenit. Is dum Nicosiae erat, anno nimirum cIↃCCXXXXVIII. DAVIDES (a) quidam ducis Tartarorum ERCHALTHAY (b) legatus ad Regem accessit, litterasque (c) a Tartaro consignatas LVDOVICO tradidit.

ERCHALTHAY *legatio. Tartari miraculo conuersi.*



(c) Quas videsis apud eumdem RAYNALD. loc. cit.

(a) Vid. ODONIS episcopi Tusculani *epistola* ad INNOCENTIVM IV. de hac legatione missa, quam ex LVCAE D'ACHERY *spicilegio vet. scriptor. T. III. p. 624. s.* describemus Appendicis nostrae N. XII. Add. *Histoire de S. Louis, Tom. I. Livr. VIII. p. 426. s. et Tom. II. Livr. X. p. 102. s.* IAC. ECHARD. *Script. Praed. T. I. p. 140.* ODOR. RAYNALD. *Annal. Tom. XIII. ad ann. 1248. p. 587. n. 34. s.* GABR. DANIEL *Hist. de France Tom. IV. p. 119. s.*

(b) Proprium huius principis nomen fuisse ELHE-TAY-YVEN monet IAC. ECHARD. l. c. auctore LVDOVICO PICQVES, doctore celebri Sorbonico, linguarum orientalium peritissimo.

(c) Descripsit eas ODO Tusculanus episcopus in epistola modo citata, quam vide.

dit. Hunc DAVIDEM ANDREAS statim adgnouit, quippe quem in exercitu Tartarorum antea viderat, et litteras, quas adferebat, omniaque eius dicta latine Regi interpretatus est. Quum autem ille legatus multa praeclara et magnifica de magno Chano iactaret, et tam ipsum, quam ERCHALTHAY sacra baptismatis vnda lustratos adsereret, ANDREAS cum duobus ex eodem ordine sociis (d) et aliis quatuor selectis viris, additis splendidis muneribus, ad magnum Chanum legatus a LVDOVICO missus est, ac d. XXV. Ianuarii anno insequenti iter adgressus, longissima via emensa ad aulam Tartarorum tandem pervenit. Verum de ERCHALTAIO nihil certi comperiebant: Imperator quoque KAIVKVS fatis iam concesserat, eiusque partes vidua Regina CHARMIS dicta agebat, quacum ANDREAS collocutus quidem est, sed rei Christianae nihil aut parum attulit emolumenti, sicque re infecta rediit Acconem siue Ptolemaida ad LVDOVICVM Regem. Electus deinde Chanus MANGV DAVIDEM supra dictum impostorem postea declarauit et nebulonem, quod tamen non omni ex parte verum videtur. Multa eum de magno Chano esse ementitum facile credimus, sed legatum ducis ERCHALTHAY re vera fuisse, ipsi, quos LVDOVICVS in Tartariam misit, legati retulere. Non possum, quin lepidam hic adiiciam fabulam, (e) quae paullo ante nobili cuidam viro in Tartaria accidisse dicitur. Retulerunt legati LVDOVICI, vidisse se in Tartaria principem tribus cuiusdam Tartaricae, qui hoc miraculo ad CHRISTVM fuerit conuersus. Is cum febri acutissima labo-

(d) Quorum alter IOHANNES de CARCASSONA erat natione Gallus, BERNARDI GVIDONIS *vita* INNOCENTII *IV. in* LVD. ANT. MVRATORII *Scriptor. rer. Ital. T. III. p. 591.*

(e) RAYNALD, *vbi supra n. 39. p. 588.* ex IOINVILLAEI *Historia S.* LVDOVICI.

laboraret, mente captus dormientibus omnibus, qui circa ipſum erat, aufugit nudus et tribus diebus per loca deſerta oberrauit. Tertia vero nocte ad ſe rediit rationis compos, ſed in tenebris quid faceret, aut quo ſe verteret haeſitabat. Verum enim vero diſcuſſae ſtatim ſunt tenebrae, et in montis cacumine clariſſimum lumen conſpexit. Reptans ergo manibus et pedibus adſcendit in montem, atque in illius faſtigio multitudinem hominum incredibili vultus elegantia et ſuperbo veſtium cultu illuſtrem animaduertit. In medio vero atque editiore loco vidit Regem caeleſtem, formae praeſtantia veſtiumque nitore reliquos omnes montis incolas ſuperantem, aureoque ſolio inſidentem. Ad dexteram eius ſedebat Regina, incomparabili fulgens decore. Ipſe autem Rex diuinus Tartarum, vt ſacra Chriſtianorum amplecteretur, hortabatur. Qui deinde ad ſuos rediens, omnia expoſuit, et cum multis aliis Chriſtianam religionem ſuſcepit. Ridiculum hoc commentum ab ipſis monachis et legatis S. LVDOVICI eſſe excogitatum, quilibet rerum gnarus cognoſcit, et vel ex iis patet, quae de MARIA Virgine caelorum regina retulerunt. IESVS CHRISTVS enim matrem ſuam caeli Reginam numquam conſtituit: inter reliquos ſanctos eius cultores atque miniſtros collocari a viris religioſis debuiſſet, ſi non omnem fidem relationi ſuae denegari voluiſſent.

## §. X.

KAIVKO anno cIↄCCXXXXIX. humanis rebus exemto ſucceſſit MANGV, ZINGIS-CHANI ex THAVLAI filio nepos. Eum a Rege Armeniae ad ſacra Chriſtianorum ſuſcipienda eſſe adductum, teſtatur HAITHO Armenus. (a) Conſtituit Rex Armenorum HAITHONVS ad Imperatorem Tartarorum ſe conferre, vt eius amicitiam

MANGV-CHANVS et SARTACHVS *convertuntur*



(a) *De Tartaris, C. XXIII. XXIV. p. 37. ſ.*

am sibi compararet, ac foedus cum eo pangeret, praemisit vero legatum nomine SINIBALDVM, qui post quatuor annos rediit. Ipse deinde ad magnum Chanum profectus est et ab eo benigne exceptus. Tum varia ab Imperatore petiit, et in primis vt Imperator cum gente sua ad fidem IESV CHRISTI se conuerteret, et sacro baptismatis fonte lustraretur. Quae quum omnia MANGV promisisset, cum tota familia ab episcopo quodam baptizatus est, qui in Armenia *cancellarii*, quem vocant, munere fungebatur. Ipse HAITHONVS, qui notissimam et saepe a nobis laudatam Tartarorum historiam consignauit, Regis Armeniae in hoc negotio fuit internuntius et testis omnium rerum gestarum oculatus, id quod ex verbis eius conspicuum est: *Postquam igitur* MANGV-CHAN *petitiones Regis Armeniae liberaliter adimpleuit et confirmauit per priuilegia* mihi *facta*, reliqua. Facile nimirum Imperator ad fidem Christianam poterat adduci: mater enim eius SIVRCHOCHTNY BEGIGEHAN erat *presbyteri* IOHANNIS ex fratre nepris eaque Christiana. (b) Ipsa innumeris beneficiis et insigni charitate atque clementia ita se omnibus commendauerat, vt nihil gratius Tartaris acciderit, quam quum vnus filiorum eius ad regni gubernaculum admoueretur. (c) Egregium sane documentum, charitatem et beneuolum erga quosuis animum, qui praecipuus cultorum IESV CHRISTI character est, Tartaris ipsis atque barbaris ab omni humanitate longe remotis mirifice placuisse. Neque magnus solum Chanus, verum etiam alius Tartarorum princeps, qui SARTACHVS vocabatur, et BATHI, ZINGIS-CHANI ex ZVZI nepotis filius erat, Christianam fidem professus est. (d) Quae quum com-

(b) ABVLPHARAG. *Chron. Syr.*
(c) *Histoire Geneal. des Tatars* P. *IV. Ch. IV. p.* 377. *f.*
(d) NICOL. DE CVRBIO in *vita* INNOCENTII IV. §. XXXIX. in STEPH. BALVZII *Miscellan.* L. *VII. p.* 397. *f.*

comperisset LVDOVICVS S. Rex Gallorum, Romanum Pontificem est exhortatus, vt Tartarorum conuersioni operam daret: et hic morem ei gerens, litteras (e) ad ODONEM Tusculanum episcopum dedit, quibus ei negotii huius curam commisit, et omnia, prout ipsi videretur, vt ordinaret atque disponeret iniunxit. Deinde LVDOVICVS litteras per monachum Franciscanum GVILIELMVM RVBRVQVIS cum nonnullis aliis in Tartariam ad ipsum SARTACHVM misit. GVILIELMVS hicce RVBRVQVIS, qui itineris sui rationem memoriae mandauit, (f) magnam peragrauit Tartariae partem, varios de rebus sacris sermones cum Tartaris habuit, et cum ad ipsius magni Chani, tum ad reliquorum principum Tartarorum colloquium est admissus. Negat is disertis verbis, Imperatorem MANGV Christianum fuisse, nec SARTACHVM fuisse conuersum suspicatur. Sed quum oculato testi, nisi aperte malus aut stultus sit, nemo bonus fidem habere recuset, neque nos HAITHONI testimonium in dubium vocare audemus, qui MANGV-CHANI ad CHRISTVM conversionem tamquam rem certissimam narrat, cui ipse interfuerit. Fortasse tamen RVBRVQVISIO ex Tartaria iam reuerso Imperator (g) Christiana sacra suscepit, et eo in castris Tartarorum versante a veritate adhuc alienus fuit. Neque quae de SARTACHO perhibet, tanti sunt momenti, quae eius conuersionem dubiam reddere queant. SARTACHVM nomen Christiani respuisse narrat, sed ideo eum hoc titulo insigniri noluisse addit, quoniam illum pro regionis et nationis cuiusdam nomine habuerit. Quid? quod ipse

(e) Quas ex ODOR. RAYNALD. *Annal. Tom. XIII. ad ann.* 1253. *n.* 49. *p.* 635. descriptas vide in Appendice nostra n. XIII.

(f) Iter GVILIELMI RVBRVQVIS exstat in *Recueil de Voyages en Asie par P.* BERGERON, *Tom. I.*

(g) Literae, quas MANGV-CHANVS ad LVDOVICVM per RVBRVQVISIVM misit, exstant Append. nostrae N. XIIII.

ipſe SARTACHVS nuntios ad Pontificem miſit, et ſe nomen IESV-CHRISTI profiteri, eum certiorem fecit. Nuntius SARTACHI IOHANNES, qui a CONRADO in Apulia detentus et omnibus rebus ſpoliatus erat, quid cauſſae fuerit expoſuit, quod SARTACHVS Chriſtianorum ſacris ſit imbutus. Filio eius graui morbo decumbente, SARTACHVM Chriſtianos conuocaſſe retulit, et niſi precibus ſanitatem principi a Deo impetrarent, ſe eos ad vnum omnes crudeli ſupplicio adfecturum, eſſe minatum: quodſi vero Deus ipſorum ſaluum atque ſoſpitem filium redderet, Chriſtianam religionem ſe eſſe amplexurum. Accidiſſe vero, vt principi praeter omnem ſpem ſanum reſtitueretur corpus, (quod vtrum ſalutaribus medicorum herbis, an vero precibus Chriſtianorum ſit tribuendum? nunc inquirere nolumus) et propter ea SARTACHVM Chriſtianum eſſe factum. Dimiſit Pontifex legatum cum litteris (h) ad SARTACHVM datis, quibus gaudium ſuum de felici principis conuerſione declarauit.

## §. IX.

*Bagdadum a Tartaris capitur.*

Inter ea MANGV-CHANVS quum vicinos ſuſpectos haberet, ne quid noui molirentur, fratres HALAKVM et COPLAIVM anno CIↃCCLVI. duobus praefecit exercitibus, (a) et COPLAIVM quidem ad Cathaiae Sinarumque regiones miſit, HALAKVM vero in Perſiam et Meſopotamiam. Vterque princeps erga Chriſtianos benigne ſe geſſit, maxime vero HALAKV, qui deinde ipſe Chriſtianus eſt factus. Viuo adhuc MANGV-CHANO HALAKV inſignem illam victoriam a Turcis reportauit, qua totam Perſiam in ſuam redegit poteſtatem et Saracenorum imperium ad Tartaros tranſtulit. Factum hoc eſt cum primis

(h) Quas vide apud RAYNALD. l. c. et in Appendice noſtra N. XV.
(a) ABVLGASI *Hiſt. Geneal. P. IV. Ch. IV. p. 382.*

primis expugnata vrbe Bagdado. (b) Chalipha quidem vrbis eius dominus ab HALAKO crudeli mortis genere est peremtus. Etenim quum turrim haberet auro argentoque plenam, a sordida sua auaritia impetrare haud potuit, vt collectum thesaurum inter milites distribueret. HALAKV itaque vrbe capta Chalipham in illam turrim coniicit, negatoque omni cibo et potu, ait illi: *Si thesaurum hunc non tam tenaciter et auare seruasses, te ipsum et ciuitatem liberasses: nunc igitur fruere thesauro tuo, et ex eo comede atque bibe, quem tantopere dilexisti.* Ita duras quidem, non plane iniustas tamen auaritiae suae Calipha poenas dedit. Verum enim vero longe clementiorem HALAKV Christianis se praebuit. Nestoriani enim, quibus vrbs repleta erat, nullo a Tartaris damno sunt adfecti. Congregauit, (c) dum vrbs expugnaretur, MACHICHA, Nestorianorum Catholicus siue Patriarcha, qui Bagdadi commorari solebat, et hodienum commoratur, omnes ac singulos Christianos in aedem quamdam sacram, *vici tertii* dictam, et a caede seruauit. Capta deinde vrbe HALAKV MACHICHAM humanissime accepit, eique ad habitandum largitus est (d) positas ad Tigrim fluuium aedes Caliphae, quas *Dar-Duidari* adpellarunt: in quibus nouam is ecclesiam exstruxit. Ab hoc tempore plenam sub Tartaris Christiani omnes sunt adepti libertatem, in primis autem Nestoriani, qui plurimum apud eos numquam non valuerunt.

 §. XII.

---

(b) M. PAVLVS VENETVS de *region oriental. L. I. C. XVI.* HAITHO *de Tartaris C. XXV. XXVI. p. 42. s.* PETR. BIZARVS *rer. Pers. L. VIII. p. 221.*

(c) ABVLPHARAG. *Chron. Syr.* cit. ab ASSEMANO *T. III. P II. p. CII.*

(d) IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. Tom. II. p. 455.* ex *Chronico* GREGORII BAR-HEBRAEI.

§. XII.

*Tartari Hungariae imminent.*

Chriſtianis quidem in regionibus occidentalibus et Europa habitantibus multo infenſiores fuere Tartari. Miſit (a) anno cIↃCCLVIIII. BATHV Tartarorum dux ad BELAM Vngariae Regem legatos, vt eum arctiſſimo foedere deuinciret, et matrimonium inter vtriusque liberos propoſuit. Rogauit, vt cum fortiſſimo exercitu cum Tartaris ſe coniungeret ad excidendos Chriſtianos, et ni oblatae amicitiae leges acciperet, crudeliſſimum bellum ei eſt minatus. BELA terrore perfuſus ad ALEXANDRVM Pontificem oratores miſit, et laboranti Hungariae vt ſuccurreret, obnixe eum rogauit. Reſpondit (b) ALEXANDER, leges foederis eſſe foediſſimas, ſeque potentiſſimos Europae Reges ad arcendum Tartarum excitaturum eſſe promiſit. Verum in genere hic eſt obſeruandum, conatus illos Tartarorum cupiditati eorum dominandi potius eſſe tribuendos, quam odio erga fidem Chriſtianam. Variis incurſionibus Tartari Vngariam, Ruſſiam, Poloniam deuaſtarunt, ſed ad illas eos nihil minus, quam religio impulit. Neque mirum eſt, Chriſtianos, qui Tartaris ſubiecti erant, quiete inter eos vixiſſe, quum reliqui, quorum dominium captabant, infinitis modis ab iis vexarentur. Negari quidem nequit, totius orientis Chriſtianos implacabili erga Romanum Pontificem et eius ſectatores odio flagrare, ſed hoc eos ad bellum aliquod ſuſcipiendum vmquam commouiſſe, nemo facile oſtendere poterit. Multo minus hoc quisquam de Tartaris iure adfirmabit, qui vel ipſi Chriſtianae religioni addicti, vel de ea parum ſolliciti erant. Verum eſt, merito reprehendi principes Tar-

(a) ODOR. RAYNALD. *Annal. T. XIV. ann. 1259. n. 31. p. 49. ſ.*

(b) Litteras Pontificis ex RAYNALDI *Annal. loc. cit.* exhibebimus Append. noſtrae N. XVI.

Tartarorum, qui quamuis ipsi Christianis sacris magna ex parte initiati fuere, iniustissima tamen contra Christianos susceperunt bella, eosque maximis cladibus adfecere. Sed quis ignorat, infaustum hunc a primis temporibus obtinuisse morem, vt Christiani clementiam atque charitatem pro primo et praecipuo habentes officio, ita plerumque se gerant, ac si Numen illud, quod colere se perhibent, eis nihil magis, quam crudelitatem atque iniustitiam inculcari iusserit? Exempla principum Christianorum iniustorum atque ferocium odiosa licet, tamen vbique sunt obuia. Eadem inter nos, quae inter Tartaros, eadem nunc, quae olim, fabula mutatis nominibus luditur. Coegit (c) BELAM foedus pacisci cum Bohemiae Rege terror, quem imminentes Tartari ipsi incusserant, quique Poloniam vehementer iam vexabant. Sandomiria enim expugnata innumerabiles homines gladio peremere, et reliquos vrbis incolas, feminis pulchrioribus et adolescentibus in captiuitatem abductis, in proximum fluuium egere vndisque mersere. Inde longe lateque omnia depopulantes innumerabili praeda onusti, Ruthenorumque, quam contraxerant, amicitia freti, Polonia discessere.

## §. XIII.

In oriente Tartaris omnia ex voto successere. Ceperunt (a) enim vrbes Alapiam, Damascum et multa alias. Inter ea nuntius ad HALAKVM venit de morte fratris MANGV-CHANI, qui anno CIↃCCLX. vitam cum morte commutauit. Qua audita HALAKV ad COPLAIVM fratrem profectus est, et in Syria ducem quemdam GVIBOGAM cum decem millibus Tartarorum reliquit, cui

*MANGV-CHANO succedit COPLAIVS.*



(c) ODOR. RAYNALD. *Annal. Tom. XIIII. ann. 1260. n. 25. p. 59.*

(a) HAITHO *de Tartaris C. XXVIII. XXIX. p. 44. f.*

cui vt terram Sanctam occuparet, et Christianis restitueret, iniunxisse fertur. Is MAHVMETIS quidem legibus adstrictus, Christianorum tamen amicus pie atque pacifice prouinciae suae praefuit, omnibusque, quibus potuit, commodis cultores IESV CHRISTI adfecit. Verum subito res Christianorum in Syria sunt conturbatae, et, quae adhuc inter eos atque Tartaros viguerat, amicitia ipsis Christianis auctoribus est labefactata. Horum enim nonnulli regionem Sidonis incolentes, quasdam Saracenorum villas populati sunt, et nepotem GVIBOGAE, qui illis sese opposuit, trucidarunt. Quo accepto nuntio, GVIBOGA ad Sidonem castra posuit, eamque expugnatam magna ex parte destruxit, et quosdam Christianos interfecit. Ab hoc tempore perpetua inter Christianos Syriae incolas et Tartaros simultas viguisse dicitur, numquam deinceps plane exstincta. Christiani omnia infausta a Tartaris sibi ominantes, oratores ad potentiores Europae Reges miserunt (b) auxilia petituros. Ipse quoque Pontifex Gallos excitauit, vt Syriae atque Palestinae succurrerent: qui quidem Parisiis concilium (c) celebrarunt, et varias in eo leges de multiplicandis precibus ac reprimendis sceleribus rogarunt.

## §. XIIII.

*HALAKI studium ergaChristianos.*

Electus erat COPLAIVS ab exercitu suo et supremus Tartarorum Imperator constitutus. Gratulatus ei est regnum frater HALAKVS, cui ipse ea occasione terras, quas Tartari occidentem versus possessere, tradidit. (a) Sem-

(b) ODOR. RAYNALD. *Tom. XIV. ann. 1260. n. 34. p. 61.* Legati Tartarorum, qui in Angliam venit, mentionem facit MATTH. WESTMONASTERIENSIS *hist. hoc anno.*

(c) *Histoire de S. Louis Tom. II. p. 310. f.* Anno cIↃCCLXI. Moguntiae concilium propter Tartaros esse celebratum, refert IO. HARDVINVS *Act. Concil. T. VII. p. 547.*

(a) *Histoire Genealogique des Tatars P. IV. C. V. p. 384.*

Semper HALAKVS clementem atque mansuetum se praebuit Christianis, (b) eos vbique bene haberi curauit, castrorum quoque et ciuitatum custodias ipsis tradidit: contra ea Mahumedanos omnibus modis oppressit. Hae Christianorum res secundae cum matri HALAKI, quae SARKVTANA BEGHI vocabatur, et IOHANNIS Regis ex fratre neptis, eaque Christiana erat, (c) videntur tribuendae; tum maxime ipsi HALAKI vxori. Nomen huic erat DOKVZ CHATONA, (d) vel vt HAITHONVS (e) eam vocat, DOVCOSCARON, et parentibus nata erat Christianis. Illa non solum Christianos infinitis commodis ornauit, verum etiam sacra Mahomedanorum seueris legibus prohibuit, et templa eorum euerti iussit. Equidem principem hanc erga Saracenos non satis fuisse moderatam mihi persuadeo. Laudandi sunt, quos sibi proposuit, fines, et ardor ipsius Christianam religionem promouendi extollendus: verum longe alia ratione de mediis, quibus vsa est, pius quilibet et sapiens iudicabit, qui in nullius verba magistri iurare, primam sibi proposuit legem. Ex voluntate Seruatoris egisset, si verbum diuinum Saracenis praedicari, et eos in veritate institui curasset: sed templa illorum dum euertit, nihil aliud effecit, quam vt inimicos Christianae religionis magis exacerbatos atque a IESV CHRISTO alienos reddiderit. Ipse HALAKVS Christianos valde dilexit, etsi eum sacris baptismi esse initiatum, extra omnem controuersiam nondum est positum. Exstant litterae Pontificis Romani ad eum, (f) nullo Pontificis



(b) HAITHO *Armenus Cap. XXVII. p. 43.*

(c) ABVLPHARAG. *Chron. Syr.* apud ASSEMAN. *Bibl. Or. T. III. P. II. p. CIII.*

(d) *Idem loc. cit. p. CVIII.*

(e) *Cap. XXVIII. p. 44.*

(f) ODOR. RAYNALD. *Tom. XIV. ann. 1260. n. 29. p. 60.* et in Append. nostra N. XVII.

tificis, a quo exaratae sunt, inscriptae nomine, in quibus accessisse ad se refert IOHANNEM quemdam Vngarum, qui se HALAKI nuntium ferens, eum secundum catholicam doctrinam sacra baptismi flagitare perhibuerit, et vt virum idoneum Pontifex ad HALAKVM mitteret, huius nomine rogauerit. Adhortatur deinde Pontifex HALAKVM, vt religionis Christianae sacris statim se imbui curet, et promittit auxilium Christianorum aduersus Saracenos. Addit denique, quia memoratus IOHANNES de voluntate principis sufficientes sibi haud attulerit litteras, rogare se eum, vt hac de re mentem suam Patriarchae Hierosolymitano explicet, per quem ipse certior factus ea, quae forent vtilia, esset dispositurus. Hae quid effecerint litterae, et num HALAKVS postea sit baptizatus, non constat.

## §. XV.

HALAKV *Assassinos delet.*

Anno cIↃCCLXII. (a) HALAKV ferocem illum et crudelem populum internecione deleuit, qui *Assassinorum* (b) nomine notus erat, et omnibus terrorem atque metum incus-

(a) M. PAVLVS VENETVS *Lib. I. Cap. XXVIII. XXIX. p. 24. s.* Alii v. c. ODOR. RAYNALDVS *Tom. XIIII. ann. 1257. n. 58. s. p. 35.* hanc Assassinorum destructionem ad annum cIↃCCLVII. referunt.

(b) Qualis horum Assassinorum fuerit origo, non nisi coniectando adsequi licet. Nonnulli apud HENR. SPONDANVM *Contin. Baronii T. I. ann. 1231. n. VI. p. 107.* AMMIANVM MARCELLINVM eorum iam fecisse mentionem existimant, quippe qui *L. XXIV. C. V.* (vel potius *Cap. II. p. 392. ed.* HENR. VALESII) vbi IVLIANI in Persiam narrat expeditionem, mentionem iniicit cuiusdam MALECHI PODOSACIS *Phylarchi Saracenorum* ASSANITARVM *famosi nominis latronis, omni saeuitia per limites Romanorum diu grassati.* Alii nomen hoc a voce *Hassassin* de-

cufferat. Habitarunt in prouincia Phoenice, et castella quaedam munitissima occuparunt, ex quibus excurrentes, omnes, quos potuerunt, dira morte interfecerunt. Principem, quem elegerant, *senem* vocabant, quod senili scilicet virtute et prudentia praeditus esse deberet. Is singulari plane artificio (c) subditos impio huic viuendi generi adsuefecisse fertur. Iuuenes quosdam certo potu inebriatos, in amoenissimum misit hortum, qui somno soluti, in coelum se esse raptos putabant. Ibi postquam diebus nonnullis maximas degustauerant voluptates, eodem potu sensibus atque ratione priuati, ex horto efferebantur. Tum *senex* ille, qui se diuinum vatem iactabat, easdem illis in futuro mundo voluptates promisit, quibus in horto vsi erant, si modo ipsi morem gerentes nullum declinarent periculum, nullam mortem euitarent. Et hac ratione eos in fide et obedientia retinuit. Neque id mirum, quum placitis MAHOMETIS addicti essent Assassini, ideoque corporeas voluptates, externos quae adficiunt sensus, post obitum sibi promitterent. Denique Templarii, quos vocant, equites eos sibi tributarios reddiderant, ac duo millia aureorum singulis annis pendere coegerant, quibus vt liberarentur, Christianam religionem se suscepturos esse pollicebantur. (d) Verum HALAKV eos paullo post exstirpauit. Inter ea Soldanus Aegypti (e) GVIBOGAM ducem Tartarorum in proelio occidit, et Syriam Saracenis subiicit.

In

ducunt, quam in lingua Persarum *pugionem* significare contendunt. Conf. *Histoire des Chevaliers de Malthe par* RENE d'AVBERT DE VERTOT *Tom. I. L. II. p. 157. s.* Alii eos *Arsacidas* vocari malunt, ab ARSACE regni Parthici auctore.

(c) M. PAVLVS l. c.

(d) GVIL. TYRII *Hist. Orient. L. XX. C. XXXI. XXXII. p. 994.*

(e) HAITHO *de Tart. C. XXXI. p. 48.*

In occidente (f) in Poloniam et Prussiam Tartari irruentes nouas excitant calamitates, et Regis Hungariae foedus atque adfinitatem iterum petunt. Sed Pontifex Belam Regem dehortatur, et foedera haec discutit.

## §. XVI.

*Alii* ARCONI *ad Romanos legati.*

HALAKO anno cIↃCCLXV. humanis rebus exemto filius eius ABAKA (a) regni habenas suscepit. Hic licet primam consiliorum curam Mahumedano cuidam nomine SCHAMSEDDIN demandauerit, (b) Christianorum tamen insignis fuit amicus. Neque poterat non iis valde fauere, quum Christianam duxisset vxorem. Erat ea MARIA PALAEOLOGA, (c) filia altera MICHAELIS Graecorum Imperatoris notha, ex puella quadam e DIPLOVAZARVM familia genita. Tartari eam BINAM, (d) additoque *Catonae* siue matronae titulo, BINAM CATONAM adpellarunt. Huic rem Christianam curae fuisse vel inde patet, quod pictores duos a parente postulauit, vt sacram Graecorum aedem in vrbe Taurizo conditam ornarent. (e) Ipse quidem Imperator ad CLEMENTEM Pontificem anno cIↃCCLXVII. oratorem cum litteris misit, (f) qui Christianum eum esse et crucis vexillum colere perhibuit, ac de mittendo in Asiam contra Saracenos exer-

(f) ODOR. RAYNALDVS *Tom. XIIII. ad ann. 1264. n. 48. f. p. III.* Litteras Pontificis ad Regem Hungariae ex eodem describemus Append. N. XVIII.

(a) Vocatur ab aliis ABAGHA et APACHA.

(b) HERBELOT *Biblioth. Orient. v.* ABAKA-KHAN *p. 1.*

(c) DV CANGIVS *Famil. August. Byzant. p. 235.*

(d) ABVLPHARAG. *Chron. Syr.* cit. a IOS. SIM. ASSEMANO *Bibl. Or. T. III. P. II. p. CX.*

(e) Eam BAIDVM principem Christianis amicum reddidisse, infra monebimus §. XXV.

(f) ODOR. RAYNALD. *T. XIIII. ann. 1267. n. 70. 71. p. 155.*

exercitu cum ipso egit. Respondit (g) ei Pontifex et Galliae Nauarraeque Reges sacram mouere expeditionem ipsum docuit. Verum videtur ABAKA Pontificem fefellisse, et fidem in CHRISTVM simulasse, vt eo promtius a principibus Europaeis contra Saracenos auxilium impetraret, quorum potentiam in dies crescentem Tartari iam reformidabant. Nomen enim IESV CHRISTI ipsum esse professum, conceptis verbis negat HAITHONVS, (h) immo *idola coluisse, et fidem presbyteris idololatriae dedisse* tradit. Neque huic auctori fides vllo denegari iure potest, quoniam eodem, quo ABAKA, tempore vixit, et testem oculatum se fuisse perhibet. Beneuolum tamen erga Christianos se gessisse in dubium incertumque vocari nequit. Neque solum IGNATIVM *Maphrianum* Iacobitarum, opera ducis cuiusdam Tartarorum SVNGARNAVINI electum, in munere, (i) sed etiam Patriarchae Nestorianorum, cui DENHA nomen, quique MACHICHAE §. X. a nobis memorato successerat, aedes *Duidari* dictas confirmauit, (k) quas HALAKV MACHICHAE dono dederat. Ille tamen exorto Bagdadi tumultu, anno cIↃCCLXVIII, coactus fuit Arbelam migrare, vbi aedem sacram in castello vrbis struere coepit. Quid? quod breui ante mortem tempore festum reuiuiscentis Seruatoris in vrbe Persarum *Hamadan* vna cum Christianis ab ABAKA est celebratum. (l)



(g) *Ibid.* et Append. nostrae N. XVIIII.

(h) *De Tartaris C. XXXII. p. 49.*

(i) Morem hunc diu obtinuisse, vt Iacobitarum siue Eutychianorum aeque ac Nestorianorum Patriarchae ab Imperatoribus Tartarorum debuerint confirmari, exemplis comprobat IOS. SIM. ASSEMANVS *Bibl. Or. T. II. p. 248. 249. 337. 378. 380. 381.*

(k) ABVLPHARAG. ap. ASSEMAN. *Tom. III. P. II. p. CXII.*

(l) HERBELOT *loc. cit.*

## §. XVII.

ABAKA *legatos in Europam mittit. Franciscani ad Tartaros proficiscuntur.*

Diuersa cum Saracenis bella ABAKA gessit. Soldanus enim, quem vocant, Aegypti, cuius his temporibus opes haud exiguae erant, non solum variis incursionibus prouincias ABAKAE subiectas turbauit, verum etiam regnum Turquiae inuasit, et in suam redegit potestatem. Quibus auditis ABAKA cum valido exercitu eum adgressus est, eique regnum Turquiae eripuit. (a) Petiit tum Rex Armeniae ab eo, vt Palaestinam a Saracenis, qui in ea dominabantur, liberaret. Adnuit eius votis ABAKA, et vt Pontificem aliosque Principes Christianos in auxilium vocaret, Regi suasit. Ipse quoque oratores in Europam misit, subsidia petituros. Venerunt A. cIↃCCLXXIIII. Lugdunum, (b) vbi GREGORIVS X. romanae ecclesiae Pontifex concilium conuocauerat. Introducti sunt in sessione concilii quarta, et ABAKAE de coniungendis cum Christianis aduersus Saracenos armis litterae perlectae. Initiatus est sacro Christianorum lauacro vnus legatorum (c) (alter in viuis esse desierat) cum duobus nobilibus Tartaris a PETRO purpurato episcopo Ostiensi, qui postea ad Ro-

(a) HAITHO *de Tart. C. XXXIIII. p. 51.*

(b) ODOR. RAYNALD. *Tom. XIIII. ann. 1274. n. 21. s. p. 224.* LVC. WADDING. *Annal. Minor. T. IIII. p. 395. 416.* IO. HARDVINI *Acta Concilior. Tom. VII. p. 704.* PHIL. LABBEI *et* GABR. COSSARTII *Concil. Tom. XI. P. I. p. 974.*

(c) Hic ARGONI legatus idem procul dubio est, quem NICOLAVS IANSSENIVS in *Vita* S. DOMINICI *C. VIII. p. 60.* Regem Tartarorum vocat, et a S. HYACINTHO fidei Christianae praeceptis imbutum refert, ac deinde ad Concilium Lugdunense sacro abluendum fonte transmissum. Ceterum de hoc S. HYACINTHO consuli potest ANTONII TOVRON *Vie de S. Thomas d'Aquin L. I. C. VIIII. p. 33.* qui eum *Septemtrionis Apostolum* et *saeculi XIII. Thaumaturgum* adpellat, ac labores eius in conuertendis hominibus a IESV CHRISTO alienis, cum in Europa septemtrionali, tum in Asia susceptos extollit.

Romani episcopi gradum euectus, INNOCENTII V. nomen accepit. GREGORIVS eos pretiosissimis vestibus donauit, datisque ad ABAKAM litteris, (d) ei antequam iniretur expeditio, legatos se missurum promisit. Tribus post annis alii ABAKAE legati (e) eiusdem negotii caussa in Europam venerunt, qui A. CIↃCCLVII. ad IOHANNEM XXI. qui coetum Romanensium eo tempore moderabatur, accessere: inde ad Gallorum Anglorumque Reges transmissi sunt, vt ipsos ad expeditionem Syriacam suscipiendam accenderent. Promisere, ABAKAM Saracenos esse adgressurum, dummodo principes Europaeorum exercitum in Syriam mitterent, quem ABAKA omnibus rebus necessariis esset instructurus. Addiderunt, COPLAIVM Imperatorem religione Christiana iam imbutum et baptismo lustratum, sacros Romanorum legatos vehementer desiderare, qui euangelium IESV CHRISTI inter suos praedicarent. Fuere hi legati de gente Georgianorum, qui Christiani Tartaris subiecti erant, et propter ea a nonnullis (f) pro exploratoribus potius, quam veris nuntiis sunt habiti; id quod nobis tamen veri haud videtur simile, quum omnino Tartaris animus fuerit, sese cum principibus Europaeis coniungendi, ad infringendas Saracenorum opes. Haec ea confirmant, quae de ABAKAE Tartarorumque erga Latinos studio §. anteced. coniecimus. Amicos se iis eorumque religioni simulabant, vt auxilia ab illis impetrarent, sed magis exercitus eorum, quam fidem diligebant atque religionem. (g) IOHANNES XXI. Pontifex, ad



(d) Quas vide sis locis RAYNALDI et WADDINGI citatis et Append. nostrae N. XX.
(e) ODOR. RAYNALDVS *Tom. XIIII. ann. 1277. n. 15. p. 261.*
(f) V. c. a NANGIO in *gestis* S. LVDOVICI cit. a RAYNALDO.
(g) Consentit nobiscum FRANC. PAGI *Breuiar. Regest. Pont. Roman. Tom. III. p. 404.*

quem hi legati accesserant, viris quibusdam iniunxit, vt in Tartariam abirent, et veritatem diuinam ibi promulgarent, verum rebus humanis anno cIↄCCLXXVII. ereptus, quo minus consilia exsequeretur, est impeditus. NICOLAVS autem III. qui IOHANNE defuncto sedem Romanam occupauit, selectos ex S. FRANCISCI familia viros anno sequenti ad ABAKAM et COPLAIVM Imperatores cum litteris (h) misit. Erant hi GERHARDVS de PRATO, ANTONIVS de PARMA, IOHANNES de S. AGATHA, ANDREAS de FLORENTIA et MATTHAEVS de ARETIO, qui eximiis a Pontifice instructi priuilegiis (i) litteras ipsius ad ABAKAM et COPLAIVM attulere. Alii eiusdem ordinis sodales iam antea Tartaros ad fidem adducere erant conati. Nec omni eorum labores fructu caruisse, ex eo liquet, quod Franciscanorum in illis regionibus praefectus Romanum Pontificem rogavit, vt episcopum inter hos populos constitueret. NICOLAVS votis eius adnuens, negotium PHILIPPO episcopo Firmano, et apostolicae, vti vocatur, sedis legato commisit, (k) et episcopum consecrare iussit, cui omnes tribuit prouentus, qui ex his terris ad Pontificem redibant, quos non immodicos fuisse, res ipsa docet. Quis autem ille fuerit episcopus, quem PHILIPPVS in Tartariam misit, et quaenam Christianae religioni attulerit commoda, memoriae non est proditum.

## §. XVIII.

*IABALLAHA luguritta Nestorianorum patriarcha.*

Leuiores nec magni momenti hi Latinorum in Tartaria videntur progressus, si cum iis comparantur, quos Nestoriani in his terris eodem tempore fecere. Hi enim va-

(h) ODOR. RAYNALD *T.* XIIII. *ann. 1278. n. 17. p. 282.* LVCAS WADDING. *T. V p. 36. n. IX f.* Append. N. XXI. XXII.

(i) Vid. Appendix N. XXIII.

(k) Vid. WADDING. l. c. n. XII. et Appendix nostra N. XXIIII.

varias non solum inter Tartaros construxerant ecclesias, sed in ipso etiam Sinarum regno veritatem diuinam his temporibus adnunciare, et longe lateque se extendere sedulo pergebant. Id non modo M. PAVLVS VENETVS, ad quem supra (a) iam prouocauimus, confirmat, sed cumprimis ex Nestorianorum constat historia. Quae quidem etsi non omnes ac singulos enarrat episcopos, qui sacros Nestorianorum coetus in China et Tartaria gubernarunt, eorum tamen quamplurimos fuisse, inuicto declarat argumento. Etenim in ciuitate *Cambalu*, (b) quae Chataiae siue Chinae borealis caput et COPLAII Imperatoris in eo regno sedes erat, metropolitam dudum constituerant Nestoriani, patriarchae ipsorum seu Catholico, quem vocant, subiectum. Diem suum circa annum cIↃCCLXXVIIII. metropolita Chinensium obierat: quam ob rem alium ei sufficere patriarcha, cui IOHANNIS DENHAE nomen erat, meditabatur. (c) Ordinatus iam ab eo erat SIMEON quidam cognomento BAR KALIG, qui Tausae Chorasanitarum vrbis episcopus antea fuerat. Is autem antequam ad metropolim suam abiret, superbum atque insolentem erga Catholicum suum sese gerere coepit. Hic vt impudentiam ipsius castigaret, eum rebus omnibus spoliatum in vincula coniecit, in quibus paullo post quum

 fuga

(a) C. I. § IIII. p. 13.

(b) Duae quidem in *Tabula* AMRI memorantur sedes metropolitanae, quae in China sitae fuere: altera *Chambalek*, altera *Tanchet* (vid. Append. nostra N. I. p. 2.) sed hae successu temporis iunctae videntur. Nam IABALLAHA noster, qui ab ABVLPHARAGIO cit. ab ASSEMANO T. II. *p. 256 f. Metropolita Sinarum* dicitur, i. e. ciuitatis Cambalu s. Pekini, idem ab AMRO vocatur *Metropolitanus Tancheti* siue Tanguth, apud ASSEMAN. *l. c. p. 456.*

(c) ABVLPHARAG. in ASSEMANI *Bibl. Or. loc. cit.*

fuga ſibi conſulere fruſtra tentaſſet, vna cum aliis epiſcopis atque monachis violenta procul dubio morte exſtinctus eſt. Inter ea duo monachi ad DENHAM acceſſerant, ex Iuguritarum natione oriundi, qui ex Sinarum regno profecti Hieroſolymam petebant, loca memoria IESV CHRISTI celebria viſitaturi, ſed viarum atque locorum imperiti erant. Horum alterum Patriarcha male morato, quem diximus, SIMEONI opponens metropolitam conſtituit Chinenſium et IABALLAHAM vocauit. Verum neque is commiſſum ſibi munus adiit, nec in patriam reverſus eſt. Nam quum itineri ſe accingeret, IOHANNES DENHA inter viuos eſſe deſiit. Erat inter duces Tartarorum vir quidam nomine ASVTVS AMERAS horum monachorum adfinis, qui mortem Patriarchae ABAKAE Regi ſignificans, Iaballaham commendauit, eumque ſupremo inter Neſtorianos munere digniſſimum (d) eſſe expoſuit. Precibus eius Imperator morem gerens, publico mandato IABALLAHAM Patriarcham conſecrari iuſſit, id quod ſine mora Neſtorianorum epiſcopi exſequuti, Seleuciam et Cteſiphontem profecti ſunt, eumque Catholicum ſiue Patriarcham ſollemni cum pompa crearunt. Alterum illum monachum Iuguritam, IABALLAHAE ſocium, cui BARSVMAE nomen fuit, patriae ſuae epiſcopum IABALLAHA conſtituit. Vtriusque infra (e) mentionem iterum faciemus.

## §. XVIIII.

*ABAKAE ſuccedit* TANGODOR *ſ.* ACHMET *Mahometanus.*

Nouum contra Saracenos bellum parabat ABAKA, quum ſubita morte rebus humanis anno cIↃCCLXXXII. exemtus fuit, quam venenum ipſi propinatum acceleraſſe dicitur. (a) Succeſſorem habuit fratrem TANGODOR, vel

(d) Eum rudem quidem et indoctum, ſed pium tamen fuiſſe refert idem ABVLPHARAG. *l. c. p. 257.*

(e) §. XXI.

(a) HAITHO *Armenus C. XXXVI. p. 55.*

vel vt aliis (b) vocatur, TANGODOMOR, qui filio ABAKAE ARGONO antepositus fuit, et SCHAMSEDDINVM in muneribus confirmauit, (c) paullo post exstinctum. Princeps fuit Christianis primum amicus, deinde infensissimus. Ipse enim in tenera aetate Christianorum numero adscriptus, (d) et NICOLAI (e) nomine insignitus fuerat; quo factum est, vt dum ad imperii clauum accederet, commoda Christianorum promouere studuerit. Non solum enim *Maphrianum*, quem vocant, Iacobitarum ad se accedentem in munere confirmauit, (f) verum etiam ecclesias Assyriae atque Mesopotamiae aedificari iussit, easque vna cum monasteriis, episcopis et monachis a tributis atque vectigalibus exemit. Verum enim vero et hoc rei Christianae studium et ipsam religionem, id quod nemo speraverat, deposuit, et MAHVMETIS se sectatorem declarans, (g) ACHMET vocari voluit. Impiae huius sacrorum

(b) MAR. SANVT. *Secr. Fidel. Cruc. L.* III. *P.* XIII. *C.* VIII. *p.* 239.

(c) HERBELOT voce AHMED *Khan.* p. 72.

(d) HAITHO loc. cit.

(e) HERBELOT l. c. eum NIKVDAR OGLAN olim vocatum fuisse scribit, quod idem ac NICOLAI nomen esse coniicimus.

(f) IOS. SIM. ASSEMANVS *Bibl Orient. T.* II. *p.* 258.

(g) Ita conciliandos putamus ABVLPHARAGIVM et HAYTHONEM, quorum ille: TANCHODOR, inquit, *vniuersis gentibus se clementem et aequum exhibuit, tum praecipue Christianorum praesulibus, quos vna cum ecclesiis, monasteriis, sacerdotibus et monachis vbique gentium commorantibus a tributis et vectigalibus exemit, et hanc exceptionem scriptis diplomatibus ratam firmamque in perpetuum futuram sanxit.* Haec ABVLPHARAG. *Chron. Syr.* cit. a IOS. SIM. ASSEMANO *Bibl Orient. T.* III. P. II. p. LX. f. HAYTHONVS vero C. XXXVII. p. 56. *Tempore*, inquit, *istius* MAHVMETICAN *conuersi fuerunt ad fidem Saracenorum Tartari infiniti, sicut hodie euidenter adparet.*

rum mutationis Soldanum Aegypti fecit certiorem, amicitiam ei obtulit, et se nouam, quam profitebatur, religionem, amplificaturum promisit. Quo facto accidebat, vt quem Christiani paullo ante clementissimum experti fuerant, durum atque inhumanum sentirent. Quo enim ardebat sectae suae propagandae studio, vt Christianum deleret nomen, vel opprimeret, nihil intentatum, nihil inexpertum relinquebat. Templa diruebantur, et CHRISTVM qui colebant, vel capite plectebantur, (h) vel paternum vertere solum cogebantur. Caussam malitiosae istius desertionis, si coniecturis est locus, haud ita difficile est diuinare. Multi quum Mahumedani in Tartaria degerent, et ipsam Imperatoris aulam frequentarent, eorum consuetudine ACHMETVS et familiaritate vsus, placitis Mahumeticae superstitionis nullo negotio imbui, et odio Christiani nominis repleri potuit. Ingenti sine omni dubitatione calamitate rem adfecisset Christianam, et insigni ecclesiae IESV CHRISTI conuersione celebrem se reddidisset et detestandum, si moderatiori studio, quae contra Christianos machinatus erat, consilia exsecutus fuisset. Ve-

*Praecepit itaque iste filius diaboli* MAHVMETI *omnes ecclesias Christianorum dirui, et ne Christiani auderent amplius celebrare legem et dogmata* CHRISTI, *faciebat publice praedicari* MAHVMETEM, *et Christianos exules fecit*, reliqua. ACHMETES initio regni Christianorum commoda promouit, mutato deinde animo, mutata religione eos vexare coepit.

(h) Franciscanorum, qui in hac tempestate periere, nomina recenset LVCAS WADDINGVS *Annal. Minor. T. V. p. 128.* Sunt autem ANTONIVS, ALDOBRANDINVS *de* AMMONATIS *siue de* INFANGATIS *Florentinus*, CONRADVS, VOISELLVS, *et alii duo vnus senex et alter iuuenis, quorum capita decoriarunt Saraceni, varios addentes cruciatus.* Hos cum multis aliis in Tartariam miserat BONAGRATIA de S. IOHANNE, generalis ordinis magister, qui munus hoc, quod anno cIↃCCLVII. susceperat, anno cIↃCCLXXXIIII. cum vita deposuit. LVCAS WADDINGVS l. c.

Verum dira et funesta clade homines Christianos se adfecturum quum demonstraret, non poterat non in odium et inuidiam incurrere ciuium, qui vel ipsi veritatem divinam profitebantur, vel IESV CHRISTI sectatores valde diligebant, et quidquid impiam MAHOMETIS redolebat doctrinam, acerbissimo odio adspernabantur. ARGONVS, (i) ABAKAE filius, commodissimam hanc optatissimamque occasionem in sua conuertens commoda, animis vtendum censebat, dum spe, dum ira et odio calebant. Exigua itaque manu in Chorasan prouincia coacta, publice contra patruum insurrexit, ac hostem ipsius se declarauit, sed aperto Marte cum eo pugnare non audens, in castellum aliquod confugit, in quo ab ACHMETO captus, in vincula est coniectus. Commode inter custodes ARGONI vir quidam aderat, quem ABAKA pater ARGONI nutriuerat: is reliquis trucidatis custodibus ARGONVM liberauit et signum contra ACHMETVM iterum sustulit. Ab hoc tempore ARGONVS melioribus fatis vtens, ACHMETVM est persequutus, eumque in proelio captum medium detruncari iussit. ACHMETVS binos tantum annos res Tartarorum est moderatus, nam cIↃCCLXXXII. solium conscendit, et anno cIↃCCLXXXIIII. cruenta morte iustas impietatis poenas dedit.

## §. XX.

ACHMETO hac ratione de medio sublato, ARGONVS imperii habenas auspicato suscepit, et a COPLAIO in regno confirmatus, *Chanum* se vocari passus est, quo titulo hactenus ornari noluerat. Is rei Christianae in Tartaria faciem plane commutauit, (a) quaeque ACHMETVS ei

ARGONVS ACHMETO *sublato, legatos ad Pontificem mittit.*

*Hist. Eccl. Tart.* K

(i) HAITHO ARMENVS *vbi supra.*

(a) HAITHO *Armenus* C. XXVIII. p. 58. f. qui formam eius quoque laudat.

ei attulerat incommoda, maximis refarciuit emolumentis. Ipfe Chriftianorum eorumque doctrinae amiciffimus facras, quas ACHMETVS deftruxerat, aedes reparauit, et eiusdem cum Saracenis focietatem interuertit. Quid? quod bellum iis indicere ac Terram fanctam Chriftianis reftituere meditabatur. Quem in finem non modo cum Armeniae et Georgiae Regibus, qui eiusdem negotii cauffa ad ipfum accefferant, verum etiam cum occidentis principibus foedus pacifci, et cum exercitibus eorum fuas coniungere copias decreuerat. Nondum in Europa fata ACHMETI adnunciata erant, quum iam legati ARGONI Romae A. CIↃCCLXXXV. adeffent, (b) qui litteras a domino fuo exaratas (c) HONORIO IIII. epifcopo Romano adferebant, eumque ad bellum contra Saracenos fufcipiendum follicitabant. Legati hi ab ARGONO in dictis litteris adpellantur ISE, BOGAGOC, MENGILIE, THOMAS BANCHRVI et VGETVS. Sed fruftra laborabant. Etenim natum inter Europae principes bellum ita ipfos diftraxit, vt nihil minus quam cruciatam, vti vocant, expeditionem curarent. Ipfum autem IESV CHRISTI vicarium contra impios Chriftiani nominis hoftes exercitum ducere, ac egregias, quas cumulauerat, opes in eiusmodi bellum impendere non decebat. Nec fi quis hoc ab eo poftulaffet, a crimine laefae maieftatis Romanae haereticaeque prauitatis abfolui potuiffet. ARGONI legatis quid refponderit Pontifex, non liquet: ad conftantiam et pietatem eum more fuo procul dubio hortari iuffit.

§. XXI.

---

(b) ODOR. RAYNALD. *T. XIIII. ann. 1285. n. 79. p. 381.*

(c) Hae ob interpretis latini ignorantiam tot tantisque fcatent mendis, vt vix intelligi queant, et barbarum huius faeculi genium produnt. Defcribemus eas Append. N. XXV.

## §. XXI.

*Alii ARGONI ad Romanos legati.*

ARGONVS propoſiti tenax anno CIↃCCLXXXVIII. alios ad NICOLAVM IIII. nuper ad Pontificis Romani munus euectum oratores (a) miſit: BARSVMAM illum monachum Iuguritam, quem a IABALLAHA Neſtorianorum Patriarcha, patriae ſuae epiſcopum deſignatum ſupra §. XVIII. monuimus, nobilem quemdam virum SABADINVM ARCHAON, et qui eodem ante tres annos munere iam functi fuerant, THOMAM de ANFVSIS et VGVETVM interpretem. Hi cum ARGONI de bello contra Saracenos ſuſcipiendo et de terra ſancta iis eripienda firmiſſimum animum, tum proſperum rei Chriſtianae in Tartaria ſtatum Pontifici expoſuerunt: et vt COPLAIVM a veritate non alienum miſſis aliquot pietate conſpicuis viris, in eadem et inſtrui et confirmari curaret, ARGONI verbis petiere. Dici non poteſt, quam laete religio Chriſtiana his temporibus inter Tartaros floruerit, et quanta in dies ceperit incrementa. Ipſe ARGONVS quum eſſet Chriſtianorum amiciſſimus, miniſtrorum et ducum ipſius nonnullos illis fauiſſe, nemo dubitabit, niſi qui aulici genii ignarus, ad nutum principis plurimos purpuratorum numquam non ſe componere, cum ignariſſimis neſcit. Multi tamen quoque Mahumedani in regia ARGONI verſabantur, et maxima pollebant auctoritate: et horum poteſtas ARGONO obſtitiſſe videtur, ne publice fidem IESV CHRISTI profiteretur. Neque in infimae tantum plebis magaliis aut agricolarum et ruſticorum caſis, ſed in ipſo Imperatoris palatio nomen IESV CHRISTI colebatur et praedicabatur. ELEGAGES et TVCTANES Tartarorum reginae, aliunde nobis haud notae, doctrina Seruatoris iam imbutae, ſacraque baptismatis vnda luſtratae erant. Ipſe quidem Impera-

K 2

(a) ODOR. RAYNALDVS *Tom. XIIII. ann. 1288. n. 33. ſ. p. 403.* LVCAS WADDING. *Annal. Minor. Tom. V. p. 172. ſ.*

perator hoc diuino ritu nondum erat initiatus, ſed Hieroſolymis, quas Saracenis eripere parabat, baptizari decreverat. Et ſane non poterat non res Chriſtiana in Tartaria florere, quum et Neſtoriani vbique ſe extenderent, et S. FRANCISCI ſodales, quibus poterant locis barbaris euangelium adnunciarent. Illorum Patriarcha Tartarus erat, quod ſupra oſtendimus, et infinitis in locis ſacras dudum exſtruxerant aedes, adeo vt doctrinam eorum et religionem *dominantem*, ſit venia verbo, merito dixeris. Franciſcanorum quamplurimi in Tartaria et mendicabant et praedicabant, eisque ſe quotidie plures iungebant, inter quos IOHANNES de MONTE CORVINO ob ſingularem pietatem et eximium religionem IESV CHRISTI propagandi ſtudium prae ceteris eminet, cuius ſtatim ampliorem faciemus mentionem. Satis benigne vbique tractabantur, cumprimis ipſe IABALLAHA eos ſuſtinuit. Interpretibus quoque, qui in aula ARGONI degebant, IOHANNE de BONACHIA, HVGONE GANTELINI, PETRO de MOLINA, GIRARDO CASMVRI Conſtantinopolitano, BALABA de IANVA, GIRARDO de CATVRCO, GEORGIO CVSI, IOHANNE de BARLARA et IOHANNE de CASARIA patronis vtebantur atque fautoribus. Horum omnium a legatis ARGONI Pontifex certior factus, eos cum variis remiſit litteris, quarum binas (b) ad ARGONVM dedit, in quibus cum praeclarum Imperatoris erga IESV CHRISTI doctrinam ſtudium extollit, tum vt nulla loci habita ratione ſacrum baptismatis ritum non differat, eum hortatur. Binas alias, (c) vna eademque forma conceptas, ad ELEGAGEM et TVCTANEM reginas miſit, quibus Chriſtianam religionem ſuſceptam

(b) Vid. Append. N. XXVI. XXVII.
(c) *Ibid.* N. XXVIII.

ptam iis gratulatur. DIONYSIO episcopo Taurisino (d) et IABALLAHAE, quem YAVLAHAM vocat, fidei misit confessionem, BARSVMAE legato aliud dedit diploma, ad ARGONI quoque interpretes litteras misit. Omnibus ac singulis et Romanam doctrinam, et Franciscanos eiusdem praecones commendauit: quibus peculiari priuilegio instructis, facultatem concessit absoluendi a grauioribus censuris, reducendi et reconciliandi schismaticos, pallas altaris, corporalia, vestes sacerdotum et alia consecrandi. Ex legatis SABADINO, qui Romanae se adiunxerat ecclesiae, efficacem suam *apostolicam benedictionem* (e) remissionemque peccatorum, qua pollebat auctoritate, impertitus est. Et sic legati ad dominum rediere.

## §. XXII.

*Franciscani ad Pontificem ex Tartaria veniunt et in eam reuertuntur.*

Alium de prospero Christianae religionis in oriente statu felicem nuntium anno sequenti CIↃCCLXXXVIIII. Pontifex accepit.(a) Franciscani enim, qui BONAGRATIAE auspiciis in Tartariam missi, decem circiter annos in illis regionibus discurrerant, et Christianam promulgauerant veritatem, hoc anno Romam reuersi, omnia, quae ARGONI legati retulerant, confirmarunt, et principum aeque Tartarorum, ac subditorum procliues ad Christianam religionem suscipiendam animos declararunt. Laudarunt cumprimis nobilem quemdam virum Pisanum ISOLVM nomine, qui diu in his terris versatus, maximas opes atque auctoritatem sibi inter Tartaros conciliauerat, et ipsos studio et opera adiuuerat. Agmen monachorum ducebat IOHANNES de MONTE CORVINO, (b) vir eximia pietate,

 in-

(d) *Ibid.* N. XXVIIII.
(e) *Ibid.* N. XXX,
(a) ODOR. RAYNALD. *Annal Tom.* XIIII. *ann.* 1289. *n.* 60. *p.* 419. LVCAS WADDING. *Annal. Minor. T. V. p.* 198.
(b) LVCAS WADDING. *T. VI. p.* 94.

indefesso veritatem propagandi studio, insignibusque erga populos orientem solem spectantes meritis illustris. Natus erat anno cIↃCCXXXXVII. in oppido quodam in Apulia sito, quod *Mons Coruinus* dicebatur, vel secundum nonnullos, in eiusdem nominis alio oppido non longe a Salerno posito, et a patria horum temporum more cognomen acceperat. Is maximam vitae partem in Tartaria transegit, et denique archiepiscopus Cambaliensis a Pontifice est constitutus, id quod infra copiosius narrabimus. Alias itaque hisce S. FRANCISCI sodalibus in Tartariam redeuntibus, et peculiari priuilegio instructis, litteras tradidit, quibus ARGONVM (c) et COPLAIVM (d) Imperatores, nec non CAYDONIVM (e) principem, vt religionem IESV CHRISTI et amplecterentur et tuerentur, est hortatus. CAYDONIVS hicce procul dubio BAIDVS ille est, penes quem paucis mensibus in Tartaria occidentali summam imperii fuisse infra dicemus. ISOLI quoque Pisani studium episcopus Romanus datis ad ipsum litteris (f) collaudauit et concitauit. LVCAS WADDINGVS scriptorum Franciscanorum facile princeps, Pontificis relatis litteris: *Prospere*, inquit, *in hac missione Fratribus successisse, scribunt Chronica antiqua nostra, quippe* ARGONEM *Regem et* CAYDONVM *principem baptismum suscepisse, et Christianis summopere fauisse narrant.* Verum ARGONVM sacris baptismi esse initiatum, dubium reddere videntur Pontificis ad ipsum litterae, eodem, quo ARGONVS fatis concessit, anno exaratae, quibus iterum de ritu hocce sacro peragendo admonetur. Earum occasio hæc fuit.

§. XXIII.

---

(c) Append. N XXXI.
(d) *Ibidem* N. XXXII.
(e) *Ibid.* N. XXXIII.
(f) *Ibid.* N. XXXIIII.

## §. XXIII.

Vltimo vitae anno, qui cIↃCCLXXXXI. erat, ARGONVS virum quemdam nobilem CHAGANVM nomine iterum Romam misit, (a) litteras ad Romanum episcopum et Angliae Regem ferentem, quibus vtrumque ad cruciatam stimulauit expeditionem. Noua interim religio Seruatoris in Tartaria ceperat incrementa. DATHANICATVM et ANICHOHAMINI Tartarorum reginae, sacris Christianorum initiatae erant, CARBAGANDA quoque Imperatoris filius sacra lustratus vnda, NICOLAI nomen acceperat, et doctrinam IESV CHRISTI publice profitebatur. Hic a matre EROCKATON, quae Christiana erat, ad fidem est adductus, ea autem mortua veritatem deserens, ad MAHOMETIS castra transiit. Inter proceres IOHANNES de BONESTRA, XANCTVS corporis ARGONI custos, et SVFFRIDINVS ipsius medicus, et nomen IESV CHRISTI colebant, et quos poterant, ad fidem adducebant. Haec referentem ARGONI legatum Pontifex dimisit, et GVILLELMVM de CHERIO ac MATTHAEVM ex ciuitate Theatina S. FRANCISCI sectatores cum epistolis ad Tartaros abire iussit. Binas ad ARGONVM dedit litteras (b), in quibus eum, vt baptismate rite suscepto, publice Christianorum numero se adscribi curaret, denuo est hortatus. Reginis (c), quas nominauimus, et NICOLAO (d) principi de conuersione est gratulatus. SARONEM vero et CASSANVM ARGONI filios, necnon du-

*ARGONE ad Pontificem oratores.*

*Christiana religio in Tartaria floret.*

---

(a) ODOR. RAYNALD. *T. XIIII. ann. 1291. n. 32. p. 441 f.* LVC. WADDING. *T. V. p. 255. f.*

(b) Alteras exhibet RAYNALDVS, alteras WADDINGVS, vtrasque Appendix nostra N. XXXV. XXXVI.

(c) Vid. Append. N. XXXVII.

(d) *Ibid.* N. XXXVIII.

ducem copiarum TAGHARZAR, a CHRISTO adhuc alienos, ad ſalutem adducere eſt conatus. (e) Ad ISOLVM quoque Piſanum litteras (f) miſit, eumque officii ſui monuit. GVILLELMVM et MATTHAEVM legatos, nouis ornatos priuilegiis, omnibus commendauit.

## §. XXIIII.

*Mors* ARGONI. KAZEITV.

Maioribus commodis, et ipſius procul dubio ARGONI baptismo, res Chriſtiana fuiſſet ornata, niſi praeclarum hoc atque eximium columen eius de loco ſuo fuiſſet motum, et rebus humanis ereptum. Excedebat A. cIↃCCLXXXXI. ex vita ARGONVS, omnibus, quibus Chriſtianum nomen curae erat, triſte ſui deſiderium relinquens. Non eſt, quod quisquam dubitet, principem hunc, ſi fata permiſiſſent, publice piis IESV CHRISTI cultoribus ſe iuncturum fuiſſe. Veſani MAHVMEDIS effata pro diuinis qui habebant, et quorum non exigua in Imperatoris aula verſabatur turba, ARGONVS nimis videtur veritus fuiſſe, eorumque potentia praepeditus, quo minus CHRISTVM, quem animo colebat, publice profiteretur. Sed horum auctoritas in dies imminuebatur, adeo vt omnibus denique priuati muneribus et dignitatibus, ne ad ARGONVM quidem accedere, et aulam frequentare auderent. (a) Et magis adhuc, bello contra Saracenos ſuſcepto, et expeditione in Syriam atque Palaeſtinam inſtituta, opes ipſorum fregiſſet, ſi ſerius naturae debitum exſoluiſſet. Et hoc ſibi voluiſſe videtur ARGONVS, quum non niſi Hieroſolymis ſe baptizari velle adfirmabat. Nam ſincero eum ſtudio ac pia mente Chriſtianam religionem eſſe proſequutum, cum tota eius vita, tum variae, quas in Europam miſit, legationes

(e) *Ibid* *N*. XXXVIIII.

(f) *Ibid*. N. XXXX.

(a) HERBELOT *Bibl. Orient*. v. ARGOVN KHAN *p*. 127.

nes confirmant. Sed alia ratione occulta diuinae prouidentiae consilia fata Christianorum disposuerunt. Summa apud Regem auctoritate et gratia valebat Iudaeus quidam nomine SAADEDDVLAT, qui, quamuis maxima principis negotia curaret et consiliorum ipsius intimus esset arbiter, suaeque familiae homines valde extolleret, numquam tamen de Christianorum commodis aliquid detraxerat. Is ARGONO animam agente ab inimicis trucidabatur, et ingens simul Iudaeorum edebatur strages. Nonnulli (b) eum in suspicionem incidisse volunt veneno occisi ARGONI, alii (c) eum frustra morbum ARGONI depellere tentasse perhibent, commodaque illa ab aduersariis arrepta occasione, cum sodalibus esse peremtum. Quoquo modo se res habet, atrocissimum ipsius crimen potentia procul dubio fuit et auctoritas, qua inter ceteros purpuratos eminuit. ARGONO qui successit, longe ab eo fuit diuersus: frater nimirum ipsius KAZEITV, (d) princeps luxuriae atque flagitiis deditissimus, et suis propter ea exosus. (e) Quinque regnauit annos, siue, vt dicamus quod res est, suae obtemperans libidini, Baccho et Veneri litauit. Laudatur quidem a nonnullis (f) ob liberalitatem et iustitiam, quae tanta fuerit, vt eo regnante ne vnus quidem innocens sit peremtus. Sed neque fortassis improbos iustis suppliciis adfecit. Voluptatibus



(b) HERBELOT *loc. cit.*

(c) *Continuat. Chronici* ABVLPHARAGII *cit. ab* ASSEMANO *T. III. P. II. p. CXVIII.*

(d) Ita vocatur ab ABVLGASI *Hist. Geneal. des Tatars P. VI. C. I. p. 422.* HERBELOT *Bibl. Orient.* voce GANGIATV *p. 359.* eum GANGIATV, CAICTV et CAICATV adpellat, et proprium eius nomen AICATV siue GAICATV esse, quod in lingua Tartarica *pulcherrimum* sonat, ex KHONDEMIRIO obseruat.

(e) HAITHO *C. XXXVIIII. p. 59.* qui eum REGAYTO vocat.

(f) KHONDEMIRIO apud HERBELOT. *vbi supra.*

tatibus qui dediti ſunt, ſemper fere ab auaritia et crudelitate, dum nemo iis ſe opponere audet, abeſſe ſolent. Diſſoluti vitae generis anno cIↄCCLXXXV. meritas dedit poenas. Nam complures proceres atque optimates, quorum filiabus ſuum impleuerat gynaeceum, eum trucidarunt, et BAIDVM, HALAKI ex TARAGAI filio nepotem, Imperatorem crearunt.

## §. XXV.

BAIDVS. BAIDVS hicce tamquam optimus princeps, pius, modeſtus, humanus, ab omnibus laudatur, et rem Chriſtianam iterum promouiſſe perhibetur. (a) Sed maiora Chriſtianis attuliſſet emolumenta, ſi Mahumetanorum potentiam et auctoritatem minus reformidaſſet. Illis enim quum Tartaria iam eſſet repleta, ad eorum mentem ſe compoſuit, et modo ipſis, modo Chriſtianis ſe amicum ſimulauit. Verum enim vero non ſatis in hac infauſta ſimulandi arte videtur inſtructus fuiſſe: nam quod prae ſe ferebat, Mahumetanorum ſtudium non impediuit, quo minus Chriſtianos illis ſemper anteponeret, ſeque ipſis propenſiorem oſtenderet. Quod itaque verebatur, et quod parum pie ac ſapienter declinare conabatur, ipſi accidit. MAHVMETEM enim qui colebant, quum ſe Chriſtianis poſthaberi animaduerterent, ad GASANVM ARGONI filium, qui prouinciae Choraſan praeerat, accedentes, ei ſummum in Tartaros imperium promiſere, ſi omni Chriſtianae religionis abiecto amore, publice doctrinam MAHVMETIS vellet profiteri. Hic parum ſalutis cupidus, et

(a) *Continuat. Chron.* ABVLPHARAGII *cit. a* IOS. SIM. ASSEMANO *T. III. P. II p. CXX. ſ.* Is BAIDI erga Chriſtianos fauorem DESPINAE ſeu BINAE CATONAE, vxori ABAKAE, maxime tribuit, cum qua per multos annos verſatus fuerat. Add. HAITHO *C. XXXX. p. 60.* HERBELOT *Bibl. Orient. p. 178.* voce BAIDV KHAN.

et Tartarorum solium anhelans, ad nutum eorum se composuit, et ad Mahumedanorum castra transiit. Quo facto GASANVS BAIDVM bello petiit, eumque a suis derelictum, in fuga interemit, octauo, postquam ad imperium accesserat, mense.

## §. XXVI.

GASANVS vexat Christianos.

GASANVS, quum Mahumedanorum opera Tartarorum accepisset imperium, seque cultum eorum publice professurum esset pollicitus, promissis licet impiis sibi standum esse putabat. Princeps eorum dux quidam NEVRVZVS erat, qui signa contra BAIDVM sustulerat, et GASANVM omnibus adiuuerat modis, ita vt summam rei occupare posset. Huic omnia quum deberet GASANVS, eius arbitrio cuncta negotia in detrimentum Christianorum, quibus valde erat inimicus, gubernabantur. Vehementem itaque cultoribus IESV CHRISTI anno cIↃCCLXXXXVI. excitauit tempestatem, (a) et innumerabilibus calamitatibus ipsos obruit. Rex tamen Armeniae a GASANO precibus impetrauit, (b) vt Christianos sibi subiectos placide et quiete viuere iuberet. Sed in reliquis regionibus summa imis miscebantur: templa vbique locorum diruebantur, et quidquid sanctum inter Christianos habetur, contemtui atque ludibrio ab impiis IESV CHRISTI inimicis exponebatur. In ciuitate Bagdado ne in publicum quidem prodire audebant viri, nisi contumeliis atque sannis excipi volebant. Corpora Patriarcharum Nestorianorum MACHICHAE atque DENHAE, quae in aedibus *Duidari* dictis in eadem vrbe sepulta

L 2 erant,

(a) *Continuat. Chron.* ABVLPHARAGII et AMRVS in *vita* DENHAE *Patr.* cit. ab ASSEMANO *T. III. P. II. p. CXXII. f.*

(b) *Append. ad Continuat.* ABVLPHAR. apud ASSEMAN. *vbi supra p. CXXV. f.*

erant, eruebantur, et ipſa domus Chriſtianis eripiebatur. Vix a lacrimis temperant huius aetatis auctores, quum diram hanc Chriſtianorum vexationem commemorant, eaque exponunt, quae in ciuitatibus Arbela, Tauriſio, Moſule et Bagdado paſſi ſunt. Sed per biennium quum haec tempeſtas rem publicam Chriſtianam deſolauerat, ſubito facies ipſius eſt mutata, caelum adparuit ſerenum et pax cultoribus IESV CHRISTI eſt reſtituta. Supremum enim Numen, quod res humanas moderatur, et cuius vindicta raro antecedentem ſceleſtum deſeruit, impium ſuorum hoſtem noluit impune peccare. NEVRVZVS, qui innocentes oppreſſerat, ipſe innocens ab aduerſariis perduellionis eſt accuſatus, et apud GASANVM delatus, tamquam bellum ipſi moturus. (c) Praefecerat eum GASANVS prouinciae Choraſan; quod quum aegre ferrent, qui in ea degebant, optimates, litteras NEVRVZI nomine finxerunt ad Regem Aegypti datas, quae clandeſtinas eorum machinationes indicabant, et vtrumque bello GASANVM eſſe petiturum, mentiebantur. Fidem num his calumniis habuerit GASANVS, ignoro. Commoda haec ipſi procul dubio viſa eſt occaſio, hominem, cuius potentia in dies creſcens ipſi non poterat non eſſe moleſta, de medio tollendi. Nec enim an NEVRVZVS huius criminis eſſet reus, inueſtigauit, ſed confeſtim ducem quemdam, KVTLVCSCHAH dictum, cum exercitu in Choraſanam miſit, et vt NEVRVZVM trucidaret, ei mandauit. Is iuſſa Regis ſine omni mora eſt exſequutus, et caput NEVRVZI amputatum GASANO miſit anno cIↄCCLXXXXVIII. Ita ſapientiſſimum Numen homines flagitiis deditos aliorum caſtigat peccatis. Peccabant, qui NEVRVZVM calumniabantur, ſed calumniis eorum Deus O. M. vtebatur, ad perditiſſimum Chriſtianorum hoſtem puniendum, et ſacram Chriſtianorum familiam a tyranno, qui eos crudeliſſime vexarat, liberandam.

§. XXVII.

(c) HERBELOT *Bibl. Orient. v.* GAZAN KHAN *p. 363.*

## §. XXVII.

Auctore calamitatis exſtincto, ipſa miſeria ceſſauit, et GASANVS Chriſtianis fauere coepit. Non is erat GASANVS, qui ciuium ſuorum ſanguine et interitu oblectaretur, ſed humanitati, clementiae, liberalitati aliisque, quae humani generis ornant rectores, virtutibus deditus. (a) Clementiorem ſe exhibuit Chriſtianis, quam Saracenis, quorum religionem, quum ad imperii clauum acceſſerat, ſuam fecerat. Anno cIↃCCLXXXXVIIII. (b) vna cum Rege Armeniae, Soldanum, quem vocant, Aegypti, MELECNASER dictum, eſt adgreſſus, et proelio deuicit. Sed paullo poſt MELECNASER collectis copiis exercitum Tartarorum in fugam abegit, et regnum recepit. S. ANTONINVS (c) GASANVM non ſolum Chriſtianum eſſe factum refert, ſed prodigium quoque commemorat, quo ad veritatem ſit adductus. Vxorem duxerat GASANVS filiam Regis Armeniae Chriſtianam, eamque pulcherrimam, et dulciſſimo eius amore flagrabat. Sed accidit, neſcio quo fato, vt ea filium ipſi pareret ita deformem, vt vix aliquid humani prae ſe ferret. Obſtupeſcit ARGONVS, conſilium conuocat, et quid cauſſae ſit, quod ex GASANI fauor erga Chriſtianos.

L3 tam

(a) HAITHO *C. XXXXI. XXXXII. p. 61 ſ.* Hic inſulſam et ridiculam prodit admirationem, quum: *Et hoc*, inquit, *praecipue erat admirandum, quod in tantillo corpuſculo tanta virtutum copia inveniri poterat. Nam inter XX. mille milites vix potuiſſet ſtaturae minoris aliquis reperiri, neque turpioris adſpectus: omnes tamen alios in probitate et virtute ſuperabat.* Quaſi vero ad corporis proceritatem virtutum copia eſſet exigenda!

(b) HAITHONVS *Cap. XXXXI.* modo cit. *p. 63.* hoc anno ſaeculi XIIII. decimo accidiſſe narrat, ſed perperam, id quod ante nos obſeruauit ODOR. RAYNALD. *Annal. Tom. XIIII. ann. 1299. n. 44. p. 537.*

(c) *Chron. P. III. Tit. XX. Cap. VIII. §. IX. fol. LXXXII.*

tam formoſa vxore natus ſit filius turpiſſimus, ex amicis quaerit. Hi inde id eueniſſe reſpondent, quod vxor parum caſta cum alio rem habuerit, ex quo adulterio puer eſſet procreatus; hanc ob rem principem grauiſſimo ſupplicio eſſe adficiendam, et cum ſobole cremandam. GASANVS idem decernit, exſtruitur rogus, et feminae innocenti ſententia adnunciatur. Ipſa vt ſibi antea liceat peccata more Chriſtianorum confiteri, ſacro epulo animam reficere, ac puerum baptiſmo initiare, ſupplex rogat. Permittit GASANVS, vxor ſanctiſſimum viaticum ſumit, puer baptizatur. Sed ecce miraculum! Puer, qui modo deformis erat ac teterrimus, pulcher ex baptismo exit et formoſus. Imperator inſigni hoc prodigio de pietate vxoris ac religionis Chriſtianorum veritate conuictus, eamdem profitetur veritatem, et coetui Chriſtianorum cum multis aliis publice adſcribitur. Ita rem narrat S. ANTONINVS, qui eam per virum quemdam ex Florentia oriundum innotuiſſe addit, qui inter Tartaros educatus, et ab iis ad BONIFACIVM Romanum epiſcopum aliosque Europae principes miſſus eſſet, ad diuulgandum miraculum. Verum enim vero haec omnia non impediunt, quo minus tota haec narratio dubia et incerta et veri parum ſimilis nobis videatur. Etenim ne dicam, vix credibile eſſe, principem, qui, teſte HAITHONO, inter XX. mille milites turpiſſimi fuit adſpectus, puerum ex vxore natum ideo pro ſuo noluiſſe habere, quia deformis fuit; idem HAITHONVS, qui in caſtris Tartarorum his temporibus eſt verſatus, ne verbo quidem eiusmodi quid indicat, quod tamen, ſi ita ſe habuiſſet, ſtudioſe retuliſſet. Tanti momenti haud eſt teſtimonium viri cuiusdam Florentini, vt aliis auctoribus fide dignis ſit praeferendum. Nec ſi qua eiusmodi pueri mutatio accidit, miraculo eam eſſe factam, vt credam, facile adducor. Quis enim piam aliquam fraudem huic miraculo non ſubeſſe, inuictis argu-

gumentis probabit ? Nonne puero deformi pulcher quidam supponi potuit, et pro GASANI filio venditari? Nullo negotio hoc ab episcopo et diaconis effici potuisse, facile cognoscunt, quibus Nestorianorum aliorumque orientalium Christianorum baptizandi ratio (d) non est ignota. Nouos inter ea legatos cum Franciscanos, tum Dominicanos Pontifex in Tartariam mittebat. Illorum (e) nonnulli anno cIↃCCLXXXXVI. eo profecti sunt: ex his (f) SANCTIVS de BOLEA, GVILLELMVS BERNARDI, BERNARDVS GVILLE et multi alii sacrae legationis negotium anno cIↃCCLXXXXVIIII. susceperunt, et per totum fere terrarum orbem discurrere constituerunt, quod num exsequuti sint propositum, et quales laborum collegerint fructus, memoriae non prodiderunt. (g)

§. XXVIII.

---

(d) Conf. IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. Clem. T. III. P. II. C. VII. §. VIIII. p. CCXXXI. s.* alii.

(e) Diploma Pontificis illis datum vid. ap. L. WADDINGVM *Annal. T. V. p. 345.* & Append. nostrae N. XXXXI.

(f) Litteras Pontificis, quibus Dominicani instructi fuere, exhibet ODOR. RAYNALD. *T. XIIII. ann. 1299. n. 59. p. 535. s.* Vid. quoque Append. N. XXXXII.

(g) Vnum tamen velim excipias, RICOLDVM de MONTE CRVCIS Florentinum Dominicanum, qui vastissimas regiones peragrauit, et itineris sui rationem litteris consignauit. Relationem hanc in Gallicum sermonem conuertit IOHANNES LE LONG Iprensis anno cIↃCCLVII. verum typis non est exscripta. Exstat exemplar eius, manu exaratum ac picturis distinctum, in regio librorum adparatu, qui Parisiis adseruatur. IAC. ECHARD. *Scriptor. Ord. Praed. T. I. p. 504. b. s.*

## §. XXVIII.

COPLAII mors, vestigio, successor TIMVR.

Ex Tartaria occidentali in orientalem mors COPLAII supremi Tartarorum moderatoris nos reuocat, qui anno saeculi XIIII. secundo (a) ex viuis excessit. Maxima et incredibili fere potentia atque opibus est gauisus. Non solum enim in Tartaria orientali et in Chataia, quae pars est regni Chinensium aquilonaris, est dominatus; sed anno quoque cIↃCCLXVIII. prouinciam Mangi siue Chinam meridionalem occupauit. (b) M. PAVLVS VENETVS, qui diu in aula Imperatoris est versatus, et insigni apud eum gratia valuit, potentiam eius mirum quantum extollit, et vix quemquam in toto orbe terrarum parem habuisse adserit. Non omni veritate haec relatio destituitur, (c) quum regni Chinensis, quod totum COPLAIVS sibi subiecit, opes atque diuitias inde ab antiquissimis temporibus immensas fuisse, hodie satis sit cognitum. De religione COPLAII non omni ex parte conuenit inter auctores. HAITHONVS (d) eum disertis verbis CHRISTVM coluisse perhibet, sed non satis accurate videtur loqui. Eum enim a IESV CHRISTO fuisse alienum, ARGONVS Pontifici exposuit in litteris anno cIↃCCLXXXVIIII. da-

(a) HERBELOT quidem *Bibl. Orient.* v. COBLA *p. 267.* eum anno cIↃCCLXXXI. mortuum adserit, et ABVLGASI *Hist. Geneal. des Tatars P. V. C. V. p. 386.* annos XXXV. regnasse perhibet; sed HAYTHONVS, horum temporum aequalis, eum *C. XVIIII. p. 35.* annos *XXXXII.* imperium tenuisse narrat, cum quo consentit M. PAVLVS, qui circa initium saeculi XIIII. quo librum suum composuit, de COPLAIO loquitur tamquam adhuc viuo.

(b) M. PAVLVS VENETVS de *region. oriental. L. II. C. LIIII. p. III. s.*

(c) Quemadmodum plurimi olim iudicarunt. EVSEB. RENAVDOTVS propter ea MARCVM PAVLVM vocatum esse *Messer Marco Millioni*, et librum eius *il millione*, obseruat *Ancienn. relat. p. 198.*

(d) *De Tartaris l. c.*

datis. (e) Idem MARCVS PAVLVS (f) innuit, qui diu admodum, quod diximus, cum eo est versatus. Sed Christianis eum valde fauisse, et ad religionem ipsorum amplectendam animo propendisse, fatetur. Scepticus, vt vno vocabulo omnia complectamur, in religione erat, qui diuinam IESV CHRISTI doctrinam cum recta ratione magis conuenire, et religione Tartarorum perfectiorem esse, iudicabat, sed animo tamen fluctuabat, vtrum eam publice profiteretur, nec ne? In veritate instructus erat a duobus nobilibus Venetis, qui e clarissima PAVLINORVM familia oriundi, anno cIↃCCLXVIIII. in Tartariam profecti, et ab Imperatore humanissime accepti erant. (g) Nobiles hosce viros, quorum alter NICOLAVS, MARCI PAVLI VENETI illius pater erat, ob praeclaram de regionibus orientalibus commentationem multis nominibus nobis laudati, COPLAIVS ad Romanum Pontificem legatos esse voluit, eisque, vt viros nonnullos eruditos ab eo peterent, iniunxit, qui Romanensium doctrinam Tartaros docerent. Illi mandatum principis exsequuti sunt, et anno cIↃCCLXXII. ad Anconam adpulerunt. Diem paullo ante supremum CLEMENS IIII. obierat, nec nisi post duos annos successor ei designabatur, qui GREGORII X. nomine insigniri volebat. Duos ab hoc acceperunt Dominicanos NICOLAVM et GVILLELMVM Tripolitanum, eosque, vna cum M. PAVLO in Tartariam duxerunt. Benigne eos excepit COPLAIVS, cumprimis autem M. PAVLVM nostrum iuuenem XVIII. annorum, et varia de rebus Europae ex iis est percontatus. Duo illi legati post aliquot annos in patriam reuersi sunt. Verum COPLAIVM



(e) Vid. supra §. XXI. p. 75 et ipsas Pontificis ad COPLAIVM litteras, anno cIↃCCLXXXVIIII. exaratas Append. nostrae N. XXXII.

(f) *Lib. I. Cap.* IIII. *p.* 4.

(g) M. PAVLVS *vbi supra.*

ad CHRISTVM deinde esse conuersum, aut baptismo initiatum, M. PAVLVS nullo commemorat loco; quid? quod idem eum et astrologos consuluisse, (h) et quatuor vxores centumque pellices aluisse (i) refert, quae cum doctrina Seruatoris nostri aperte pugnant. COPLAIO successit TIMVR, nepos eius ex filio, ZINGIS dicto. Hic vltimus est Tartarorum in China Imperator, cuius auctores mentionem fecere. (k)

## §. XXVIIII.

GASANVS *moritur, succedit* CHODABENDA *Mahometanus factus.*

Anno insequente cIↃCCCIII. GASANVS, qui anno cIↃCCLXXXXV. Tartarorum in occidente regnum occupauerat, inter viuos esse desiit. Successit frater CHODABENDA, (a) Chistianus primum, deinde Christianorum inimicus et vesani MAHOMETIS sectator. Ex matre enim natus erat Christiana, piissima femina, EROKCATON dicta, quae publice CHRISTVM inter Tartaros colebat, et sacra Christianorum in sacello quodam, quod exstrui iusserat, celebrari curabat. (b) CHODABENDA igitur in pueritia sacro baptismi abluebatur fonte, et NICOLAI nomine ornabatur. Accidebat autem, vt quum ad adultiorem peruenisset aetatem, amicitiam cum Mahometanis contraheret, eorum religionem suam faceret, et GAIATHEDDIN MOHAMMED (c) sese adpellaret. Tri-

(h) *L.* II. *C.* III. *XXX.*
(i) *L.* II. *C.* VIII. *p. 65.*
(k) Nisi fortasse ex scriptoribus Chinensium lux quaedam huic rei adfundi poterit.

(a) Vocatus est a Tartaris, ALGIAPTV, OLGIAPTV et OLGIAITV, HERBEL. *voce* ALGIAPTV p. 88. nec non VLSEITV, ABVLGASI *Hist. Geneal. P. VI. C. I. p. 424.* ab HAYTHONO *C. XXXXV. p. 73.* CARBAGANDA.
(b) HAYTHO *loco cit.*
(c) HERBELOT *l. cit.*

Triſtis haec CHODABENDAE mutatio res Chriſtianorum proſperas valde labefactauit, eorumque auctoritatem non parum fregit. Ad impium Regis exemplum maxima pars purpuratorum, vt erant homines vana huius vitae commoda magis quam caeleſtia ſectantes, componebantur, et quae antea Rege Chriſtiano deuouerant, ſacra Saracenorum amplectebantur. Diuinae qui ſtudebant veritati, in hac rerum conuerſione miſeram illorum ſortem non poterant non experiri, qui in rebus diuinis atque religione a domino ſuo diſſentiunt: contemnebantur, premebantur, vexabantur. Fatalem hanc piorum IESV CHRISTI in Tartariae regionibus occidentalibus cultorum periodum, merito dixeris. Rariores ab hoc tempore principes Tartarorum occidentalium Chriſtiani ſeſe nobis offerent, quam in ſaeculo XIII. neque tot tantisque emolumentis rem Chriſtianam illuſtratam in poſterum deprehendemus. Ad occaſum nimirum ſalutaris euangelii lux vergebat, quae barbaris adhuc adfulſerat: eaque Tartaris minabatur, triſti euentu paullo poſt comprobata, quae Seruator olim Iudaeis vaticinatus erat Ioh. XII, 35. *Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ Φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι· περιπατεῖτε ἕως τὸ Φῶς ἔχετε, ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ.* Miſeram ſane mortalium conditionem! Veritas adparet, Supremum nos inſtruit Numen, euangelium praedicatur. Quid homo? claudit oculos, diuinas veritates reſpuit, in tenebris ambulare cupit. Diuinum igitur lumen, vnde deſcenderat, reuertitur, et caecos atque errantes relinquit, quibus tutam oſtenderat viam. Felices Chriſtianos, qui ex aliorum peccatis diſcunt, ſibi quod ex vſu ſit, qui eadem mentis prauitate ſe numquam occupari patiuntur, vt a diuina veritate deſciſcant, et pro IVNONE, quod in prouerbio eſt, nubem amplectantur.

## §. XXX.

IABALLAHAE *ad Romanos defectio num vera?*

Quae A. cIↃCCCIIII. euenisse dicitur Patriarchae Nestorianorum ad Romanam ecclesiam conuersio parum videtur credibilis. IABALLAHA Nestorianorum Patriarcha saepius iam a nobis laudatus, hoc anno litteras (a) ad BENEDICTVM XI. Pontificem misisse fertur, in quibus a suorum doctrina alienus, adeo sui obliuiscitur officii, vt Romanum episcopum omnium Christianorum caput atque principem declaret, eique se subiiciat. Attulit IABALLAHAE litteras Pontifici IACOBVS quidam S. DOMINICI legibus adstrictus, et huic ni fallor litterae illae Catholici Nestorianorum sunt tribuendae. Ignominiae notam IABALLAHAE inussissent Syrorum scriptores, quem ad caelum laudibus tollunt, (b) si ad castra Romanorum transiisset, et Latinorum Patriarcham totius ecclesiae dominum et caput esset professus. Nec periculosum, nec difficile erat monachis impostoribus, litteras fingere in oriente exaratas, quum Pontificem benignam illis aurem praebiturum, fidemque esse habiturum, sibi possent persuadere. Et quamuis rem ita se habere concedamus, quemadmodum Romanorum gloriatur coetus, non

(a) Vid. ODOR. RAYNALDVS *T.* XIIII. *ann. 1304. n. 23. p. 598.* et Append. N. XXXXIII.

(b) *Honorem gloriam et auctoritatem consequutus est supra omnes successores suos, adeo vt Mogulensium Imperatores et Kani eorumque filii caput illi aperirent, et genua flecterent, eiusque potestas amplissima orientis regna omnia obtineret. Quocirca Christiani in diebus eius ad magnam gloriam et existimationem prouecti sunt.* AMRVS apud ASSEMAN. *T.* III. *P.* II. *p* CXXVIIII. *Iste* IABALLAHA *etsi doctrina et Syriacis litteris parum instructus esset, erat tamen moribus insignis et timore Dei praeditus et multam charitatem Iacobitis ostendit.* GREGORIVS BAR HEBRAEVS Iacobita cit. ab eod. ASSEMANO *T.* II. *p. 257.*

non magni tamen momenti has litteras fuisse, nemo ignorat, nisi qui, Nestorianos doctrinae suae esse tenacissimos, cum ignarissimis nescit. Etsi enim IABALLAHA BENEDICTO se subiecisset, Nestorianorum tamen neminem eum esse sequutum, (c) et Latinorum doctrinam professum, tota Nestorianorum historia euincit.

## §. XXXI.

Quae in Tartaria occidentali in dies deficere et languescere videbatur religio IESV CHRISTI, ea in China et Chataia laeta caput extollebat. (a) Repletum erat hoc opulentissimum regnum Nestorianis, qui maxima pollebant auctoritate, et ab episcopo suo Cambaliensi gubernabantur. Sed potentia, qua praediti erant, abutebantur, et charitatem atque moderationem diuini praeceptoris sui adeo negligebant, vt omnes reliquos Christianos secum dissentientes multis dolis opprimere ac vexare conarentur. Ita ipsi Christiani, quo minus altiores inter barbaros veritas diuina radices ageret, ac noua caperet incrementa, impediebant, aliisque euangelii praeconibus lucrum inuidebant animorum, quos ad CHRISTVM adducebant. Iam inde a multis annis inter eos IOHANNES de

IOHANNES *de* MONTE CORVINO *coetum in Chataia colligit.*



(c) Non iam de illo loquimur Nestorianorum Patriarcha, IOHANNE SVLAKA, qui saeculo XVI. Romanae se adiunxit ecclesiae, cuius successores, qui omnes IOSEPHI vocantur, sed exigua potestate praediti sunt, in vrbe Amida hodienum commorari solent. Conf IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Orient. T.* III. *P.* II. *p.* CLXIIII.

(a) Ea, quae iam narrabimus, binae nobis litterae ipsius IOHANNIS de MONTE CORVINO suppeditarunt, quas A. cIↃCCCV. et cIↃCCCVI. consignatas et a LVCA WADDINGO *Tom. VI. Annal. Minor. p. 68. s.* §. XII. exscriptas, vide sis in Appendice nostra, N. XXXXIIII. et XXXXV. Adde ODOR. RAYNALDI *Annal. Ecclesiast. Tom. XIV. ad A.* 1278. *§.* 17. *s. p.* 282. *et ad A.* 1289. *§.* 59. *p.* 419.

de MONTE CORVINO verſatus erat, quem Pontifex anno cIↃCCLXXXVIIII. in Tartariam miſerat. Is Indiam peruagatus, in Chataiam ad magnum Tartarorum Chanum ſe contulerat, et cum eum, tum alios diuina inſtruere ſapientia operam dabat. Verum indigne hoc ferebant Neſtoriani, eumque variis obruebant criminationibus, quibus fore ſperabant, vt homuncio Latinus ab amicis, bonis rebusque omnibus, quae ipſi auxilio eſſe poſſent, deſtitutus, a labore deſiſtere cogeretur. Hinc modo eum exploratorem eſſe, modo homicidam atque latronem, impie mentiebantur. Sed ſpe excidebant. IOHANNES noſter inſontem ſe eſſe demonſtrabat, eorumque calumnias diluebat. Nec impune peccabant, ſed ab Imperatore cognita cauſſa praecipui eorum ſolum vertere iubebantur. Pius itaque hicce et malorum patiens apoſtolus, et in eo, quod ſuſceperat, munere indefeſſus, non exiguum barbarorum numerum veritate imbuebat ac ſacris Chriſtianorum initiabat. Primo ſtatim, quo in has regiones aduenerat, anno, GEORGIVM Keritenſium Regem, a IOHANNE *Presbytero* deſcendentem ac Neſtorianorum inſtitutis deditum, cum magna ſubditorum eius copia in ſuas traxit partes, eique vt minores, quos vocant, Romanae eccleſiae ordines ſuſciperet, et ſibi ſacra celebranti, miniſtraret, auctor fuit. Pulchram quoque et ſplendidam aedem diuino cultui deſtinatam, princeps hic exſtrui curauit, eamque *eccleſiam Romanam* adpellauit. (b) Sed fato fungebatur anno

(b) Hic IOHANNES ille eſt Tartarorum Imperator, de quo S. ANTONINVS *Chron. Part. III. Tit. XXIIII. Cap. VIIII. §. XIII. fol CCXXXXV. Sub ipſo* (GONDISALVO Hiſpano) *generali* (ordinis Franciſcanorum) *dominus* IOANNES *imperator Tartarorum, qui cum matre ſua olim fuerat ad catholicam fidem per fratres minores conuerſus, baptizatus et nutritus, ex hac vita migrauit, in loco fratrum more imperiali ſolenniter tumulatus. Cuius corpus, quum per XXX. annos fuiſſet ſepultum, et propter guerras fuiſſet per fratres translatum ad Saray ciuitatem, ita in-*

anno cIↃCCLXXXXVIIII. filium relinquens trium annorum, cui IOHANNIS nostri nomen imposuerat. Sub hoc plurimi Romanorum, ad quae transierant, castra deseruerunt, et ad pristina Nestorianorum sacra reuersi sunt. Interim IOHANNES de MONTE CORVINO duas in ciuitate Cambalu sacras exstruxerat aedes, in quibus cultui diuino, Romanorum legibus circumscripto, operam dabat, adnuente Tartarorum Imperatore, qui cantu puerorum, quos IOHANNES instruxerat, mirifice oblectabatur, ipsumque maximis colebat honoribus. Et quo vberiores inter barbaros religio IESV CHRISTI caperet fructus, noui foederis libros cum sanctis DAVIDIS hymnis in linguam Tartaricam conuertit, et pulcherrimis litteris conscriptos publicauit. Patet ex hisce praeclaris et insignibus IOHANNIS de MONTE CORVINO conatibus atque laboribus, eum et sincero impios conuertendi ardore flagrasse, et ab ea, quae ab euangelii praeconibus requiritur, prudentia haud fuisse derelictum. Sane si nihil amplius desiderasset, quam sanctam illam de potestate Pontificis fabulam Tartaris inculcare, eosque catholi-

---

*tegrum et incorruptum cum vestibus et puluinari de serico est repertum, sicut si eadem die fuisset mortuus et sepultus, non sine magno stupore fidelium et infidelium et admiratione.* WADDINGVS *Tom. VI. p. 176. §. XII.* et HENR. SPONDANVS *Tom. I. anno 1307. n. 3. p. 360.* eum perperam pro magno Tartarorum Chano habent, qui etsi IOHANNI de MONTE CORVINO benignus fuit atque amicus, sacra tamen Christianorum non est amplexus. Addit WADDINGVS loco cit. *In hoc eodem loco de Saray iacet etiam* CATHOGONTI *frater Imperatoris Tartarorum ad fidem conuersus per Fratres Minores, qui multa iocalia et donaria dedit Monasterio. Vitae dicunt fuisse sanctissimae, et miraculis fulsisse. Scribit ex teste oculato Pisanus ad eius sepulcrum liberatam quamdam Sarracenam a daemonio vexatam.* Scilicet non poterat non is miraculis atque prodigiis mortuus fulgere, qui viuus Franciscanos variis donis atque beneficiis ornauerat.

tholicos Romanos reddere, nec in veritate eos ſolide inſtruere voluiſſet, numquam vt Nouum Teſtamentum in linguam Mogulenſium conuerteret, potuiſſet adduci. Sed Chriſtianos homines formare cupiebat, qui ipſam Seruatoris legem oculis perluſtrare, et ex ea, quid expediat, diſcere poſſent.

## §. XXXII.

IOHANNES de MONTE CORVINO *fit archiepiſcopus Cambalienſis.*

Laborum ſuorum rationem IOHANNES de MONTE CORVINO binis expoſuerat litteris, ad ordinem ſuum datis et §. antecedente a nobis citatis, et vt viros quosdam pios atque idoneos Pontifex ad ſe mitteret, rogauerat. CLEMENS itaque V. qui hoc tempore coetui Romanenſium praeerat, precibus IOHANNIS obtemperans, ſeptem in Tartariam Franciſcanos abire iuſſit. (a) Erant hi

(a) Vid. epiſtola ANDREAE de PERVSIO anno cIɔCCCXXVI. ex vrbe Cayton ad *Guardianum Peruſinum* miſſa in L. WADDINGI *Annal. Minor. T. VII. p. 53.* et Append. noſtrae N. XXXXVI. Octo vel nouem miſſos eſſe tradit PETR. BERGERON *Traité des Tartares Cap. XI. p. 63.* Neque prorſus errat. Vnus enim ex his legatis Franciſcanis, nomine IACOBVS, qui expeditiſſimus ad hanc militiam videbatur, inhoneſte aut metu, aut alia de cauſſa ab inſtituto reſiliit. Praedixerat huic homini lapſum ſuum B. ORINGA ſeu CHRISTIANA, virgo Hetruſca, ſanctitatis opinione celebris. Narrat hoc CORNEL. CVRTIVS in vita huius Sanctae, *Actis Sanctor. menſis Ianuarii Tom. I. cap. VII. §. 37. p. 659. Inter*, inquit, *reſtituendum vero, in Patrem, nomine* IACOBVM, *qui ad iter et Euangelii meſſem paratiſſimis pedibus prurire videbatur, intuita* (virgo ſancta) *pronuntiauit non perſeueraturum. Quod ille cum ſtupore quidem audiuit, ſed maiori poſtea cum ſtupore viderunt omnes vatem falſam non fuiſſe.* Praeteriit hunc euentum, tamquam familiae ſuae parum honorificum bonus WADDINGVS, diligentiſſimus ceteroquin ſcriptor. Omnes hi Franciſcani, quos CLEMENS ad Tartaros aman-

hi GERARDVS, PEREGRINVS, ANDREAS de PERVSIO S. Theologiae lector, NICOLAVS de BANTRA siue Apulia minister prouinciae S. FRANCISCI, PETRVS de CASTELLO, ANDRVTIVS de ASSISIO, et GVILLELMVS de FRANCHYA siue de Villalonga aut Villanoua. Et quo maiori fructu atque auctoritate munus suum obirent, IOHANNEM de MONTE CORVINO archiepiscopum Cambaliensem, et eos, quos nominauimus, Franciscanos episcopos, ipsi suffraganeos, designauit, et sacris episcoporum, quum itineri se accingerent, initiari



amandauit, nec nimis sancti, nec nimis sapientes fuerint necesse est. Magnifice enim in itinere apud ORINGAM, quam inuiserant, muneris sui sanctimoniam et iurium amplitudinem praedicabant et nihilo tamen minus omnia diplomata Pontificia neglegentissime amiserant: miseri fuissent et sine litteris Pontificis ad Tartaros venissent, nisi optima virgo miraculo perditos hos thesauros recuperasset. Audiamus ipsum iterum CVRTIVM *l. c. p. 659. Quidam de familia Seraphica graues Patres ad Tartaros (homines poene tartareos) destinati Apostoli, in via S.* CHRISTIANAM *salutarunt. Longos illic logos de longissimo itinere, de amplissima officii Euangelici dignitate atque auctoritate multa verba serebant: priuilegia etiam ad id muneris rite obeundum non vulgaria ostendere gestiebant. Quaesita in manica, in sacculo, in pera: frustra: in via nescio vbi exciderant. Ibi omnes subito grauis moeror incessere et tantum non deliqui animo. At vero* CHRISTIANA*: Bono animo este, inquit, o boni, salua vobis sunt vestra priuilegia. Et remotis arbitris in preces statim incubuit, quas totam noctem perpetuauit: donec indice caelo videret ea latere sub iunipero, quae dimissus mane famulus reperit integra, incorruptaque ab imbre, qui per eam noctem densus ceciderat.* IACOBVS ECHARD. *Script. Praed. T. I. p. 571. s.* Dominicani quoque cuiusdam facit mentionem, circa annum cIↃCCCVI. a Pontifice in orientem missi, qui librum conscripsit, cuius exemplum manu exaratum in bibliotheca exstat Colbertina, hoc titulo inscriptum: *Directorium ad faciendum passagium transmarinum editum per quemdam fratrem ordinis Praedicatorum scribentem experta et visa potius quam audita.*

curauit. Singulos Pontifex variis inſtruxit priuilegiis, (b) ad IOHANNEM de MONTE CORVINO peculiare dedit diploma, (c) quo ipſi omnes Romanorum in oriente ſocietates ſubiecit, ea tamen lege, vt Romano Pontifici obnoxius, pallium ab eo acciperet. Ad TIMVREM quoque magnum Tartarorum Chanum litteras (d) dedit, quibus eum ad ſacra Chriſtianorum ſuſcipienda hortatur, ac clementiam erga IOHANNEM de MONTE CORVINO extollit. Horum Franciſcanorum tres priores GERARDVS, PEREGRINVS et ANDREAS de PERVSIO A. cIɔCCCVIII. ad IOHANNEM peruenerunt, eumque archiepiſcopum Cambalienſem conſecrarunt. NICOLAVS vero de BANTRA, PETRVS de CASTELLO et ANDRVTIVS de ASSISIO nec Chataiam, nec IOHANNEM viderunt, ſed in ipſo Indiae ingreſſu diem ſuum obiere. Vltimus GVILLELMVS de VILLANOVA in Italiam eſt reuerſus, et eccleſiae Sagonenſi A. cIɔCCCXXV. praefectus.(e) IOHANNES igitur de MONTE CORVINO a ſuffraganeis ſuis adiutus, eodem, quo coeperat, feruore veritatem diuinam propagabat. Annno cIɔCCCXII. alios tres ex eodem ſodalitio ſuffraganeos Pontifex IOHANNI archiepiſcopo miſit THOMAM, HIERONYMVM et PETRVM de FLORENTIA, quibus vt ipſi auxilio eſſent et euangelium Tartaris adnunciarent, iniunxit. (f) Paullo poſt

(b) WADDINGVS *T. VI. p. 147.* Append. N. XXXXVII.
(c) *Idem p. 93.* Append. N. XXXXVIII.
(d) *Idem ibid.* Append. N. XXXXVIIII.
(e) Ita quidem WADDINGVS. Verum FERD. VGHELLVS *Italiae ſacrae Tom. III. p. 516.* GVILLELMVM hunc A. cIɔCCCXXIII. XII. Kal. Maii eccleſiae Sagonenſi in Corſica praefectum et A. cIɔCCCXXVIII. de VII. Kal. Febr. ad eccleſiam Tergeſtinam translatum eſſe, docet. Obiit ibi, teſte eodem VGHELLO *Italiae ſacrae T. V. p. 582.* A. cIɔCCCXXXI. et ſepulcrum eius adhuc oſtenditur Tergeſtae.
(f) WADDING. *p. 184.* Diploma PETRO de FLORENTIA datum vid. apud *eumdem p. 467.* et Append. N. L.

post Pontifex AEGIDIVM ROMANVM prima sanctioris doctrinae rudimenta litteris mandare iussisse, eaque omnibus Tartaris atque Saracenis misisse fertur.(g) Interim femina quaedam opulentissima Armena in vrbe *Cayton* (h) ecclesiam suis sumtibus exstruit, eamque ab archiepiscopo IOHANNE primariae seu cathedralis nomine atque dignitate insigniri curat. Huic IOHANNES GERARDVM episcopum praefecit, cui vitam cum morte commutanti PEREGRINVS successit, et huic anno cIↃCCCXXII. ANDREAS de PERVSIO.

 §. XXXIII.

(g) P. BERGERON *Traité des Tartares Ch. XI. p. 63.* Vellem a BERGERONO haec vbi scripta inuenerit, indicatum fuisset. Nec enim vllus eorum, qui de celebri hoc homine et Bituricensium antistite accurate commentati sunt, eiusmodi quid memoriae prodidit. Si vera narrat BERGÉRONVS, hoc certe falsum est, quod circa A. cIↃCCCXVI. *Catechismum* in vsum Tartarorum ab AEGIDIO exaratum fuisse tradit. Nam quod Epitaphium eius apud CAESAR. EGASSE de BOVLAY *Histor. Academ. Parisiensis Tom.* III. *p. 572.* docet, iam. A. cIↃCCCXV. diem obiit. Forte apud BERGERONVM, qui parum emendate editus est, pro A. cIↃCCCXVI. legi debet cIↃCCCVI.

(h) *Cayton* sine dubio eadem vrbs est, quam ODORICVS de PORTVNAONIS in *Itinerar cap. IV. p. 990. Act. SS. Ian. T. I. Saiton* vocat; *veni ad nobilem ciuitatem Saiton. Illic est copia bonorum omnium, quae necessaria sunt humanae vitae - - Haec ciuitas ita est magna, sicut bis Bononia ab omnibus aestimatur.* Sita igitur erat in illa parte Chinae, quae *Manzi* hoc saeculo vocabatur. Quae vero eius hodie nomen sit, vix dixerim, ac ne vix quidem. Refert scriptor, ex quo haec hausimus, se ex vrbe *Caiton* profectum esse *Suctio*. *Suctio* certissime illa est prouinciae *Kiang nan* vrbs, quae *Sou tcheou* hodie adhuc dicitur. In hac igitur provincia *Cayton* quoque sita fuisse videtur. Nulla est vero hodie huius prouinciae vrbs, cuius nomen ad vocabulum *Cayton* siue *Sayton*, prope accedat. Forte igitur haec vrbs diruta et euersa est.

## §. XXXIII.

ODORICI *de* FORO IVLIO *iter in Tartariam.*

Anno cIↄCCCXIIII. ODORICVS de PORTV NAONIS, quae vrbs eſt Fori Iulii, Franciſcanus in Tartariam Indiamque eſt profectus, et in ciuitate Cambalu aliquot annis eſt commoratus, vnde anno cIↄCCCXXX. redux factus, iter ſuum memoriae mandauit. (a) Hic, quod ipſe memorat, ſub initium *peregrinationis* ſuae (b) non auctoritate Pontificis, ſed proprio inſtinctu, *vt aliquod lucrum faceret animarum, de licentia Praelatorum ſuorum,* in Indiam et Tartariam profectus eſt. Et conſtat, multos hac aetate tam Dominicanos, quam Franciſcanos, aut rerum nouarum cognoſcendarum ſtudio, aut pietate ductos longinqua eiusmodi itinera adgreſſos eſſe. Venit in Chinam orientalem, quam *Manzy* vocat, nec aliter deſcribit, quam hodie a Ieſuitis et aliis deſcribitur, qui in ea verſati ſunt. Nomen *Manzy* id ipſum ſine dubio eſt vocabulum, quo Tartari adpellabantur, qui tum Chinam ſibi ſubiecerant, *Mantcheous.* (c) Dominorum ergo nomen terrae tum temporis impoſitum erat. In hac parte Chinae Franciſcani tum domicilium habebant. Sic enim ODORICVS: (d) *Hinc exiens veni ad fluuium magnum, nomine Tannay -- Dum autem per iſtud flumen tranſiſſem, per multas ciuitates veni ad vnam nomine Ianzi vbi locus eſt fratrum Minorum.* Fluuius *Tannay* ſine dubio eſt ille, quem Sinae vocant *Te tſchen.* Vrbs vero *Ianzi* nulla eſt, quam hodierna *Yen Tcheou*, celebre et opulentum prouinciae *Tſi nan fou* oppidum. Solent nempe Europaei, ma-

(a) Hoc cum vita eius exſtat in IOANNIS BOLLANDI et GODOFRIDI HENSCHENII *Actis Sanctorum Tom. I. d.* XIIII. *Ianuarii p. 983. ſ.* edit. Venetae.

(b) *Cap.* I. *p. 986.*

(c) Vid. IO. BAPT. DV HALDE *Deſcription de la Chine Tom.* III. *p. 76. ſ.*

(d) *Cap.* IIII. *§. 18. p. 990.*

maxime medii aeui scriptores, nomina et vocabula Sinarum parum emendate pronuntiare. Quamquam in hoc nomine mediocris tantum est corruptio. Solebant tamen et Franciscani in alias vrbes et prouincias excurrere. Narrat enim, eos in vrbe regia *Chamsana*, in qua tum *Rex Manzy morabatur, vnum potentem hominem ad fidem* CHRISTI *conuertisse, seque in domo eius continue hospitatum esse. Chamsana* interpretantur *Collectores Actor. Sanctor.* (e) de vrbe *Quinsai*. Huius meminit quidem M. PAVLVS VENETVS tamquam amplissimae, sed nulla hodie vrbs Sinae est, quae descriptioni eius respondeat, si nobilissimam et opulentissimam vrbem *Quang tschou fou* exceperis, quam nos *Canton* adpellare cum Lusitanis solemus. Hinc progressus est ODORICVS in Cataiam et quidem *Chambalech*, vbi per tres annos commoratus est. Magno tum in honore positi erant Franciscani in aula magni Chami. Sic enim *cap. V. p. 991. Festis regiis saepius interfui. Nam nos fratres Minores in hac curia habemus locum pro nobis specialiter deputatum, et nos semper oportet primos procedere et dare Domino Regi nostram benedictionem.* Ipse de se praedicat, summos in aula viros opera sua ad Christianam religionem amplectendam adductos esse: *Quaesiui, ait, ab illis, qui per me ad fidem* CHRISTI *conuersi sunt, quorum plures in illa curia sunt magni Barones adspicientes solummodo ad personam Regis.* Florentissimum hinc apparet ista aetate Tartaricae et Sinensis ecclesiae statum fuisse. Ex Cathaia profectus est in Tartariam proprie sic dictam: *Veni, ait, in terram Pretesoan* (vide hic corruptionem insignem nominis *presbyteri* IOHANNIS) *de qua centesima pars non est, sicut olim dicitur fuisse.* Hinc in regnum Thibet ad ipsum magnum Lama, vt hodie vocatur, commeauit. Sed tum aliud fuit huic Pontifici nomen: *In hac ciuitate* mo-



(e) *In not. ad C. II. p. cit.*

*moratur Abbaſſi*, *quod ſonat* PAPA *in illa lingua. Iſte caput eſt omnium idololatrarum*, *quibus ſecundum morem ſuum diſtribuit gradus et beneficia dignitatum.* Erant et hic tum temporis Franciſcani, qui miracula, ſi credere huic licet, edebant: *In terra hac omnipotens Deus noſtris Fratribus contra immundos ſpiritus magnam contulit poteſtatem. Nam ſic eos eiiciunt ab obſeſſis corporibus*, *ſicut qui ex facili de domo expelleret vnum canem: ideo multi a daemonibus obſeſſi et catenis ligati ad ipſos fratres per decem diaetas et amplius adducuntur. Illi autem*, *qui ſic a daemonio liberantur*, *mox ſe permittunt et petunt ſacro baptismate purificari.* Crediderim hos Franciſcanos rei medicae peritos fuiſſe, vt hodie Ieſuitae et alii ſolent eſſe, qui ad remotas et barbaras gentes proficiſcuntur, atque naturalium remediorum virtute ſanaſſe homines, quos ſuperſtitioſi et rerum omnium rudes Tartari a malis geniis vexari putabant. Sed audiamus et reliqua: *Tunc fratres idola filtro facta*, *quae iſti coluerant*, *accipiunt*, *portantes ſecum crucem et aquam benedictam*, *ad ignem pro hoc paratum deferunt ad cremandum. Tunc omnes de contrata illa conveniunt ad ſpectaculum*, *cupientes videre*, *qualiter Dii vicinorum ſuorum a fratribus comburuntur. Et cum fratres idola in ignem proiiciunt*, *frequenter agente diabolo proſiliunt extra ignem. Tunc ipſi benedicta aqua ignem aſpergunt et idola penitus incinerantur. Indignatus eſt Satanas cum ſuis*, *qui vaſa diu poſſeſſa amiſit*, *in aere vociferatur*, *dicens: videte qualiter de meo habitaculo cum iniuria ſum expulſus: propter hoc multi de gentibus illis ad baptiſmi gratiam conuertuntur.* ODORICVS poſtea ob multa, quae patraſſe fertur, miracula, caelitum beatorum numero, quos *Sanctos* Romani vocant, eſt adſcriptus.

§. XXXIIII.

## §. XXXIIII.

Dum haec geruntur, CHODABENDA, qui rebus Tartaricis occidentalibus praeerat, legatum ad Pontificem misit, THOMAM ILDVCI, eumque ad bellum Saracenis mouendum excitare est conatus. Promtissima Christianis, si Saracenos adgressuri essent, promisit subsidia, seque cum centum millibus equitum ipsis auxilio fore est pollicitus. Pontifex, cui nihil gratius accidere poterat, quam vt cruce signatorum expeditione instituta, principum atque Regum Europaeorum copias sibi molestas trans mare mittere sibi liceret, ne sua scilicet potentia, quo minus maior in dies euaderet atque inuictior, impediretur, incredibili laetitia adfectus est. Eam CHODABENDAE litteris anno cIↃCCCVIII. exaratis indicauit, gratulatusque est de tam pio desiderio a Spiritu S. in mente ipsius accenso, et vt sacra Christianorum amplecteretur, eum est hortatus. (a) Sed fugiebat Pontificem, CHODABENDAM a veritate desciuisse et Mahometanorum religionem colere. Quam ob caussam veri neutiquam est simile, CHODABENDAM ea iterum amplecti voluisse sacra, quibus nuntium ante aliquot annos miserat. Et si Saracenorum opes aequo tulisset animo, nec eorum adpetiisset prouincias, haud scio, an legatum vmquam ad Pontificem misisset.

CHODABENDAE *ad Pontificem legatus.*

## §. XXXV.

CHODABENDA anno cIↃCCCXVII. animam efflauit, ac regnum filio XII. annorum ABV SAID reliquit. Quem quum pueritia regimini imparem redderet, purpuratorum quidam AMIR ZVPANI summam rei moderabatur,

CHODABENDAE *succedit* ABVSAID. VSBEKVS *Christianis infestus.*

---

(a) ODOR. RAYNALD. *Tom. XV. anno 1308. n. 30. p. 37. s.* Litteras Pontificis ad CHODABENDAM, quem OLGETVCAN adpellat, ex eodem describemus Append. N. LI.

batatur, eumque educabat. (a) Ipse deinde aetate prouectior clauum imperii suscepit, ac diuersa cum vicinis bella gessit. Horum praecipuus erat VSBEKVS ex ZVZI, ZINGIS CHANI filii, stirpe oriundus, qui prouinciam *Daschte Kipzak* (b) dictam gubernabat, (c) sed frustra tentato bello, recedere ab ABV SAIDO cogebatur. Is circa idem fere tempus, quo ABVSAIDVS, regnare coepit, et veritatem diuinam eiusque cultores in prouincia sua oppressit. MAHVMEDEM enim coluit, eiusque placita vbique locorum praedicari ac pro diuinis haberi iussit. Neque optatius quidquam ciuibus eius accidere potuisset, quorum maxima pars eadem iam doctrina imbuta erat, quique vt gratum testarentur animum, et insignis, vti putabant, beneficii memoriam conseruarent, principis nomen suum fecere, seque ab hoc tempore *Vsbechitas* semper vocarunt. (d) Christianis, qui in his terris se extenderant, et pacatius adhuc vixerant, hi MAHVMEDIS cultores, quo erga ipsos flagrabant odio, non poterant non nouas ex-

(a) ABVLGASI *Histoire Genealogique des Tatars P. VI. C. I. p. 425.*

(b) Veram hanc et antiquam Tartarorum, quos *Cosaccos* hodie vocamus, patriam esse, ostendit auctor obseruationum ad *Hist. Geneal. des Tatars p. 47.*

(c) Etsi duo tantum supremi fuerunt Tartarorum Imperatores, quorum alter Tartariae occidentali, alter illi, quae ad orientem solem vergit, seu Chataiae praefuit; multi tamen alii fuere Tartarorum Chani siue principes, qui illos quidem superiores se adgnouere, sed suis tamen legibus vixere, neque illis obtemperarunt, nisi quum sua interesse crediderunt. Et hinc euenit, quod multorum principum atque Regum mentio fit, de quorum prouinciis atque imperio nihil certi, quod referamus, habemus.

(d) *Hist. Geneal. des Tatars P. VII. c. V. p. 457. Il fit introduire le culte Mahometan dans toutes les provinces de sa Domination, ce qui luy concilia tellement l'affection de ses sujets, que pour luy en donner une marque publique ils prirent tous le nom d'Vsbecks, qu'ils ont gardé constamment du depuis, car avant le Regne d'Vsbeck Chan ils n'ont jamais esté connu sous ce nom.*

excitare molestias. Campanas (liceat nobis hoc vocabulo vti vsu iam emollito) inter cetera aegre ferebant, (e) ad quorum sonitum cultores IESV CHRISTI se congregabant, sacra religionis suae celebraturi. Rem ad VSBEKVM deferebant, eique, nescio quo pacto, persuadebant, eiusmodi campanarum sonum infausta quaeuis atque ominosa sibi portendere. Princeps benignam ipsis aurem praebebat, et vt suorum salutem tueretur, et quae campanae Christianorum ipsis minabantur, mala auerruncaret, eas pulsari prohibuit. Alia Christianis incommoda barbaros excitasse, et ipsum eorum cultum destruere conatos fuisse, prudens quisque facile suspicabitur. Interim fama huius rei ad IOHANNEM XXII. Romanorum episcopum perlata erat. GVILLELMVS ADAE Dominicanus ex Persia Auenionem peruenerat, et Pontifici haec retulerat, sed de VSBEKI religione et alieno a Christianis animo parum sincere eum instruxerat. Quin potius VSBEKVM veritatis esse amicum, ei persuaserat, spemque iniecerat, fore, vt propediem veritatem diuinam amplecteretur: sed Pontificem valde deceptum fuisse, id est, quod modo ostendimus. VSBEKVM quidem postea Christianis paullo mansuetiorem se praebuisse, et si dicendum quod res est, amicitiam eorum simulasse, tot clamantibus testibus Romanis, non diffitemur. Verum proprio eum ductum esse commodo, et Christianos in fide tantum et obedientia retinere, illisque ad debellandos Saracenos vti studuisse, sagaciores quosuis rerum aestumatores facile nobis esse largituros, speramus. VSBEKVM itaque Pontifex vt in suas traheret partes, litteras (f) ad ipsum anno cIↃCCCXVIII. misit, eumque vt Christianam religionem susciperet, ac molestum eius cultoribus edictum rescinderet, est hortatus.



(e) ODOR. RAYNALD. *Annal. Tom. XV. ann. 1318. n. 1. p. 168.*

(f) *Idem l. c.* Append. N. LII.

Eodem Pontifex anno vrbem *Soltaniam* in Perſia ſitam ſedem conſtituit archiepiſcopalem, eique FRANCVM PERVSINVM Dominicanum praefecit, qui Saeculo XIIII. ineunte in Perſiam et Tartariam ſe contulerat, ibique verbum diuinum promulgauerat. Huic ſex epiſcopos ſubiecit ſuffraganeos GERARDVM CALVENSEM, GVILLELMVM ADAE modo dictum, BARTHOLOMAEVM de PODIO, BERNARDINVM de PLACENTIA, BERNARDVM MORETI et BARTHOLOMAEVM ABALIATI, quibus, vt ad eum in Tartariam proficiſcerentur, iniunxit. (g) Epiſcopum quoque Caffam, vrbem in Tartaria Crimaea poſitam, miſit A. cIɔCCCXX. HIERONIMVM illum, quem anno cIɔCCCXII. IOHANNIS de MONTE CORVINO ſuffraganeum conſtituerat.

## §. XXXVII.

ABVSCANVS *convertitur*. ZOPAN BEGILAR *et* MVSSAYD *Chriſtianis favent*.

Multi igitur et Dominicani et Franciſcani quum in terris Tartarorum degerent, ac latius quotidie ſe extenderent, ad Seruatorem, vel ad Romanum potius epiſcopum nonnullos adductos eſſe, negari nequit: et multa quidem praeclare ab iis geſta nuntii, quos in Europam miſere, narrarunt. Sed horum relationi nemo ſapiens atque prudens,

(g) IAC. ECHARD. *Script. Ord. Praed. T. I. p. 537.* Qui mentionem iniicit libri cuiusdam, qui ex latino in Gallicum ſermonem conuerſus, et hoc titulo inſcriptus in Bibliotheca Regis Gallorum adſeruatur: *L'Eſtat et la gouvernance du grand Caan de Cathai Seuverain empereur des Tartares, et de la diſpoſition de ſon empire, interpreté en Latin par un archeveſque, qu'on dit l'archeveque Saltenſis, au commend du Pape* IEAN *XXII. de ce nom. Et fu cils livres translatez de Latin en François par Frere* IEAN *de* YPRES *moine de S. Bertin en S. Omer en l'an MCCCLI. acomplis.* Auctorem huius libri ECHARDVS GVILLEMVM ADAE eſſe exiſtimat, qui FRANCO PERVSINO in archiepiſcopatu ſucceſſit. Litteras Pontificis ad FRANCVM PERVSINVM exaratas ex RAYNALDO deſcribemus Append. N. LIII.

dens, nisi caute et circumspecte, fidem habebit: ac potius nonnulla eos aperte falsa, plura incredibilia, pauca certa atque explorata de se suisque laboribus esse gloriatos, sibi persuadebit. Dudum summi ac doctissimi viri quamplures relationes, quas legati Romanorum sacri de ingenti, quos ad veritatem adducunt, barbarorum numero, proferunt, suspectas nec fide dignas iudicarunt, eosque nihil minus, quam veritatem curare, euicerunt: nec semel nobis, si hoc addere licet, mendacia eorum detegere contigit. Idem quoque de illis censendum putamus, qui anno cIↃCCCXXI. ad Pontificem se contulere, eique praeclaros suorum labores perhibuerunt. HIERONYMVS, quem Pontifex anno proxime elapso episcopum Caffensem designauerat, ad eum reuersus erat. (a) Genuenses enim, qui vrbem hanc inde ab anno cIↃCCLXVI. possederant, HIERONYMVM eiusque socios tot adfecere iniuriis atque molestiis, vt solum vertere et ex vrbe discedere cogerentur. Quid caussae fuerit, quod Genuenses Franciscanos ferre noluerint eosque in exilium egerint, et num hi omni culpa caruerint, non est exploratum. HIERONYMVS ea, quae passus erat, Pontifici exposuit, et quantis a se ornata esset res Christianorum incrementis, commemorauit. Laudibus inter ceteros ABVSCANVM extulit COSOGANI Regis Tartarorum filium, eumque a se esse conuersum narrauit. Pontifex HIERONYMVM ad sedem suam redire et litteras (b) ABVSCANO adferre iussit, quibus laetum de eius conuersione animum testatur, et vt subditos ad veritatem adducere conetur, eum obsecrat. Franciscanis in eadem prouincia degentibus, vt HIERONYMVM dignitati suae restituant et Genuenses poenis ecclesiasticis adficiant, mandauit: omnes denique Tartaros aquilonares Romanis placitis



(a) L. WADDING. *T. VI. p. 371.* OD. RAYNALD. *T. XV. ann. 1321. n. I. p. 211.*
(b) Vid. Appendix N. LIIII.

citis addictos ad constantiam est hortatus.(c) Alii eodem anno ex Tartaria redeuntes Franciscani, PETRVS et IACOBVS,(d) duos Tartarorum Imperatores, quorum alter ZOPAN BEGILAR, alter MVSSAYD vocabatur, animo ad religionem Christianam propendere, ac parum abesse, quin eam profiteantur, retulerunt. Qui vt Romanam religionem amplificare pergerent, a Pontifice cum litteris ad vtrumque Tartarum,(e) nec non ad Christianos cum Latinos, (f) tum schismaticos (g) datis, in Tartariam remissi sunt. Alios denique Franciscanos, ex iisdem regionibus reduces factos, IOHANNES cum priuilegiis (h) litterisque ad Georgianos hoc anno proficisci iussit. Haec si quis leuiter perpenderit, quas legatis Pontificis non tribuet laudes? quibus praeclaris rem Christianam emolumentis non putabit adauctam? Sed rem altius qui considerabit, non magni momenti hos, quos veritas diuina in Tartaria fecit, esse progressus, cognoscet. Duo enim priores, quos nominauimus, Tartarorum principes nec Reges, nec praeclari atque potentes principes fuere. ABVLGASI enim ipse Tartarus, multis nominibus nobis laudatus, quo nemo adcuratiorem atque perfectiorem principum Tartarorum notitiam nobis suppeditauit, ne verbo quidem ABVSCANI illius COSAGANI filii ad Christianam religionem conuersi mentionem facit: nisi COSOGANVS ABVSCANI pater idem sit, ac CVTVGAI (i) ZAGATAII pronepos. ZOPAN BE-

(c) Ibidem N. LV.
(d) L. WADDING, *l. cit. p. 368. s.* RAYNALD. *vbi supra.*
(e) Vid. Append. N. LVI.
(f) Ibidem N. LVII.
(g) Ibidem N. LVIII.
(h) WADDING. *l. c. p. 366. s.* RAYNALD. *l. c. p. 213.* Append. N. LVIIII.
(i) *Hist. Geneal. P. V. C. II. p. 395.*

BEGILAR, nisi totus fallor AMIR ZVPANI est, quem tutorem ABVSAIDI fuisse ex eodem auctore §. antecedente obseruauimus; sed is non fuit Imperator Tartarorum, quemadmodum Pontifex eum adpellat, sed purpuratus tantum, aliqua, sed non maxima potentia praeditus. MVSSAYD quidem, si coniecturis est locus, ipse ABVSAIDVS videtur esse, qui Tartaris occidentalibus dominatus est: sed neque hic, neque ZOPANVS Christianae religionis cultores, sed amici tantum dicuntur. Neque ita iucunde atque laete Christianos his temporibus inter Tartaros vixisse, vti videntur, litterae Pontificis ad Christianos sibi addictos testantur, quarum modo fecimus mentionem, in quibus eos, ne *contumeliis tribulationum, et angustiis persecutionum, quas frequenter patiantur*, animis deficiant, hortatur. Princeps quidam, vt breuibus verbis omnia comprehendamus, non magna auctoritate instructus, Christianis se fortasse adiunxit, paucique alii benignos se illis praebuerunt; sed Mahumedanorum potentia atque auctoritas vbique Romanis obstitit legatis, ne tantos, quantos iactabant, caperent fructus.

## §. XXXVII.

Magnis hoc tempore cladibus Turcae, Tartarorum auxilio freti, Armenos adficiebant, et dura quaeuis atque infausta iis minabantur. (a) In subsidium vocauerant DAMORDAM Tartarum, eique nomen MAHVMETIS, quod praeclarum illis atque magnificum videbatur, polliciti erant. Adridebant DAMORDAE foederis conditiones: ac propter ea cum XXX. millibus equitum Armenos lacessiuit, eorumque agros vastauit. Quae quum comperisset Pontifex, ne Saracenorum nimis crescens poten-

*Turcae Armenos vexant.*



(a) ODOR. RAYNALD. *T. XV. ann. 1322. n. 32. 33. 41. p. 237. s. ann. 1323. n. I. p. 249. s.*

tentia Christianorum in Syriam expeditioni officeret, anno sequenti cIↃCCCXXII. BOYSSETHANVM (b) Tartarorum Chanum, ob maiorum suorum memoriam contractamque cum Christianis amicitiam, rogauit, (c) vt laboranti Armeniae opem subito ferret, et eam a Saracenis liberaret. ABVSCANVM quoque, vt saluti ciuium operam daret, est hortatus. (d) BOYSSETHANVS precibus Pontificis, vel vt rectius loquamur, suo seruiens emolumento, ne scilicet Armenia, quae Tartarorum clientelae dudum se commiserat, sibi a Saracenis eriperetur, XX. millibus equitum ei auxilium tulit, ac hostes, vt ab Armenia discederent, ac pacem cum ea inirent, coegit. Dum haec geruntur, Tartari MAHVMEDIS praeceptis imbuti, Christianos in Sultania vrbe commorantes, quos campanarum vsu priuasse narrauimus, ex vrbe, seditione in eos mota, eiccere, et sacras eorum aedes occuparunt, suaque in iis sacra celebrarunt. Cui vt medelam Pontifex adferret malo, VSBEKVM principem, quem Christianis benignum sibi persuaserat, ad sacra eorum suscipienda et Mahumedanorum rabiem reprimendam, nouis litteris sollicitauit. (e)

## §. XXXVIII.

*ELCHIGADAY ad Pontificem, et huius ad Tartaros legati.*

Accesserant anno cIↃCCCXXVIIII. duo monachi Dominicani ad Pontificem, quorum alter THOMAS vocabatur MANCASOLA, seque ab ELCHIGADAM Tartaro-

---

(b) Hic BOYSSETHANVS ipse ABVSAID supremus Tartarorum in occidente Imperator videtur esse. Terminatio *hanus* deprauatio est vocabuli *Can;* BOYSSET CAN idem vero est ex Latinorum pronuntiatione, quod ABVSAIT CAN. Potentissimum eum fuisse, inde adparet, quod Saracenos ad pacem cum Armenis adegit.

(c) Vid. Appendix N. LX. et LXI.

(d) Ibidem N. LXII.

(e) Ibidem N. LXIII.

tarorum in Chorasana et Turkestan commorantium Imperatore missos perhibuerant, qui apostolicam peterent benedictionem, et ipsum in veritate instrui curarent. Hos igitur in Tartariam reuerti ac litteras principi adferre iussit, quibus et studium eius erga Christianam religionem laudauit, et fidei formam transcripsit. (a) Anno, qui hunc excipiebat, cIↃCCCXXX. IOHANNES XXII. Pontifex alias ad Tartaros sub imperio VSBEKI et ELCHICHADAY degentes litteras dedit, eosque ad fidem et pietatem est hortatus. (b) Iis quoque populis, qui in montibus *Albors* dictis commorabantur, et *presbyteros* atque episcopos a Pontifice petierant, GVILLELMVM Taurisi episcopum multosque Dominicanos cum litteris (c) misit, qui eos praeceptis Latinorum solidius et vberius imbuerent. Nec Maphrianum, quem adpellant, Iacobitarum ad coniunctionem cum Romana ecclesia incitare neglexit, (d) sed spem eum fefellisse, euentus comprobauit.

## §. XXXVIIII.

Circa idem tempus IOHANNES de MONTE CORVINO archiepiscopus Cambaliensis et Tartarorum orientalium eximius apostolus, saepius iam a nobis laudatus, nec sane laudibus indignus, naturae debitum exsoluit, et quam ad CHRISTVM adduxerat, ecclesiam tristem et lugentem reliquit. (a) IOHANNES Romanorum Pontifex, cui fatum tanti viri nuntiabatur, ei anno cIↃCCCXXXIII. successorem creauit NICOLAVM Franciscanum, quem cum XXVI. ex eadem familia sociis ad Tartaros proficisci, et

IOHANNES *de* MONTE CORVINO *obit: eius successor* NICOLAVS *in Tartariam mittitur.*

(a) RAYNALD. T. XV. ann. cIↃCCCXXVIIII. n. 97. p. 397. BERGERON. *Traite des Tartares cap. XI. p. 63.* Vid. Append N LXIIII.
(b) RAYNALD. *ibid. ann. 1320. n 55. p. 415. s.* Vid. Append. N. LXV.
(c) Append. N. LXVI.
(d) Append. N. LXVII.
(a) WADDING. *T. VII. p. 138. s.* RAYNALD. *T. XV. ann. 1331. n. 31. p. 456. s.*

et veritatem diuinam promulgare iussit. Commendauit eos peculiaribus litteris singulis barbarorum principibus, magno Tartarorum CHANO, (b) SOCHO Regi Corum, (c) VSBEKO, LEONI Armeniae Regi (d) et vniuersae Tartarorum genti. (e) Verum enim vero nouo huic Cambaliensi archiepiscopo quid euenerit, res est admodum dubia et incerta. Circa annum cIↃCCCXXXVIII. coetum Christianorum Cambaliensium capite adhuc caruisse, nec IOHANNIS de MONTE CORVINO munus quemquam occupasse, ipsi Tartari in litteris ad BENEDICTVM XII. dicto anno datis queruntur, (f) quarum §. seq. mentionem iniiciemus. Casus itaque aliquis, cuiusmodi infiniti illis euenire possunt, qui longa ac diuturna in terras remotissimas suscipiunt itinera, et huic NICOLAO procul dubio obstitit, quo minus ad commissam sibi ecclesiam se conferret, et spartam, quam nactus erat, ornaret. In Tartaria occidentali duo monachi alter Dominicanus FRANCISCVS e CAMERINO, alter Franciscanus RICHARDVS Anglus Romanorum et auctoritatem et doctrinam tuebantur. Inter ceteros, quibus sua praecepta inculcauerant, MILLENVM Alanorum et VESACVM Zichorum Reges conuerterant, quibus Pontifex litteras misit, et de animi mutatione est gratulatus. (g) Vtrumque

(b) Vid. Appendix N. LXVIII.

(c) Ibidem N. LXVIIII.

(d) Ibidem N. LXX.

(e) Ibidem N. LXXI.

(f) *Qui tamen* (IOHANNES *scilicet de* MONTE CORVINO) *mortuus est ante octo annos, in quibus fuimus sine gubernatore et sine spirituali consolatione, licet audierimus, quod prouidistis de alio legato, ille tamen nondum venit.* ASSEMANVM oculi decepisse videntur, quum *in his litteris de* NICOLAI *aduentu mentionem fieri* adserit *Bibl. Orient. T. III. P. II. p. DXXXIII.*

(g) Vid. RAYNALD. *loc. cit.* et Append. N. LXXII.

que euangelii praeconem episcopum rogauit, et FRANCISCVM quidem e CAMERINO *Vospri* ciuitatis in Gazaria prouincia sitae, (h) et RICHARDVM *Gocbiae* vrbis in Cersona positae. Aliis locis Franciscani nonnulli violenta inter barbaros morte, seu martyrio, vti vocant, functi dicuntur (i) STEPHANVS et DOMINICVS Hungari, et GVILLELMVS Anglus: quorum hic in Salamastrensi Saracenorum vrbe ab incolis trucidatus, ille a Tartaris excoriatus, iste vero in Saray vrbe igne exstinctus est.

## §. XXXX.

*ABVSAIDVS moritur. Tartarorum orientalium ad Pontificem legatio.*

Anno cIↄCCCXXXVI. ABVSAIDVM, qui in occidente Tartaros regebat, mors abstulit. Vltimus hic est Tartarorum Chanus, qui in iis, quae occidentem solem spectant, regionibus summum tenuit imperium. Eo enim exstincto, reliqui Tartarorum principes perpetua inter se bella gesserunt, et singuli singulos de regno deturbare conati sunt. (a) Certarunt primum ARPA, MVSA, HASANVS de imperio, alii deinde; donec inclytus ille tyrannus, quem TAMERLANEM vulgo adpellant, lites hasce vi armisque componeret, easque, de quibus pugnauerant, prouincias ipse occuparet. Singulos hos Tartarorum Chanos eorumque bella si enarrare vellemus, laborem susciperemus, nec vtilem valde, nec iucundum, nec etiam ad nostrum spectantem propositum. Memoria magis est digna ea, quam Tartarorum in China Imperator ad Pontificem misit, legatio. (b) Ingens hoc tempore Christiano-



(h) Append. N. XXIII.
(i) RAYNALDVS *vbi supra p. 459.*
(a) ABVLGASI *Histoire Geneal. P. VI. C. II. p. 425. s.*
(b) LVCAS WADDING. *T. VII. p. 209. s.* RAYNALDVS *T. XVI. ann. 1338. n. 73. p. 79. s.* Ex his singulas, quarum mentionem fecimus, litteras exhibebimus Append. N. LXXIIII -- LXXXVII.

ſtianorum Romanis inſtructorum legibus multitudo in CHATAIA degebat, et tam ab ipſo Imperatore, quam plurimis eius purpuratis ſuſtentabatur. Nouum quoque Chriſtianorum coetum ſacri Pontificis legati in *Armalech* ciuitate in media Tartaria ſita collegerant, et ſacram ibi aedem excitarant, adeo vt res Chriſtiana maiores in dies faceret progreſſus, ac veritas diuina in diſſitiſſimis Tartarorum regionibus laetiſſime floreret. Magnus Tartarorum Chanus vt amicitiam, quam cum Romanis contraxerat, arctiorem redderet ac ſolidius firmaret, ANDREAM legatum cum XV. ſociis ad Pontificem anno cIↃCCCXXXVIII. mittebat. Binas hi adferebant litteras, alteras ab ipſo Imperatore, alteras a principibus Alanorum ſibi ſubiectis et in aula ipſius degentibus, FVTIM IVENS, CATICEN TVNGII, GEMBOGA DVENZI et IOHANNE IVCKOY exaratas: quibus Imperator foedus et amicitiam Pontificis expetebat, hi vero vt ſacros mitteret legatos, cum-

---

Scriptor vitae BENEDICTI in STEPH. BALVZII *vitis Pontif. Auenionenſium Tom. I. p. 242. Anno eodem quarto eiusdem Pontificatus grandis Dominus Tartarorum miſit Ambaſſiatores, litteras et eſſennia ad dictum Dominum Papam* BENEDICTVM: *quos dictus Papa habitis multis Tractatibus cum Cardinalibus, honorifice pertractauit, et vnum ſcutiferum Tartarorum ipſorum ambaſſiatorem ſeruientem armorum ſuorum* (Sergeant des Armes) *creauit, et dicto Domino Tartarorum litteras continentes articulos catholicae fidei et exhortationes bonas et pulcra eſſennia* (xenia, munera) *deſtinauit.* PETRVS quidem BERGERON *Traité des Tartares C. IX. p. 54. C. XI. p. 63.* eiusdem legationis mentionem feciſſe GVILIELMVM de BOVLDESELLE in itineris ſui relatione, adſerit. Huius GVIL. de BALDENSEL aut potius BOLDENSLEVE *Hodoeporicon* extat in HENR. CANISII *Lectionibus Antiquis, Tom. IV. p. 331. ed. nouae.* Sed in hoc nullum extat verbum de hac legatione. Neque GVILIELMVS hic ad Tartaros vmquam profectus eſt, ſed Syriam tantum, Aegyptum, maxime terram ſanctam adiit.

cumprimis hominem, qui Cambalienſi praeeſſet eccleſiae, enixe rogabant. Benigne eos excepit Pontifex, et ad dominos cum diuerſis redire litteris iuſſit, quarum alias ad ſupremum Imperatorem, alias ad FVTIM IVENS et reliquos Alanorum principes dedit, quibus eos ad pietatem et conſtans erga cultores IESV CHRISTI ſtudium more ſuo eſt hortatus, ſuosque ſe propediem miſſurum nuntios promiſit. Principi quoque CHANSI, quem *Tartarorum Imperatorem de medio imperio* vocat, eiusque purpuratis CARASMON et IOHANAN, nec non VSBEKO eiusque filio CHYISCANI litteras miſit, ac ſuos commendauit. Ipſe, quae pollicitus erat, paullo poſt ſeruauit, et quatuor S. FRANCISCI ſectatores, NICOLAVM BONETVM, NICOLAVM de MOLANO, IOHANNEM de FLORENTIA et GREGORIVM de HVNGARIA ad eosdem Tartarorum principes cum priuilegiis et peculiaribus ad ſingulos exaratis litteris miſit. Hi autem apud praecipuos orientis principes diuertentes, lento gradu Chataiam profecti ſunt, et anno demum cIↃCCCXXXXII. eo peruenerunt. (c) Maxima ibi apud Imperatorem gratia valebant, epulabantur cum eo, ipſique cubitum eunti bene dicebant. Nouo eis edicto verbum diuinum praedicandi libertas confirmabatur, ac multae hinc inde inſtituebantur eccleſiae, quarum nomina auctores ſilent. IOHANNES de FLORENTIA poſt vndecim annos A. cIↃCCCLIII. rediit Auenionem, (d) ab Imperatore cum litteris miſſus, quibus et Chriſtianam religionem laudibus extuliſſe, et ſubditos omnes ac ſingulos Pontificis Romani imperio ſubieciſſe, et verbi diuini praecones expetiiſſe dicitur. Pontifex votis eius adnuere, et Franciſcanorum nonnullos in Tartariam mittere, conſtituit. Sed turbae, paullo poſt inter Tartaros exortae, conſilium feruntur deſtruxiſſe.

P 2 §. XXXXI.

(c) LVCAS WADDINGVS *T. VII. p. 758.*
(d) *Idem Tom. VIII. p. 87.*

§. XXXXI.

*VSBEKI ad Pontificem legatio.*

Duobus post annis iterum Tartarorum legati Pontificem conueniebant: (a) erant hi PETRVS de LORTO, ALBERTVS et ELIAS de Hungaria FRANCISCANVS, ab VSBEKO Imperatore missi, quem ad Mahumedanorum castra transiisse, deinde vero Christianis paullo amiciorem esse factum, monuimus. Adeo quippe diligenter officia sua in his terris obierant Romanae ecclesiae praecones, vt VSBEKVM eiusque vxorem atque filium beneuolentia implicitos haberent, et quod altissimas in animis eorum radices egerat, odium rei Christianae euellerent. Fremebant Saraceni, et omnem mouebant lapidem, vt hos Christianorum labores irritos redderent, suaque eos dignitate priuarent. Quod quum auctoritate non possent efficere, criminationibus doloque malo vtebantur. Homines subornabant, qui insidias vitae VSBEKI struerent, et palatio eius faces admouerent. Detegebantur insidiae, et Christiani tamquam sceleris auctores accusabantur. Sed innocentia eorum Imperatori patefacta est, et maioribus commodis ab eo ornati sunt. Haec VSBEKI legati Pontifici retulerunt, a quo cum litteris (b) ad Imperatorem eiusque filium et vxorem remissi sunt, quibus clementiam eorum erga cultores IESV CHRISTI et laudauit, et excitauit. Eos quoque Christianos, qui a Saracenis vexabantur, fidem constanter seruare iussit.

§. XXXXII.

*Christianorum in Armalech vexatio.*

Tristis modo atque grauissima nobis sese offert vexatio, qua Christianos in vrbe *Armalech* degentes Mahometani A. cIↃCCCXXXXII. oppressere. (a) Illorum principes sex

---

(a) RAYNALD *T. XVI. ann. 1340. n. 74 p. 131.* WADDING. *T. VII. p. 227. f.*

(b) Quas vide in Appendice nostra N. LXXXVIII--LXXXXI.

(a) WADDING. *Annal. Minor. T. VII. p. 255.*

ſex erant monachi S. FRANCISCI legibus adſtricti, RICHARDVS de BVRGVNDIA epiſcopi munere fungens, FRANCISCVS de ALEXANDRIA, RAYMVNDVS RVFFI de Alexandria, et PASCHALIS de HISPANIA presbyteri, PETRVS denique MARTELLI de Prouincia et LAVRENTIVS de ALEXANDRIA laici, et quem ſalutari doctrina imbuerant, IOHANNES quidam de India, Aethiops, quo archiepiſcopus Cambalienſis interprete vſus fuerat. Qui quidem ſui probe memores officii, (b) haud exiguum Tartarorum numerum diuina veritate inſtruxerant, ipſumque Imperatorem ſibi reddiderant amicum. FRANCISCVS enim de ALEXANDRIA Imperatorem, graui morbo decumbentem, priſtinae reſtituerat ſanitati, et maximam ſibi hoc beneficio auctoritatem inter proceres conciliauerat, quid? quod Imperatorem, vt filium VII. annorum, ſacro ablutum fonte, IOHANNEM vocari, et Chriſtianorum praecepta doceri iuſſerit, commouerat. Verum enim vero de ſua auctoritate nondum ſatis confirmata res Chriſtianorum ſubito deiiciebatur. Veneno a Mahometanis extinguebatur Imperator, liberi occidebantur, et ſumma imperii poteſtas ab ALI *ſoldano* Mahometano, eoque Chriſtianorum infenſiſſimo hoſte, occupabatur. Hic ſimulac imperii habenas ſuſceperat, Chriſtianum funditus delere nomen conatus eſt. Mandatum Imperatoris promulgabatur, quo ne quis in poſterum CHRISTVM coleret, cautum erat, et iis, qui diuinam veritatem principis legibus anteferrent, duriſſimum ſupplicium denuntiabatur. Verum cum Franciſcani, tum alii nec Imperatori obtemperarunt, nec, quibus eos terruerat, minas veriti ſunt; ſed veritatem diuinam publice profiteri, et ſacra ſua rite peragere perrexerunt. Imperator de ciuium ſuorum pietate, ſibi quidem exoſa, certior fa-



(b) Vid. litterae PASCHALIS, quas ex vrbe *Armaleeb* ſuis miſit in Appendice noſtra N. LXXXXII.

factus, omnes ac ſingulos, quos cognoſcebat, Chriſtianos, vel ſeducere, vel ad vnum omnes exſtirpare conniſus eſt. Si qui igitur conſtanti fortique animo Chriſtianos ſe profitebantur, omnia ea patiebantur, quae duriſſima crudelitas, cui barbara ſuperſtitio calcar viresque addit, poteſt excogitare. Quid multa? Franciſcani furori plebis obiiciuntur, quae ſi concitatur, a conſilio atque moderatione longe abeſſe ſolet. Inhumanis excipiuntur iniuriis: alapis, fuſtibus, ſputis, cultris petuntur, naſo denique et auribus truncati capite plectuntur, domicilium, quod occupauerant, flamma deletur, reliqui Chriſtianorum, qui fuga ſibi non conſulunt, carceribus et vinculis detinentur. Nec niſi morte Imperatoris, quem alius Tartarorum Chanus trucidauit, haec tempeſtas eſt ſopita, et paucis, qui ſupererant, Chriſtianis pax reſtituta.

## §. XXXXIII.

VSBEKVS *moritur, ſuccedit filius* DZANIBEK.

Hunc qui excipiebat, anno cIɔCCCXXXXIII. ELIAS Hungarus, quem Pontifex ad VSBEKVM ante tres annos miſerat, Auenionem rediit, ac rei Chriſtianae inter Tartaros occidentales rationem reddidit. (a) De vita deceſſerat VSBEKVS, ac regnum filio IANIBECH vel DZANIBEK reliquerat. Is Mahometanorum ſtudio ferebatur, et cultoribus IESV CHRISTI parum ſe clementem ac beneuolum exhibebat, quin potius hoc ipſe anno orto inter vtrosque in vrbe *Tana* tumultu, ex quo Chriſtiani ſuperiores diſcedebant, Venetos atque Genuenſes, qui in hac vrbe mercaturae operam dabant, eiecit omnes, ac bona eorum, quae maximi pretii erant, diripi iuſſit. Etſi hoc tam certum eſt, quam quod eſt certiſſimum; ELIAS tamen eum Chriſtianos fouere ac benigne habere narravit:

(a) L. WADDING. *Annal. Minor. T. VII. p. 289. ſ.* ODOR. RAYNALD. *Tom. XVI. anno 1343. n. 21. p. 182. ſ.*

vit: (b) et a Pontifice ad IANIBECHVM cum litteris (c) redire iussus est, quibus Christianae religionis cultores ei commendauit. Nouum, idque perspicuum documentum, saepissime legatos Romanorum episcoporum sacros, dum rerum a se gestarum rationem reddiderunt, a veritate aberrasse, ac multa rei diuinae inter Tartaros tribuisse incrementa, quibus numquam gauisa est.

## §. XXXXIIII.

*Christiani cum Tartaris ex China pulsi. Pontificis legati.*

Quam vbique languentem deprehendimus religionem Christianam, eam orientalis Tartariae pars, China et Chataia, plane fere exstinctam atque prostratam nobis offert. Tristem ipsi finem insignis illa Chinae conuersio attulit, qua Tartarorum, quod in hoc regno viguerat, imperium est destructum. Chinenses duce quodam TSCHV siue TAI ÇV dicto, anno cIↃCCCLXVIIII. contra Tartaros insurrexere, eosque vna cum Imperatore (a) e regno eiece-

(b) Hoc quidem ex litteris Pontificis non liquet, sed ab vtroque tamen auctore modo citato perhibetur.

(c) Vid. Appendix N. LXXXXIII.

(a) Nomen huius principis Tartaricum non constat. Chinenses eum XVN TI, aut potius CHVN TI (nam mollissime Sinae pronuntiant X. suum) adpellant. IOHANNES quidem de MANDEVILLE, qui XXXIIII. annos, qui inter cIↃCCCXXXII. et cIↃCCCLXVI. effluxerunt, itineribus in Asiam et Tartariam institutis consumsit, ac tribus annis in ciuitate Cambalu versatus est, Magnum Chanum ECHIAN CAN adpellat; sed quum tempus, quo in Tartariam se recepit, non designauerit, nec nobis, an hic ECHIAN CAN ille ipse sit, quem Chinenses eiecerunt, determinare licet. Vid. *Voyages et Obseruations du Sr.* IEAN de MANDEVILLE *p. 21.* itinerum, quae PETRVS BERGERON publicauit, *Tomo II.*

eiecere. (b) Eodem, quo Tartari, fato maximam partem Christianorum esse functam, et solum vertere fuisse coactam, omni caret dubitatione; quum hi cum illis fuerint coniuncti, ab Imperatore Tartaro adiuti, et inter proceres eius versati. Nulla hoc et sequenti saeculo Christianorum in China amplius fit mentio, neque Franciscanorum, qui vbique locorum se extenderant, vllum adparet vestigium. (c) Haec VRBANVM V. Pontificem procul dubio fugerunt, qui quum plurimos legatorum sacrorum in oriente de vita decessisse comperisset, nouos ad Tartaros legatos anno cIɔCCCLXX. abire curauit. Ecclesiae, quam IOHANNES de MONTE CORVINO constituerat, Cambaliensi GVILLELMVM PRATENSEM Franciscanum, qui diuinae institutionis praecepta Parisiis docebat, praefecit, et egregiis instruxit priuilegiis. (d) Duodecim ipsi ex

(b) PHIL. COVPLET *Tabula Chronolog. Monarchiae Sinicae* ad Calcem *Confucii siue scientiae Sinensis* et reliqui rerum Chinensium scriptores. Maxime IO. BAPT. du HALDE *Description de la Chine Tom. I.* p. 442. *f.*

(c) Saeculo XVII. ineunte paucos in China superfuisse Christianos, ex NICOLAO TRIGAVTIO *de Christ. exped. apud Sinas L. I. c. XI. p. 121. f.* et aliis constat. Hac nostra memoria Iesuitae passim in China Christianae religionis multis olim in vrbibus ibi florentis vestigia inuenerunt, nusquam fere plura, quam in vrbe *Tschang Tcheou Fou*, quae octaua est prouinciae *Fo Kien*. Reperit ibi inter alia Iesuita MARTINVS apud litteratum quemdam Sinam veterem codicem membranaceum litteris Gothicis exaratum, in quo maxima pars Scripturae S. Latine extabat. Noluit litteratus codicem hunc Iesuitae vendere, dicens, eum in familia sua a longo tempore tamquam pretiosum quemdam thesaurum seruatum fuisse. DV HALDE *Description de la Chine Tom. I. p. 175.* Conf. quae supra monuimus *C. I. §. III. p. 8. 9.*

(d) Vid. LVC. WADDING. *T. VIII. p. 221.* OD. RAYNALD. *T. XVI. ann. 1370. n. 9. p. 485. f.* Patet hinc, virum alioquin eruditissimum IOS. SIM. ASSEMANVM rem acu haud tetigisse, quum *Bibl.*

ex eadem familia ſocios adiunxit, quos peculiaribus *litteris* (e) ad magnum Chanum, ad reliquos Tartarorum principes, ad vniuerſos denique Tartaros datis, et commendare, et adiuuare adniſus eſt, deinde alios quamplures in Tartariam legatos miſit. Anno, qui hunc ſequebatur, cIↃCCCLXXI. Pontifex FRANCISCVM de PODIO Catalanum in Tartariam aquilonarem miſit, eumque familiae ſuae vicarium conſtituit. (f) Verum nihil neque de horum in Tartariam aduentu, neque de illis, quos collegerunt, fructibus, relatum legimus. Quodſi tamen iuſſa Pontificis ſunt exſequuti, nihil fere eos proficere potuiſſe, perturbatus totius Tartariae ſtatus ſatis ſuperque oſtendit. Bello vtraque Tartaria, cum orientalis, tum occidentalis, flagrabat inteſtino, eoque perpetuo vaſtabatur. Ex Chataia Tartari a Chinenſibus pellebantur, in reliquis prouinciis poſterorum ZINGIS CHANI alter alterum bello laceſſebat, et regno priuare conabatur. His inclytus Tartarorum Imperator TAMERLANES accedebat, qui reliquos omnes Chanos adoriebatur, omnia crudeliſſime vaſtabat, et maximam Aſiae partem vi, armis flammisque ſibi ſubiiciebat.

## *CAPVT III.*

# HISTORIA REI CHRISTIANAE IN TARTARIA A TAMERLANE AD NOSTRA VSQVE TEMPORA.

### §. I.

Haec, quam adhuc expoſuimus, rei Tartaricae TIMVR
cum ſacrae tum ciuilis facies circa finem ſaeculi BEC.



*Or. Tom.III. P.II.p. DXXXV. nullus*, inquit, NICOLAI *Archiepiſcopi Cambalienſis aut Epiſcoporum Caytonenſium ſucceſſor legitur.*

(e) Vid. Append. N. LXXXXIIII - - LXXXXVIII.

(f) L. WADDING. *Tom. VIII. p. 238.* Append. N. LXXXXVIIII.

XIIII. plane est commutata et conuersa: quum celeberrimus ille Tartarorum princeps, quem TAMERLANEM (a) vulgo vocant, cruentissimo bello omnia deuastaret,

---

(a) Tres praecipue magni nominis historicos habuit TAMERLANES. Primus est celebris ille Persa GAIATHEDDIN, quem nos vulgo KHONDEMIRIVM adpellare solemus. Is toto *Libro vndecimo Historiae* suae *vniuersalis* Persice exaratae copiosissime de rebus gestis TAMERLANIS exposuit. HERBELOT *Biblioth. Orientale p. 995.* Ex hoc amplissima excerpta dedit HERBELOTVS *loc. cit.* voce TIMVR *p. 877.* qui ex aliis etiam scriptoribus Orientalibus haud pauca addidit non iniucunda. Alter est AHMET BEN ARABSCHAH, nomine ARABSIADIS inter nos notus: is Arabice *Historiam Tamerlanis* conscripsit, quam IAC. GOLIVS edidit. Eamdem PETRVS VATTIERIVS, Medic. Doctor, Gallice sed parum accurate conuertit. Et ex hoc plerique hauserunt sua, qui de TAMERLANE disseruerunt: quos tamen recordari oportuerat, ARABSIADEM hunc infensum esse TAMERLANIS hostem, neque credi idcirco tuto posse, quae ab eo narrantur omnia. Tertius, isque sine dubio in plerisque rebus accuratior, copiosior et praestantior, est SCHARFALDIN aut SCHERFEDDIN ALI IEZDI. Huius opus ex lingua Persica, qua conscriptum est, Gallice conuertit Celeb. PETIS de LA CROIX; editum est hoc indice insignitum: *Histoire de Timur-Bec. Delphi 1723. 4. vol. in 8.* Sed hic ipse quoque non sine cautione legendus est, quum TAMERLANO faueat et iussu eius historiam suam conscripserit. Mirum nemini esse potest, historicos hosce multis de rebus dissentire, maxime ARABSIADEM et SCHERFEDDINVM: quomodo enim concinere possunt bini historici, quorum alter id agit, ut magnus et egregius, alter, vt vilis et vitiosus appareat is, cuius Historiam sibi conscribendam sumsit? Neque tamen tantopere diffident, vt nuperus *Historiae* TAMERLANIS scriptor, MARGATVS, Iesuita, persuadere nobis vult, sed in rebus praecipuis satis amice consentiunt. In primis falsum id est, quod in *Praefat. p. VII. VIII.* ait, ARABSIADI TAMERLANEM esse hominem obscurissimo loco natum, religionis, fidei, virtutis omnis expertem: *Il nous le depeint comme un Avanturier sorti de la plus basse extra-*

ftaret, et vniuerſo fere terrarum orbi terrorem ſuique formidinem incuteret. Varie a variis nomen eius effertur, et modo TAMERLANVS, modo TAMBVRLANVS, modo TAMORLANES adpellatur: ſed linguae Tartarorum periti (b) proprium eius nomen TIMVRBEC eſſe volunt, et ſyllabam *bec* principem denotare, perperam ab Europaeis in *läng*, quod claudum ſignificat, mutatam, et hinc fabulam de TAMERLANE claudo natam eſſe, nobis perſuadent. Iidem eos reprehendunt, qui humilem atque abiectam TIMVRBECO tribuunt originem, eumque ducem tribus cuiusdam Tartarorum *Burlas* dictae fuiſſe oſtendunt. (c) In lucem eſt editus anno CIↃCCCXXXVI. eodem, quo ABVSAIDVS fatis conceſſit. Ad adultiorem prouectus aetatem omnes gentis ſuae Chanos et prin-

 cipes

*traction - - Il en fait un Conquerant, ſans foi, ſans Loi, ſans Religion, un barbare.* Fatetur e contrario ARABSIADES TAMERLANEM ex ſanguine ZINGIS-CHANI per maternum genus procreatum eſſe, et religionem etiam ZINGIS-CHANI profeſſum eſſe tradit, etſi multa ceteroquin parum honorifica de eo memoret. Reliqui vitae TAMERLANIS ſcriptores vix digni ſunt, qui cum his conferantur, ſi ABVLGASI excipias *Hiſt. Genealog. des Tatars P. V. C. VI. p. 399.* Vita TAMERLANIS, quam Gallus S. YON conſcripſit, miſera eſt farrago ex veris, falſisque rebus conflata. Nuperrime MARGATVS, Ieſuita non infimi ingenii, edidit: *Hiſtoire de Tamerlan, Empereur des Mogols et conquerant de l'Aſie. Paris. 1739. 2. vol. in 12.* Sed hic magnam ſibi concitauit inuidiam hoc libro, aulaeque Gallicae viſus eſt recentiores hiſtorias ſub TAMERLANIS nomine narraſſe et Satyram ingenioſam in maximi nominis viros conſcripſiſſe. Vid. *Bibliotb. Françoiſe Tom. XXX. P. II. p. 262.* Quidquid id eſt, hoc certiſſimum eſt, MARGATVM multa finxiſſe, aut ſcriptores nulli adhuc viſos, quod tamen ipſe non indicat, ad manus habuiſſe.

(b) PETIS LA CROIX libro modo laudato, *Avertiſſem. p. VIII.*

(c) ABVLGASI *loco cit.*

cipes bello petiit, ac singulos sibi subiecit. Deinde in interiorem Indiam arma contulit, eamque occupauit, Moscouiam deuastauit, ac vniuersum Turcarum regnum in suam redegit potestatem. Inclytum est, et scriptoribus europaeis celebratissimum, quod cum BAIAZETHE gessit, bellum, quo hunc deuicisse et viuum cepisse, nemo ignorat. Nostri non est instituti, haec omnia copiosius enarrare et recensere: id tantum obseruabimus, ea, quae de BAIAZETHE caueae ferreae a TIMVRBECO incluso, et in eadem capite concusso exstincto ab omnibus fere graecis latinisque scriptoribus perhibentur, praecipuis vitae eius scriptoribus ignota esse et ideo tamquam lepidam et inconcinnam fabulam a melioris notae scriptoribus reiici. Benigne potius a TIMVRBECO est habitus, et regiis honoribus clementer exceptus. (d) Expeditioni in Chinam se accingebat TIMVRBECVS, quum Anno cIↃCCCCV. eum subita mors auferret, et potentissimum, quod momento veluti temporis constituerat, imperium vna hora dissiparet. Filiorum enim, quos reliquit, ei potentia similis fuit nemo. Singuli prouinciam, quam poterant, occupabant, ac de conseruandis concordiae vinculis parum solliciti erant. Ab his magnos, quos vocant, Indiae Mogoles descendere, quorum vltimus a KVLI KANO Persarum Imperatore nostra aetate deuictus et regno exutus esse fertur, nemo ignorat. Laudatur ab his princeps noster, culpatur ab illis. Nemo, si scriptores occidentales audias, qui ex CHALCOCONDYLA et ARABSIADE, infenso eius hoste, sapiunt, eo fuit crudelior, nemo impotentior, nemo peior. Optimus, si CONDEMIRIVM, SHEREFEDDINVM et alios consulas, fuit Imperator, iustus, sapiens, fortis, pius. Et neutri,

(d) PETIS DE LA CROIX *loc. cit. p. 9. Idem Tom. IIII. L. V. C. XXXXVIIII. p. 16.* HERBELOT *Bibl. Orientale p. 882.*

tri, si quid recte iudico, parti omnis est deneganda fides. Fortissimus sane fuit, et iis, quae belli ducem perficere dicuntur, virtutibus exornatus, prudens, sagax, alienorum regnorum cupidissimus, nemini parcens, imperterritus, omnes purpuratos consulens, nemini obtemperans: et si fides amicis eius haberi potest, religiosissimus. Intemperantioris fuerit animi necesse est, et sua nimis confidens prudentia. Duces suos consuluit omnes, neminem est sequutus, (e) quod nemo rerum humanarum intelligens laudabit, nemo, qui cognoscit, quanti veteranorum et sagaciorum belli ducum iudicium in rebus dubiis sit momenti. Crudelissimum autem eum fuisse, quod maximum Imperatorum est vitium, nemo vnus diffitetur. Innumerabiles vrbes solo aequauit, infinitam hominum multitudinem trucidauit, ac vniuersam Asiam incolis orbatam, caede et sanguine et cruentis vbique vestigiis repletam reliquit. Quid multa? Princeps fuit maximis ingenii dotibus instructus, sed a moderatione et charitate alienissimus, qui immodica dominandi cupiditate ferebatur, cui vt faceret satis, omnia sibi in omnes licere putabat. Sed haec remotiora sunt ab instituto nostro. Quaeramus potius, qua religione fuerit imbutus et quo animo erga Christianos, quorum magna messis adhuc in Tartaria et reliquis regionibus, quas bello inuasit, supererat, fuerit. Dissentiunt de religione eius illi, qui primas in historicis eius tenent. ARABSIADES tradit, legi ZINGISCHANI eum addictum fuisse et in Christianorum magis, quam Mahumedanorum sacra propendisse: addit, hac eum de caussa filiam Regis

 Moglo-

(e) *Idem Tom. IIII. L. VI. C. XXXXVIII. p. 299. Vne chose fort particuliere à ce Monarque, est encore que quoiqu'il observât toujours la maxime salutaire de tenir Conseil et d'assembler des Dietes, cependant il ne l'a jamais suivie; mais il a fait ce que son bon esprit lui inspiroit.*

Moglorum vxorem duxiſſe, quod religioni iſti dedita eſſet. (f) Eamdem ſententiam probat elegantiſſimi ingenii Ieſuita, FRAN. CATROV, aut potius MANOVCHI, Venetus, magni Moglorum Imperatoris AVRENGZEBI Medicus, cuius commentarios Ieſuita ille digeſſit tantum et culto ſermonis genere enarrauit: et hic tanto maiorem habere videtur auctoritatem, quod ſanctisſime confirmat, ſe totam Moglorum hiſtoriam ſuam ex annalibus publicis, qui magna cura in palatio magnorum Moglorum ſeruantur, depromſiſſe. TAMERLANES, auctore MANOVCHIO, (g) vnum Deum aeternum, infinite potentem, perfectisſime ſine vllo vel naturae, vel perſonarum diſcrimine vnum adorauit. Naturae legem, octo praeceptis comprehenſam, ſeruauit: fabulas Corani contemſit et Mahumedanos non minus, quam Deorum cultores odio habuit: a religione denique Chriſtiana minime alienus et auerſus fuit. Si quis quaerat, vnde benigna haec in ſacra Chriſtiana voluntas in feroce hoc homine nata ſit, reſpondet MANOVCHIVS, ZINGHIS-CHANI vxorem Chriſtianam fuiſſe atque hanc liberis ſuis religionis, quam ipſa ſequebatur, amorem qualemcunque inſtillaſſe, qui ad nepotes et poſteros propagatus fuerit. Et talis etiam, ſi hos audias, qualis in vita fuit, deceſſit TAMERLANES. Morti enim vicinus doctorem quemdam accerſi curauit opinionum

(f) *Hiſtor. Tamerlan. p. 97.*

(g) CATROV *Hiſtoire generale de l'Empire du Mogol Tom. I. p. 7. ed. Paris. 1715. 4. Il ſuivoit la religion de Gingiskan qui s'etoit conſervée dans la famille des Mogols. Il adoroit le Dieu eternel, tout-puiſſant et inviſible, parfaitement un ſans aucune diſtinction de nature ou de perſonnes. Il obſervoit la Loi naturelle compriſe en huit preceptes, qui revenoient à peu près à ceux du Decalogue. Du reſte il mepriſoit les reveries de l'Alcoran et il etoit tout à la fois l'ennemi des Idolâtres et des Muſulmans. Il n'avoit pas d'averſion pour la Loy de Ieſus Chriſt.*

onum suarum non ignarum. Hic eum more et instituto Deistarum exhortatus et consolatus est: nec multo post, certus de misericordia et iustitia vnius Dei, quem etiam moriens profitebatur, ex viuis excessit. (h) Haec quum retulisset Iesuita, quem diximus, acerbe dolet, tantum heroem, qui religionem Christianam non modo cognouerit, sed etiam amauerit, totaque vita defenderit, sine CHRISTO decessisse. (i) Ab his vero ceteri scriptores longe recedunt, KHONDEMIRIVS, SCHEREFEDDIN et alii, qui omnes eum MAHVMETIS disciplinam probasse et indelebili tam eorum, qui plures Deos colunt, quam Christianorum odio arsisse, referunt. BARTHOL. HERBELOTVS, quo nemo nostra memoria rerum, litterarum et librorum Orientis peritior fuit, probatissimorum scriptorum testimonio constare significat, eum et religioni Mahumedanae deditum fuisse et eius non mediocrem habuisse cognitionem. (k) SCHEREFEDDINVS sigillatim *Sunnitarum* sectam adeo ei placuisse confirmat, vt etiam oppositam *Schiitarum* factionem, quam Persae et alii praeferunt, valde vexaret, nec vlli parceret labori ad eam vel opprimendam, vel ad *Sunnitarum* partes adducendam. Quapropter ipse nonnumquam doctoris et disputatoris munere functus esse dicitur. (l) Eodem teste, pium et re-

---

(h) CATROV *loc. cit. p. 16. Il n'admit plus personne auprés de lui qu' un Imam fort instruit des sentimens qu'il avoit sur la religion. On l'exborta selon les principes du Deisme - - Les exbortations du Docteur l'attendrissoient. Plein de confiance en la misericorde du Seigneur et de crainte pour sa iustice il expira en confessant l'unité d'un Dieu.*

(i) *C'est à nous d'adorer les arrêts du ciel sur un beros qui connût la religion Chrêtienne, qui l'aima, qui la protegea toujours et qui ne la professa iamais.*

(k) *Biblioth. Orientale* voc. *Timur p. 888.*

(l) *Histoire de Timur-Bec Tom. II. p. 151. Tom. III. p. 228.*

religiosum officium duxit esse, Christianos debellare, magnaque sibi praemia datum iri in caelo existimauit, si illud strenue obiret. (m) Qua ex opinione tot Christianorum crudelissimae caedes, quas passim narrat, natae sunt. Moriens verba legis Mahumedanae recitari sibi a graui quodam doctore sine intermissione et consuetam Mahumetanorum formulam, qua vnum esse Deum profitentur, subinde repeti iussit. (n) Huic et ceteris, qui pariter TAMERLANEM Mahumedanum fuisse perhibent, fidem habendam esse potius plerique putabunt, quam illis, quibus ZINGIS CHANI disciplinam imbibisse dicitur. Verum circumspectis et consideratis rebus omnibus, neutris ex toto credendum esse arbitror. Fallunt nos sine dubio illi, qui eum Christianae religioni fauisse et sectatores eius amasse, narrant: horum enim testimonium quamplurimis rerum documentis, ex quibus odium eius in Christianos elucet, refellitur. At nec illis aures prorsus esse praebendas arbitror, qui eum Mahumedanam legem ex animo amasse et professum esse referunt. Habet vita eius multa, ex quibus probabili valde coniectura colligas, studium quidem magnum Mahumedanae legis prae se tulisse TAMERLANEM, verum mente et cogitatione fortassis parum praeclare de MAHVMEDE indicasse, nec plura religionis dogmata et praecepta, quam ZINGIS CHANVM, reapse tenuisse. Necesse erat, vt homo gloriae amans et potentiae suae bellis propagandae cupidissimus, amorem disciplinae Mahumedanae callide simularet, quo promtiores et paratiores tam proceres, quam milites, qui vniuersi MAHVMEDIS studiosissimi erant, ad perficienda mandata sua haberet: ipse occulte secus sentiebat. Haec ita se habere, magno argumento est exitus eius ex hac vita. Vt enim

(m) *Histoire de Timur-Bec Tom. II. p. 329. Tom. III. p. p. 137. 243. 265.*
(n) *Histoire de Timur-Bec Tom. IV. p. 228.*

enim SCHERAFEDDIN ſic eum ex hoc orbe migraſſe tradi velit, vt germanum mori fas eſt MAHVMEDIS diſcipulum, alii tamen ſcriptores grauiſſimi maxime KHONDEMIRIVS, ſic vltimum vitae eius actum recitant, vt magnam excitent ſuſpicionem, noluiſſe eum alia quam religionis naturalis ſeu Zingischanismi dogmata ſibi moribundo inculcari. Suſpicioſum id valde primum eſt, quod omnes legis Mahumedanae doctores, quorum inſignis multitudo in veſtibulo aderat, cubiculo ſuo excluſit, nec alium ingredi paſſus eſt, quam doctorem HEIBET ALLAH, quem SCHERAFEDDIN parum accurate HEBETVLLA vocat, hominem cui ſecretas omnes cogitationes ſuas commiſerat, eumdemque parum rigidum MAHVMEDIS ſectatorem. Is ipſe deinde doctor, ſecus ac SCHERAFEDDIN narrat, nec MAHVMEDIS, nec legis Mahumedanae vllam fecit ad lectum agentis animam mentionem, ſed tantum de vnitate, de magnitudine, de maieſtate ſupremi Numinis diſſeruit. TAMERLANES denique nec MAHVMEDEM, nec legem eius teſtabatur, ſed Dei vnice miſericordiam implorabat et aliquoties plures vno haud eſſe Deos exclamabat. (o) Nihil in his omnibus eſt, ex quo Mahumedanum cognoſcas. Adde his, eum per totam vitam conſuetis Mahumedanorum cerimoniis: precibus, verbi cauſſa, lectionibus, peregrinationi Meccanae, ſacrificiis, ceterisque aut nihil prorſus, aut parum admodum pretii ſtatuiſſe. Si verum illud eſt, quod SCHERAFEDDIN perhibet, Sunnitarum eum ſectae addictum videri voluiſſe: hoc tamen prorſus falſum eſt, quod idem addit, Schiitas ab eo variis iniuriis affectos et ad amplectendam Sunnitarum ſectam compulſos fuiſſe. Aequum enim, facilem et benignum Schiitis ſeſe perpetuo prae-



(o) KHONDEMIRIVS apud HERBELOTVM *Bibliotb. Orientale p. 889. b.*

praebuit, nec alteram sectam alteri valde praetulisse visus est, quod vel ex vno KHOND EMIRIO constat. Neque multum successores TAMERLANIS, qui magni Mogoles vulgo appellantur, ab eius indole et moribus ad nostram vsque aetatem desciuerunt: qui tametsi pro Mahumedanis haberi velint, satis tamen factis suis declarant, eatenus tantum dogmata Mahumedana sibi probari, quatenus religioni, quam ratio et natura docent, consentanea sunt. Imitantur etiam in eo stirpis suae parentem et auctorem, quod parum aut nihil discrimen illud curant, quo *Sonnitae* a *Schiitis* distinguuntur, et *Schiitas* maximis dignitatibus et summis reipublicae muneribus praeficiunt, ipsi licet *Sunnitas* sese profiteantur. (p) Sed quocumque demum modo magnus ille TIMVR, cuius ipsum adhuc nomen Europam et Asiam terret, erga Deum et religionem adfectus fuerit, hoc omni vacat controuersia, omnia paene vestigia, omnia saltim commoda Christianorum in Tartaria, quae restabant, eius sub imperio euersa et sublata et Mahumedanam superstitionem vbique diffusam fuisse. Extra Tartariam quoque in regionibus, quas ferro et igne sibi subiecit, infinita, occasione sic ferente, mala in Christianos cedere nolentes intulit. Quum Georgiam siue Iberiam primum domuisset, principem Tiflitanum, ISOCRATEM, Christianum, vna cum magna populi parte, partim minis, partim beneficiis maiorum sacris renuntiare et ad Mahumedanos deficere coegit. (q) In eamdem deinde regionem ingressus omnes paene Christianos crudelissime deleuit, domos eorum incendit, templa et quidquid sacrum habebatur euertit et diruit. (r) Aliis in terris, quum paullo lenior et clementior

(p) FRANC. BERNIER *Histoire des Etats du grand Mogol T. I. p. 14.*

(q) *Histoire de* TIMVR-BEC *T. I. p. 416. 419. 421.*

(r) *Ibid. Tom. II. p. 376. 384. 386. Tom. III. p. 243. Tom. IIII. p. 111. 115. 117.*

tior videri vellet, vt in Natolia, Christianos omnes libertate priuauit et aeternae seruituti addixit. (s) Et quis omnia eius ex hoc genere facinora enumeret? Satis erit tristem hunc locum tetigisse.

## §. II.

Tribus verbis ea, quae rei Christianae inter Tartaros post TIMVRBECVM acciderunt, et quae nobis sunt cognita, absolui possunt. Paucissimi hoc tempore in Tartaria occidentali supererant Franciscani, et populos cumprimis montibus Caspiis vicinos in veritate erudiebant. Neque spem omnem deposuerant, fore, vt maiores religio IESV CHRISTI inter eos faceret progressus, dummodo plures adessent socii, laborum participes. Miserant hanc ob caussam A. cIↃCCCLXXXXI. ROGERVM Anglum et AMBROSIVM Senensem ad Pontificem (a) eumque, vt nonnullos in Tartariam abire iuberet euangelii praecones, enixe rogauerant: qui quidem facultatem ipsis concesserat, XXIIII. Franciscanos seligendi et secum in Asiam deducendi. Sed legationis huius euentus ab auctoctoribus non est commemoratus, nec idcirco nobis, quos sibi adiunxerunt socios, et an omnino ad suos reuersi sint, adfirmare licet. A. cIↃCCCCXIIII. principis cuiusdam Tartarorum filia, quae in captiuitatem abducta et a IOHANNA Regina Neapolitana diuinis praeceptis imbui iussa erat, virginitate perpetua se Deo dicasse, ac habitum monialis, quam vocant, suscepisse fertur. (b) Haec omnia fere sunt, quae vetustas nobis conseruauit, nisi huc eam referre velis legationem, quam *presbyter* IOHANNES ad

*Reliqua rei Christianae fata.*

R 2 Pon-

(s) *Ibid. Tom. III. p. 268.*

(a) LVCAS WADDING. *T. VIIII. p. 105.* Append. N. C

(b) P. BERGERON *Traité des Tartares C. XI. p. 65.*

Pontificem misisse perhibetur. (c) Homines quidam ignoti comite IOHANNE BAPTISTA IMOLENSI Romam A. cIɔCCCCLXXXII. perueniebant, peregrinis et moribus et idiomate vtentes. Hi Christiani quidem erant, sed a Romanorum institutis alieni, quibus vt ipsi ac ciues sui imbuerentur, a IOHANNE *Presbytero* missos se ferebant, episcopum a Pontifice petituros. Comiter eos excepit SIXTVS, quem penes hoc tempore summa rei Romanae erat, et varios cum eis sermones habuit. Sed nemo vnus Romae inueniebatur, qui his viris se committeret, et ad hos populos proficisceretur. Adeo quippe hoc saeculo degenerauerant et a maioribus suis diuersi erant doctrinae Romanae praecones, qui in S. FRANCISCI et DOMINICI verba iurauerant. Pontifex igitur pie hos legatos admonuit, et vana spe lactatos dimisit. Verum enim vero *presbyter* hicce IOHANNES non Tartarus ille Keritensium princeps, sed Rex Aethiopiae procul dubio fuit, quem his temporibus pro IOHANNE *presbytero* neminem non habuisse, supra monuimus. Neque idcirco Christianos in Tartaria saeculo XV. exeunte vixisse, hac legatione effici potest. Interim tamen nonnullos IESV CHRISTI cultores sequiori aeuo inter Tartaros fuisse dispersos, equidem non negauerim. Sed deficiunt nos monumenta, quibus hoc et comprobare et copiosius enarrare valeamus. (d) Id quod maxime peregrinationibus maritimis tribuendum

---

(c) ODOR. RAYNALD. *T. XVIIII. ann. 1481. n. 40. 41. p. 305.*

(d) IOS. SIM. ASSEMANI *T. III. P. II. p. DIII. In Tartaria anno* CHRISTI *1504 Nestorianos adhuc versatos fuisse, argumento est, quod a* SIMEONE *et* ELIA *Nestorianorum Patriarchis anno Graecorum 1801. et 1814. hoc est* CHRISTI *1490. et 1503. in Indiam, Sinam et Masinam missi fuerint episcopi* IOANNES, THOMAS, IABALLAHA, DENHA, *et* IACOBVS, *vt ex ipsorum epistola anno Graecorum 1815.* CHRISTI *1504. exarata perspicuum fit.* Vid. *Tom. III. P. I. p. 590 - 599.*

dum videtur, quae quum et breuiores et commodiores ab omnibus ducerentur, quam molestissima, quae olim terra instituebantur, itinera, id effecerunt, vt quamplurimi peregrinantium lucri cupidissimi in maritimis regnis subsisterent, nec quisquam in interiores Tartariae Asiaeque regiones penetraret, eaque, quae memoria digna essent, litteris consignaret.

§. III.

*Hodierna Tartarorum religio. Dalai Lam.*

Nostra quidem aetate religionis Christianae in Tartaria vestigia nemo facile deprehendet, quam plane in eadem esse deletam, exploratissimum est. Omnes Tartaros duplex religio in duas secernit partes. Alteri Mahumedanorum placitis addicti sunt, alteri idola colunt. Illi Magnam Buchariam et eas incolunt regiones, quae Mahumedanis vicinae, ad occidentem vergunt; hi maximam Tartariae partem occupant. Vniuersa enim et Calmuccensium et Mungalensium tribus idolorum cultui est dedita. Vtrique valde sunt superstitiosi et incantationibus dediti, cumprimis vero Mungalli orientales et Tungusi, quorum magi, quos *Schammanes* (a) vocant, celeberrimi inter hos populos dudum fuere. Ipsa vero Tartarorum idololatrarum religio nondum satis est cognita et illustrata. Plebem quidem infinitam idolorum copiam colere, cetera vero, quae ad religionem spectant, parum curare, tam certum est, quam quod est certissimum. Verum custodes sacrorum et idolorum sacerdotes quid sentiant, et quae eorum sit ratio, id est, quod nobis nondum satis liquet. (b) Hi, qui in lingua



(a) Vid. *Recueil de Voyages au Nord. T. VIII. p. 56. s. T. X. p. 45. Hist. Geneal. p. 360. s.*

(b) De Lamis Tartarorum et de Dalai Lama vid. ATHAN. KIRCHERVS *Chinae illustratae P. II. C. I. p. 51. Relation de la Tartarie Asiatique C. IIII. dans le Recueil de Voyages au Nord.*

gua Tartarica *Lamae* vocantur, ab eo procul dubio tempore inter Tartaros verſati ſunt, quo cultum idolorum a Iuguritis acceperunt, regnante ſcilicet ZINGIS CHANO. (c) Incredibilem idolorum numerum colunt, ſed vnum tamen Supremum Numen ſe tantum adorare, prudentiores adſerunt: reliqua autem, quae venerantur, idola imagines vel ipſius Dei immortalis eſſe, vel piorum quorumdam et ſanctorum hominum. Primum atque praecipuum eorum dogma eſt animarum migratio: de qua tamen alii aliter ſentiunt. Plurimi re vera mentes mortalium corporum domicilia mutare, atque etiam in bruta animantia deſcendere exiſtimant: nonnulli autem, iique ſagaciores; id de virtutibus tantum animique dotibus intelligunt. Quae de actionibus moribusque hominum praecipiunt, pauca ſunt, et eo redeunt, vt cultum idolis exhibeant, neminem laedant, ſuum cuique tribuant. Ipſi Lamae a feminarum vſu, mercatura et omni huius mundi commercio abſtinere iubentur. Toga vtuntur alba retro contorta, pileo baltheoque rubris, et tunica flaua, ex cuius cingulo loculus dependet. Omnibus hiſce Lamis, quibus tota Tartaria eſt repleta, princeps quidam et ſummus ſacerdos praeeſt, quem *Dalai Lama*, hoc eſt magnum Lamam ſiue ſacerdotem adpellant. Is in regno Tangut in monte quodam vrbi *Potala* dictae adiacente vitam agit. Arx in cacumine montis exſtructa eſt, ſeptem partibus diſtincta, in quarum editiori Dalai Lama commorari ſolet: radicem montis vltra XX. millia Lamarum occupant, ad nutum principis ſui ſe componentes. Incredibili hicce Dalai Lama cum a reliquis ſacerdotibus, tum ab omnibus Tar-

---

T. X. *p. 102. ſ.* IO. BAPT. DV HALDE *Deſcription de la Chine Tom. III p. 22. ſ. Tom. IIII. p. 29. ſ. 69..123. ſ. 570. ſ.* ABVLGASI *Hiſt. Gen. des Tartares P. II. C. II. p. 42. P. III. C. III. p. 182. C. XVIIII. p. 339.*

(c) Vid. *ſupra p. 38.*

Tartaris idolorum cultui deditis honore adficitur. Eadem enim ipsum ratione adorant, qua deos suos, et quod nefandum dictu, felicissimos sese existimant, si stercora ipsius pixidi inclusa colloque adpensa gestare eis contingit: hac enim ratione ab omnibus morbis et malorum geniorum insultibus tutos sese fore ridicule sibi persuadent. Et ne quid huic mortali Deo imperfectum supersit, quod eum diuino cultu redderet indignum, immortalitatem ipsi tribuere dicuntur, eumque certo temporis interuallo elapso renouari perhibere. Quod vt imprudenti plebi persuadeant veteratores Lamae, principi suo exstincto alium ei vultu formaque similem supponunt, et deposita senectute iuuenilem ipsum habitum induisse tradunt, corpus autem defuncti clam subducunt. Interdum ipse Dalai Lama moribundus successorem designat, quem reliqui sacerdotes in solium euehunt. Ita plerique scriptores rem narrant, verum, vt mihi quidem videtur, parum adcurate. Liceat mihi in re incerta et dubia id, quod mihi probabile videtur, exponere. Equidem mihi persuadeo, hosce idolorum cultores Dalai Lamam non pro immortali venditare, et quod numquam ex vita excedat, adserere; quin potius hoc eos sibi velle existimo, defuncto magno Lama, animam eius corporis custodia solutam in aliud transire corpus, et hac ratione in vitam redire. Hoc nemini veri videbitur dissimile, qui quae modo de huius familiae doctrina monuimus, memoria repetit. Quid est quaeso, quod nos impediat, quo minus credamus, homines, qui mentes mortalium ex vno corpore in aliud transire putant, idem de primo religionis suae moderatore adserere, quum iam indubitatis constet testimoniis, quod illi eum interdum mutari publice doceant? Mentem Lamarum hi auctores non recte percepisse, et vagis rumoribus freti eorum doctrinam non satis perpendisse videntur. Ridicula et insulsa Lamarum sunt commenta, si immortalitatem

duci

duci ſuo tribuunt, ſaniora vero et ſcitis ipſorum magis conſentanea, ſi animam eius migrare contendunt. Et roborant hanc ſententiam ea, quae IO. BAPT. DV HALDE (d) de nuntio quodam a *Tipa*, ſiue Chano Tartarorum Dalai Lamae ſubiecto in Chinam circa finem ſaeculi proxime elapſi miſſo refert. Is inter cetera narrauit, magnum Lamam XVI. ante annis de vita deceſſiſſe, morti autem vicinum promiſiſſe, ſe ſequenti anno in vitam, certo, quem deſignabat, loco reuerſurum, et vt ſe bene educarent, iuſſiſſe, donec ad adultiorem perueniſſet aetatem. Haec quid ſibi aliud volunt, quam immortalem Dalai Lamae mentem in nouum corpus tranſcendiſſe? Ab hoc Dalai Lama, praeterito ſaeculo Lama quidam defecit, eamdemque ſibi comparauit auctoritatem, qua ipſe ſupremus Lamarum antiſtes gaudet. Is enim quum a Mongallis occidentalibus nimis eſſet remotus, principem Lamarum inter eos conſtituerat, qui ſacris eorum ſui loco praeeſſet. Hic a ciuibus ſuis *Kutuchta* adpellabatur, et iisdem fruebatur priuilegiis, quibus ipſe Dalai Lama, ſed huic tamen tamquam domino ſubiectus erat, et mandata eius exſequi debebat. Verum iugum hoc deinde excuſſit, ac Mongallos, quos gubernabat, eo adduxit, vt ſe ſupremum pontificem omnibus legibus ſolutum declararent.

§. IIII.

(d) *Tom.* IIII *p.* 467. *Ce Lama dit à L'Empereur, que le vieux* Dalai Lama *étoit effectivement mort depuis ſeize ans, mais qu' avant que de mourir, il les avoit aſſurez qu'il reſſuſciteroit l'année ſuivante, et qu'il leur avoit marqué le lieu où il devoit renaitre; qu'il leur avoit recommandé en même tems de le bien elever jusqu' à l'âge de quinze ans, que cependent ils tinſſent ſa mort très-ſecrete, et qu'ils répondiſſent à ceux qui demanderoient de ſes nouvelles, qu'il étoit en retraite; que la ſeizieme année apres ſa mort, en la dixieme lune, ils envoyaſſent à l'Empereur vn petit paquet qu'il leur remit entre les mains, dans lequel il y avoit une lettre pour Sa Maieſté, et vne ſtatue de* FO; CAR IL SE DIT LE FO VIVANT.

## §. IIII.

Haec licet ita sese habeant, nemo vt dubitare possit, quin hodierni *Lamae* vna cum Maximo Pontifice suo superstitiosissimi mortalium sint et omnis verae religionis, quam a IESV CHRISTO accepimus, nescii, nihilo tamen minus haud pauci sunt, iidemque eruditissimi viri, qui Lamarum religionem Christianam esse, at mirifice procedente tempore deprauatam et multis ridiculis commentis obscuratam coniiciunt. Nititur vero haec coniectura variis institutis et dogmatibus Tartarorum, maxime *Lamarum*, qui regnum *Thibet*, sedem *Dalai Lamae*, incolunt, quae Christianis dogmatibus et institutis admodum cognata videntur. Princeps quisnam eam proposuerit, nondum explorare mihi licuit: hoc vero cognitum habeo, eam superiori saeculo a multis Romanae sedis legatis, qui in Tartariam et Chinam missi sunt, variis modis expositam esse et ad nostram vsque aetatem etiam ex illis, qui huic hominum generi non temere credendum esse putant, patronos inuenire. Antiquiorem opinionis huius auctorem nondum reperi, quam ANTON. d' ANDRADA Iesuitam, qui A cIↃIↃC XXIIII. et sequentibus in regno Thibet maiori vixit (a) Is fateri Lamas adfirmat, Deum esse vnum in tribus personis, secundamque naturae diuinae personam pro salute generis humani sanguinem suum profudisse: crucis figuram in sacris libris suis expressam habere: Pontificem maximum seu *Dalai Lama* sacrificii quoddam genus pane et vino celebrare: ipsum sibi modicam portionem sacri huius cibi sumere, reliqua inter Lamas, qui cerimoniae intersunt, distribuere: eumdem Pontificem talem in capite coronam habere tonsam, qualem

*Lamae an descendant a Christianis?*



(a) Vid. LA CROZE *Histoire du Christianisme des Indes Livr VI. p. 513. sq.*

ſacerdotes Romani coetus habent. Ex his nonnullisque aliis Ieſuita colligit, Lamas illos Tartaros degeneres eſſe Chriſtianos: et quaedam in his certe ſunt, quae, ſi vera forent, hanc opinionem non leuiter fulcirent. Sed omnia vera eſſe, nemo exiſtimabit harum rerum non prorſus expers: ea certe, quae de Tartarorum Trinitate et ſecunda diuinae naturae perſona pro humano genere mortem perpeſſa tradit, falſa ſint neceſſe eſt, quum nemini eorum, cui poſt ANDRADIVM cum Lamis verſari licuit, innotuerint. Haec vero ſi demas, ex reliquis nihil certi confeceris. Poſt ANDRADIVM tamen multi alii, aliis tamen magnam partem ex cauſſis, in eius ſententiam ingreſſi ſunt. IAC. D'AVRIL, Ieſuita non infimi nominis, ex ipſo *Lamae* nomine eam firmat. *Lama* enim Tartarorum ſermone *crucem* ſignificare obſeruat: cui addit Tartaros *Bogdoi* dictos, qui Lamarum religionem ſequuntur, omnes cruces geſtare et magno has figuras honore et cultu adficere. (b) Recentiores Ieſuitae aliis etiam ſignis vtuntur ad hanc rem demonſtrandam. Obſeruant nimirum, Lamas aquam certo ritu conſecratam ſeu benedictam adhibere, pro mortuis Deo ſupplicare, eodem modo, quo ſacerdotes Romanos, in templis Deum cantu celebrare, ita veſtitos eſſe, ut Apoſtoli plerumque in pictis tabulis veſtiti videntur, caput mitris et pileis iiſdem, quibus Latinorum epiſcopi, tegere, denique magnum ſuum LAMA non aliter colere ac venerari, quam Latini Romanum epiſcopum.

(b) D'AVRIL *Voyage de la Chine Livr. III. p. 194. Ce qu'il y a de remarquable, c'eſt qu'il porte le nom de Lama, qui en langue Tartare ſignifie la Croix et les Bogdoi, qui conquirent la Chine en 1644. et qui ſont ſoumis au Dalai-Lama dans les choſes de la Religion, ont toujours des Croix ſur eux, qu'ils appellent auſſi Lamas et pour leſquelles ils ont un reſpect tout à fait extraordinaire.*

pum. (c) Alii his addunt, totam gubernationem sacram Lamarum respondere Hierarchiae Latinorum, loqui eos solere de Deo quodam, qui naturam humanam adsciuerit, multa passim proferre doctores eorum praeceptis Christianorum moralibus similia. (d) Sed nec soli Iesuitae et Romani coetus legati huic de religione Lamarum sententiae fauent, verum etiam doctissimi ex illis viri, qui alienissimi sunt a sacris Latinorum. MATVR. VEISSIERE LA CROZE, vir veterum Orientis rerum plus, quam dici potest, gnarus, idemque sagacissimus, ex libro quodam precum lingua Tangutica exarato nonnihil ei roboris comparare studet. Vidit nempe in formula quadam precum, hoc libro comprehensa, saepius haec verba repeti: *Preces nostrae ad Deum veniant. Exhibe nobis, o Deus, misericordiam.* Hos ille dicendi modos putat *fragmenta* esse *Liturgica* veterum Christianorum inter Tartaros viuentium, priorem Latinorum: *Oremus*, posteriorem Graecorum: Κυριε ἠλεησον referre. (e) Nobis quidem, etsi de tanti viri meritis nihil detractum volumus, hoc tamen argumentum omnibus illis, quae recitauimus, debilius et inferius videtur. Propendebat in hanc etiam sententiam maxime vir egregius, magnum nuper Academiae Petropolitanae decus, THEOPH. SIGEFR. BAYERVS, qui paucis ante obitum mensibus eruditam ad Summe Venerandum PRAESIDEM meum de hoc argumento epistolam dedit: sed is externa tantum quadam conuenientia sacrorum Nestorianorum et Tartaricorum nitebatur, nec multum rationibus ex ipsa Lamarum religione sumtis tribuisse videtur. Exornasset sine du-



(c) GERBILLON *Observations Historiques sur la grande Tartarie p. 69.*

(d) REGIS *Observations Geographiques et Historiques sur la Charte du Thibet p. 583. s*

(e) *Histoire du Christian. des Indes Liv. VI. p. 518.*

bio coniecturam suam vir litteratissimus more suo elegantissime, si fata ipsum siuissent *Historiam ecclesiasticam Asiae Septemtrionalis*, quam meditabatur, perficere. Neque tamen omnes, quibus haec adridet, eam pari modo et ratione explicant. Namque aliqui ipsos putant Seruatoris nostri Apostolos inter Tartaros religionem Christianam adnuntiasse, nec idcirco dubitant, ea quae in Lamarum religione aliquid Christiani habere videntur, pro vestigiis Apostolicae institutionis venditare. (f) Sic Romanae ecclesiae filios et nuntios sentire, nihil mirum est. Dudum enim ab his id actum est, vt vestimenta sacerdotum suorum, crucis figuram, cantum ecclesiasticum, aquam benedictam, ad ipsos Apostolos tamquam auctores referrent. Sapientius vero instituunt alii, qui contendunt, ea quae Christiana sunt in Tartarorum religione, reliquias esse Nestorianorum, qui olim inter Tartaros religionem Christianam disseminarunt. Ita LA CROZIVS, BAYERVS et plures alii. Ex his longissime progressus est et omnium audacissime coniecit vir eruditus nescio quis, cuius non ita pridem *Relatio de Tartaria Asiatica* prodiit, quippe qui *Dalai Lama*, seu Pontificem Maximum Tartarorum nullum esse alium putat, quam ipsum illum, de quo tot mira narrarunt veteres, *Presbyterum Iohannem*: Hunc vero Pontificem Maximum Nestorianorum esse statuit. (g) Obseruat is, vocabulum *Lama* Mongalorum lingua *sacerdotem* denotare: quod quidem Iesuitam AVRILIVM conficit, qui nomen *Lama* crucis figuram significare perhibet. Animaduertit porro, *Dalai* Oceanum aut vastum quoduis et immensum spatium indicare: Denique nomen *Gehan* eamdem habere notionem in lingua Indorum adnotat. *Prete Gebam* igitur (sic enim pronuntiari vult) ex eius

(f) Vid. REGIS *l. c. p. 583.*

(g) *Recueil des Voyages au Nord Tom. X. p. 103. 107.*

eius mente idem eſt, quod *Dalai Lama*, id eſt, *ſacerdos vniuerſalis*. Hic igitur ſi audiendus eſſet, credendum nobis foret, non interiiſſe Neſtorianam eccleſiam in Tartaria, nec Primatem Neſtorianorum deletum eſſe, ſed eccleſiam adhuc cum capite ſuo, verum vehementer deprauatam et omni natiua forma et ſpecie ſua nudatam, in iſtis terris florere.

## §. V.

*Iudicium de hac ſententia.*

Nos, vt ingenue fateamur, quod res eſt, hanc de ſuperſtite inter Tartaros religione Chriſtiana ſententiam totam, eruditos licet patronos habeat, inanem et omni ſolido fundamento deſtitutam arbitramur. Nondum quidem ſatis religio Tartarorum ſeu Lamarum nobis perſpecta eſt: nec enim cuiquam Chriſtianorum adhuc ſacros Lamarum libros, qui in vrbe *Laſa* religioſiſſime ſeruantur, conſulere et euoluere conceſſum fuit. Ex his vero vnice religionis huius natura, de qua tot pugnantes inter ſe ſententiae circumferuntur, intelligi poteſt. Plebs Tartarorum ignariſſima et ſuperſtitioſiſſima eſt, neque religionis, quam profitetur, indolem callet: Lamae vero ipſi, quoties ab Europaeis conſuluntur, aut ineptis fabulis quaerentes paſcunt, aut aenigmatibus et incertae notionis vocabulis deludunt. At nihilo tamen minus hoc omni vacat dubio, religionem Lamarum perantiquam eſſe, nec aliam, quam illam, quam Siamenſes, Sinarum Bonzii et alii huius generis populi in Aſia profitentur: quae quidem omnium conſenſione toto genere diſtat et remota eſt a religione Chriſtiana, et vaniſſimae ſuperſtitionis plena eſt. Quonam tempore haec inter Tartaros religio introducta ſit difficile dictu eſt: at a multis eam iam ſaeculis notam in hac gente fuiſſe, teſtatiſſimum eſt. Princeps quidam vir inter *Mongalos* GERBILLONIO Ieſuitae ſciſcitanti hac de re reſpondit, tempore COPLAII, Imperatoris, La-

mas primum in Tartariam venisse. (a) Sed huic vix credi-derim: nec enim dubito, quin iam ante hoc tempus Tartaros haec pestis inuaserit. Et fortassis illustris hic *Mongalus* sacerdotes Christianos, qui COPLAII aetate ad Tartaros profecti sunt, cum sacerdotibus, qui *Lamae* proprie nominantur, confudit, quum vocabulum *Lama*, quod ante vidimus, generatim *sacerdotem* Tangutica lingua significet. Ab hac de Lamarum religione sententia non dimouent nos, quae in ea obseruasse sibi quidam visi sunt expressa disciplinae vel Christianae, vel sigillatim Nestorianae vestigia. Nam vt omittamus, eadem in Bonziorum Sinensium et Siamensium moribus et sacris institutis adparere, quos tamen nemo pro adulteratis Christianis habet, non tanta est eorum, si accuratius considerentur, cum Christianis ritibus et dogmatibus cognatio, quantam sibi viri docti fingunt. Quae de *incarnatione*, vt communi Theologorum vocabulo vtamur, Dei cuiusdam Lamae narrant, commodissime ex dogmate eorum de migrationibus animarum et maxime de migratione Numinis sui FOE, quod colunt, in varia corpora explicari potest. Et sciunt, qui rerum Indicarum non expertes sunt, Indorum Brahmanes pariter eiusmodi nugas de Deorum quorumdam variis incarnationibus seu Metamorphosibus commemorare solere. Video rectissime hoc iam obseruatum esse a Iesuita REGIS. (b) Praecepta eorum Moralia, quae Christianis simillima videntur, sana illis ratio, non secus ac SENECAE, ANTONINO, EPICTETO et aliis suggerere potuit. Aquam consecratam non Lamae modo, sed etiam Indi

(a) DV HALDE *Descript. de la Chine Tom. IV. p. 69.*

(b) *Observations sur la Charte du Thibet p. 583. A en iuger par les discours ordinaires des plus sçavans Lamas, il paroit que toutes les connoissances qu'on en pourroit tirer, n'aboutiroient qu'à y trouver la Metempsycose: car le Fôe qui s'incarne diverses fois en differentes personnes - - est le fond de tout leur Systeme.*

Indi habent: et quis nescit, antiquissimis populis aquam certo ritu dedicatam efficacissimam fuisse visam ad sordes corporis et animi eluendas? Acceperunt, quod notum est, Pontificii et Orientis Christiani hanc aquam non a CHRISTO, sed a Deorum cultoribus. Pro mortuis Deo supplicare non Latini tantum et Nestoriani, sed etiam Mahumedani, Indi, Siamenses et alii solent. Crucis figura in sacris Aegyptiorum, maxime Serapidis, quod ATHAN. KIRCHERVS praeter alios abunde docuit, celeberrima et sanctissima fuit. Deum cantu certis modis adstricto praeter Christianos multi populi Asiatici colunt. Vestimenta Apostolorum, quae in antiquissimis etiam tabulis depicta sunt, pictorum, ipsis Pontificiis confitentibus, inuenta et commenta sunt. Hierarchiam Lamarum Romanae quodam modo respondere, nemo vnus admirabitur. Dicere idem licet de Hierarchia Persarum, Indorum, Turcarum. Sensus communis omnes id docet homines, membra collegii seu societatis cuiusdam disparia seu subordinata esse oportere, si saluum illud et sanum esse debeat. Omnium minime ferri potest doctissimi illius viri sententia, qui *Dalai Lama* in *Presbyterum Iohannem* et Pontificem Maximum Nestorianorum commutat. Etsi enim Keritensium Tartarorum Chanus, quem Nestoriani fide diuina imbuerunt, *presbyteri* nomine est insignitus, re tamen vera sacerdotem eum fuisse, nondum omnem extra controuersiam est positum. Quin potius hos NESTORII sectatores varias de eo fabulas diuulgasse, supra obseruauimus. Nomen *Geban* apud Indos *mundum* significat, quod a BERNIERIO et aliis dudum obseruatum est. Sed vnde nouit vir doctus, Keritensium Chanum non *Iohannem* sed *Geban* fuisse dictum? Taceo Indorum linguam a Tangutica plane differre. Immo vero diuersum plane a Dalai Lama esse *presbyterum* IOHANNEM, nullo negotio possumus euincere. Lamae sunt idolorum cultores eorumque sacerdotes;

idola

idola vero, quod ſupra monuimus, Tartari a Iuguritis tempore ZINGIS CHANI accepere. *Presbyteri* autem IOHANNIS ſucceſſores ad ſaeculum vsque XIIII. floruiſſe, eiusque ſubditos Neſtorianorum praeceptis fuiſſe inſtructos, oſtendimus: ſaeculo itaque XIII. et ſequente Lamae a IOHANNIS *presbyteri* ſacerdotibus fuerint diuerſi neceſſe eſt. Luce igitur clarius eſt, Lamas hoſce Neſtorianis eorumque principi neutiquam originem debere: quodſi vero hi aliunde deſcendunt, quidni etiam ſupremus eorum moderator? Quid quod IOHANNE *Presbytero*, vel potius poſterorum ipſius quodam adhuc viuente, Lamis hisce ſummis quidam ſacerdos praefuit, ipſe idolorum cultor, et a IOHANNE *presbytero* toto differens caelo. (c) Ne dicam, ab omni veritatis ſpecie abhorrere, principem Chriſtianorum legibus inſtructum, idolorum inimicum, adeo ſui oblitum eſſe officii, vt Chriſtianorum caſtra non ſolum deſeruerit, ſed fictos ipſe coluerit Deos, immo vero ſe omnibus ſacrificulis praefici, et diuinis adfici honoribus voluerit. (d)

§. VI.

---

(c) Luculentum ODORICI de PORTV NAONIS teſtimonium ſupra p. 102. adduximus.

(d) Adde his, ipſum magnum Lamam *Kalkae* commorantem, quum a legato Imperatoris Sinarum, quid de religione Chriſtianorum ſentiret, paucos ante annos quaereretur, eam valde deſpexiſſe. DV HALDE *Deſcription de la Chine Tom. IV. p. 162. Il* (legatus) *lui parla auſſi de la religion Chretienne, ſous le nom de religion des Europeans - - Mais il* (le grand Lama) *parla de cette religion avec mepris, diſant, que cette religion ne connoiſſoit que le Seigneur du Ciel et qu'elle ne reconnoiſſoit point d'Eſpris* (id eſt, ſine dubio, Deos inferiores.) Ceterum bini iam Ieſuitae eruditiſſimi faſſi ſunt ante nos, falli eos, qui Lamarum religionem progeniem eſſe Chriſtianae, aut ſaltim Chriſtiani aliquid admiſtum habere putant, REGIS nimirum, vid. DV HALDE *Deſcript. de la Chine Tom. IV.* p. 583. et IOSEPH.

## §. VI.

Nobis quidem multo turpior Dalai Lamae et reliquorum Lamarum parens videtur esse. Faciemus periculum, an in tanta rerum caligine facem aliquam accendere valeamus. Narrant rerum orientalium scriptores, (a) et docent plurimi deorum in Asia cultores, antiquissimis temporibus hominem in his regionibus vixisse, qui cultum idolorum et doctrinam de animarum migratione primus docuerit: hunc parentem esse *Sammanaeorum*, qui eadem profitentur. Diuersa huic a diuersis tribuuntur nomina. HIERONYMVS, CLEMENS ALEXANDRINVS (b) aliique eum BVDDAM adpellant, a Siamensibus SOMMANO CODOM, a Chinensibus FO siue FOE, a Iaponensibus XEKIA siue XAKA vel SCHAKA nominatur. Nam varia haecce nomina vni homini esse propria, ea, quae de ipso perhibentur, quaeque satis inter se conueniunt, declarant, et ab eruditissimis viris iam est obseruatum. (c) Varia de eo referuntur commenta, quorum praecipuum est, ipsum saepius mortuum, mutato habitu, in vitam rediisse. Hic, quod diximus, deorum cultum et animarum migrationem sectatoribus suis, dum viueret, inculcauit. Sed adpropinquante morte laruam exuit, et conuocatis discipulis, omnia, quae adhuc docuerat, vana et falsa esse perhibuit. *Veritatem*, inquit, *quam ad prae-* *Vera Dalai Lamae origo.*

*Hist. Eccl. Tart.* T *sens*

FRANC. LAFITAV in praeclaro opere: *Moeurs des Sauvages Americains comparées avec les moeurs du premier tems Tom. I. p. 449.* ed. *Paris 1724. in 4.*

(a) Vid. LA CROZE *Histoire du Christ. des Indes L. VI. p. 453. f.*

(b) Citati a CROZIO *p. 492. et 509.*

(c) V. c. a CROZIO *l. c.* et IO. BAPT. DV HALDE *T. III. p. 25.*

*ſens vsque tempus vobis occultaui, nunc percipite. Impoſui vobis, quum de caeli terraeque rectoribus verba feci, quum Deum a mundo eſſe diuerſum adſerui. Vnicum rerum omnium principium et cauſſa eſt vacuum atque nihilum, ex hoc omnia profecta, huc reuertuntur.* Impoſtoris, vel vt rectius loquar, athei huius ſectatores in duas ſe ſeparaſſe familias mihi perſuadeo. Alii arcanam eius doctrinam profeſſi ſunt, et vacuum atque nihilum pro rerum omnium exiſtentium cauſſa habuerunt: alii publicum ipſius ſyſtema receperunt, et cum idola coluerunt, tum antiquiſſimum orientalium errorem de animis ex vno corpore in aliud deſcendentibus publicarunt. Illi in regno Siamenſium ad hodiernum vsque diem commorantur; hi vero in Tartaria partim, partim in Chinarum imperio hodie verſantur, et cultum deorum moderantur. Priores a ciuibus ſuis regni Siam incolis *Talapoini* adpellantur: poſteriores Chinenſes *Ho chang*, Iaponenſes, vel Europaei potius *Bonzios*, et Tartari *Lamas* vocant. Omnibus hisce ſacrorum miniſtris magnus ille Lama praeeſt, quem modo deſcripſimus, ab omnibus diuino honore colitur, omnes ei potentiam atque ſcientiam nullis limitibus circumſcriptam tribuunt. Quae quidem omnia facile nos adducunt, vt Dalai Lamam pro ſucceſſore huius FOES ſiue XAKAE habeamus, vel a cultoribus ſuis pro eo haberi credamus, in quem anima huius impoſtoris poſt longam temporum ſucceſſionem tranſierit, vim ſuam diuinam in eo exſerens. Omnia quippe de Dalai Lama tradunt, quae de FOE perhibent, eodem ipſum cultu proſequuntur, eadem ratione eum ex corpore in corpus migrare adſerunt. (d)

§. VII.

---

(d) Confirmant haec egregie, in quae, his iam ſcriptis incidimus verba Ieſuitae REGIS in DV HALDE *Deſcript. de Chine Tom. IV. p. 573. Ils ſont perſuadez que Foe vit en lui* (le Dalai Lama) *qu'il ſcait tout, qu'il voit tout - - qu'il eſt immortel, et que*

## §. VII.

*Conclusio. Hodierni Romanorum in Tartariam legati.*

Studiosius quidem, et ea, qua fieri potuit, solertia haec omnia exposuimus; sed multa incerta atque obscura nobis adhuc esse lubentes confitemur, non nisi tempore et nouis documentis nobis in posterum explicanda. Verum est tamen, quod non sine ratione speremus, maiorem huic rei lucem propediem adfusum iri. Iam A. cIↄ Iↄ CCVIII. duo ex familia Capucinorum, alter Gallus, alter Italus, per Iesuitas ab Imperatore Sinarum facultatem petierunt templum in vrbe Lasa, vbi magnus Lama commoratur, propagandae religionis Christianae caussa extruendi: sed aut noluerunt, aut non potuerunt Iesuitae precibus bonorum istorum virorum apud Imperatorem fauere. (a) Ipsi deinde Iesuitae auctoritate Pontificis Maximi Romani, ex China legationem ad maximum Tartarorum Pontificem susceperunt. Hi iam iter suum et rationem laborum Romae publicari curarunt, et hodienum, quantum nobis constat, inter Tartaros versantur. Qui si ex itinere redierint, nouas, vti spero, et magni procul dubio momenti relationes nobis adferent, et nostram hanc qualemcunque commentationem eximiis documentis illustrabunt. Num Christianae religioni multum fructus et incrementi comparaturi sint, dies docebit. Sapientiores ex ipsa Iesuitarum familia desperant fere, CHRISTO in regno Thibet, dum illud in potestate magni LAMAE erit, gregem quemdam collectum iri: (b)



*quand il paroit mourir, il ne fait que changer de demeure, en renaissant dans un corp tout neuf: qu'il ne s'agit alors, que de chercher en quel lieu il lui a plû de prendre une nouvelle naissance*

(a) DV HALDE *Descript. de la Chine Tom. IV. p. 584.*

(b) REGIS *Observations sur la Charte du Thibet p. 584. Tandis que le grand Lama sera maitre du Thibet, on ne peut gueres esperer que le Christianisme y fasse quelque progres.*

quorum sententiae adsentientur facile, quibus Tartaricae gentis superstitio et incredibilis erga LAMAM voluntas non ignotae sunt. Ipse autem LAMA difficillime aures Iesuitis aperiet, nisi antea nihil de veteri maiestate et gloria sua per mutationem religionis detractum iri certissimus redditus fuerit.





AD

# HISTORIAM ECCLESIASTICAM TARTARORVM

*APPENDIX*

MONVMENTA ET EPISTOLAS

EXHIBENS.

---

## N. I.

*TABVLA*

## SEDIVM METROPOLITANARVM PATRIARCHAE NESTORIANORVM SVBIECTARVM,

AVCTORE AMRO SCRIPTORE NESTORIANO, QVI SAECVLO XIV. FLORVIT,

ex IOS. SIM. ASSEMANI *Bibliotb. Orient. Tom.II.p.458.*

*Hi sunt metropolitae Patriarchae Orientis, eorumque sedes.* 1. *Metropolita Gandisapor, qui primas tenet, et patriarcham ordinat, consentientibus patribus atque fidelibus.* 2. *Metropolita Nisibis.* 3. *Metropolita Bassorae.* 4. *Metropolita Mosul et Athur* (hoc est Niniues) 5. *Metropolita Arbelae et Hazae* (seu Adiabenae) 6. *Metropolita Beth Garmae,* 7. *Metropolita Halauanae.* 8. *Metro-*

*polita Persidis.* 9. *Metropolita Maru.* 10. *Metropolita Harae.* 11. *Metropolita Katrabae.* 12 *Metropolita Sinarum.* 13. *Metropolita Indiarum.* 14. *Metropolita Bardaae.* 15. *Metropolita Damasci.* 16. *Metropolita Raiae et Tabrestanae.* 17. *Metropolita Dilumitarum.* 18. *Metropolita Samarkandae.* 19. *Metropolita Turchistanae.* 20 *Metropolita Halabae.* 21. *Metropolita Segestanae.* ( quae sequuntur vsque ad num. 25. ad marginem adnotata sunt : 22. *Metropolita Hierusalem.* 23. *Metropolita Chan - Balek et Phalek.* 24. *Metropolita Tanchet.* 25. *Metropolita Chasemgarae et Nuachetae. Et quidem vnusquisque horum metropolitarum subiectos habet episcopos, alius duodecim, et alius sex. Qui vero ad electionem et ordinationem Patriarchae ius habent, septem sunt: nempe Metropolita Gandisapor, et Bassorae, et Mosul, et Arbelae, et Beth - Garmae, et Halauanae, et Metropolita Nisibis, qui secundas tenet.*

# N. II.

## *TABVLA*

## SEDIVM EPISCOPALIVM PATRIARCHAE NESTORIANORVM SVBIECTARVM,

### AVCTORE ELIA METROPOLITA DAMASCENO,

ex ASSEMANI *Biblioth. Orient. Tom. II. p. 458. s.*

Nomina Episcoporum prouinciae Patriarchae. *Episcopus Cascarae. Episcopus Tirhanae. Episcopus Dair-Heraclii Episcopus* Hirtae. *Episcopus Anbarae. Episcopus Senae. Episcopus Ocbarae. Episcopus Radani. Episcopus Napharae. Episcopus Kosrae. Episcopus Badaraiae Bacsaiae: suppressus postea, et ad Episcopatum Cascarae adiunctus. Episcopus Abdasae. Episcopus Buazichae.* Nomina Episcoporum prouinciae Gandisapor, qui praeses est. *Episcopus oppidi Ledan et Susae. Episcopus Huzitarum. Episcopus Tesrae. Episcopus Mahargan-Kadak.* Nomina Episcoporum prouinciae Nisibis

Nisibis. *Episcopus Baladae. Episcopus Bakerdae. Episcopus Arzuni.* Prouincia Bassorae. *Episcopus Destesanae. Episcopus Nahar-al-marah.* Prouincia Mosul. *Episcopus Nuhadrae. Episcopus Bagas. Episcopus Dasenae. Episcopus Niniues. Episcopus Hadathae. Episcopus Badiae.* Prouincia Beth-Garmae. *Episcopus Sciaharkadtae. Episcopus Dakukae. Episcopus Buazichae, quae postea ad dioecesim Patriarchae translata est. Episcopus Darabadae. Episcopus Chanigiarae et Lasciumae.* Prouincia Damasci. *Episcopus Alepi. Episcopus Hierusalem. Episcopus Manbegae. Episcopus Mopsuestiae. Episcopus Tarsi et Malatiae.* Prouincia Raiae. *Episcopus Gergianae.* Prouincia Harae. *Episcopus Segestanae.* Prouincia Maru. *Episcopus Dair-Hannes. Episcopus Damaduthae. Episcopus Daabar-Sanaiae.* Prouincia Armeniae (ad Nisibenam adiuncta erat tempore Ebediesu.) Prouincia Kandae (fortasse *Samarkandae.*) Episcopi subiecti Metropolitae Persidis. *Episcopus Sciraz. Episcopus Astachar. Episcopus Sapor. Episcopus Caramaniae. Episcopus Drangerdae. Episcopus Siran. Episcopus Marmadit. Episcopus Socotorae. Prouincia Bardaae.* Sub Metropolita Halauanae. *Episcopus Dinur. Episcopus Hamdanae. Episcopus Nahauand. Episcopus Georgianorum.*

# N. III.

## *MONVMENTVM*
## SYRO-SINICVM,
### *PARS I. SINICA,*
### ex ATH. KIRCHERI *China illustrata P. I. C. III. p. 22. sqq.*

| | *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|---|
| | De magna CYN (*Iudaea* * *videlicet*) clarissimae legis promulgatae in CYVM KVE (*id est Sinarum imperio*) Monumentum. | |
| | Clarissimae legis promulgatae *in* Sina lapis aeternae laudis et prologus. TACYN (*id est Iudaeae*) ecclesiae sacerdos KIMCYM retulit. | Declaratio DEL XIV PIV, vel vt commentator ait, facta a sacerdote regni Iudaeae qui vocabatur KIM LIM. |
| Columna I. | Principium fuit semper idem, verum, quietum, primorum primum, et sine origine, necessario idem, intelligens *et* spirituale, postremorum postremum, excellentissimum existens, ordinauit caelorum polos, et fecit *ex* nihilo excellentissime; *perfecti* omnium Sanctorum proto | Dico itaque hoc modo, ille qui semper verus fuit et quietus, omnis expers principii, intellectus profundissimi, et semper duraturi, excellente potentia sua ex nihilo creauit res omnes, infinita maiestate sua et sanctitate fecit Sanctos. Haec est essentia Diuina, trina in personis et in substantia vna, Dominus noster, verus |

(*) Ita KIRCHERVS vocem TACYN vbique vertit, sed minus recte; nam ea vox significat quascunque regiones ad occasum Sinarum positas, ac praesertim Chaldaeam, Syriam & Iudaeam. ASSEM. *Bibl Or. T III. P. II. p. DXXXIX.*

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|
| rigine adorant quem; ille solus personarum trium vnica perfectissima substantia non *habens* principium, veritas Dominus HOLOOY * statuit crucem per pacificare quatuor partes *mundi*, commouit originis spiritum et produxit Duas mutationum caussas (*Sinice dicuntur* YM *et* YAM, *hoc est materia et forma*) obscurum vacuum mutauit, et caelum, terram aperuit, solem, lunam circumuoluit, et diem noctem fecit, artifex operatur vniuersas res; idem erigere voluit hominem, ornato donauit amabilissimam pacificae unionis subordinationem (*id est*, *iustitiam originalem* praecipiebat quietem fluctibus maris, integra originis natura vacua *humilisque* et non plena *superbaque*, sequi adpetituum fluctuationem corde, de se, neque leuissime desiderabat, promanauit a SOTAN (*id est diabolo*) extensus dolus, clam ornauit naturam pu- | verus sine principio, OLO O YV (*quod in Chaldaeo idem ac* ELOHA *significat*) in figura crucis fecit quatuor mundi partes, commouit chaos, fecit duo KIS (*hoc est duas virtutes*, *seu duas qualitates dictas* INYAM; *commentator habet*, *duo principia*) fecit mutationem in abysso, *id est mutauit tenebras*, comparuit caelum et terra, fecit vt sol et luna motibus suis noctem et diem caussarentur, res omnes fabricatus est. Verum creando primum hominem ei praeterea iustitiam largitus est originalem, dominum eum constituendo totius vniuersi, qui de sua natura primo vacuus erat et vilis, seipso plenus, intellectu plano et aequali, et sine mistura nullum habens adpetitum inordinatum.<br><br>II. Postquam vero Satanas fraudibus suis vsus, effecit, vt Adamus id quod ex se et sua natura |

Col. II.

(a) 3

* Nomen Dei Syriacum ALOHO.

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|
| Col. III. ram et ſimplicem, otioſa pace magnificam in Illius permanentiae medio odium occultauit ſimul per laudem malitiae ad intra, iſtud cauſſauit ter centum ſexies decem quinque ſectas, * humeri hominum ſequebantur ordinem veſtigiorum, contendentes texere regularum retia, aliqui monſtrabant res creatas pro credendo principio, aliqui vacuum habebant pro origine duarum *cauſſarum*, aliqui praeſtabant ſacrificium ad accerſendam fortunam, aliqui conquirebant *falſa* bona vt deciperent homines, prudentiae cogitationum inuentiones *doloſae*, amoris paſſiones gaudentes laborant ſic Absque | tura purum erat et perfectum, inficeret; *hoc eſt*, *fecit vt malitia in ipſum intrare inciperet*, perturbatura pacem, et huius ſuae ſimplicitatis aequalitatem et diſcordiam illa fraude introduxit. Idcirco trecentis ſexaginta quinque ſectis vna poſt alteram obortis, vna quaeque earum maximum quem poterat numerum ad ſe trahebant. Aliqui creaturam creatoris loco habebant. Alii principium rerum omnium vacuum ponebant, et ens reale (*adludit ad hoc ſecta Pagodum et Literatorum Sinenſium*) quoniam illi adſerunt, quod principium, e quo omnia prodiere, ſit vacuum; quod idem illis eſt, ac ſubtile, ſenſibus imperceptibile, etiamſi in ſe reale ſit et poſitiuum principium. |
| Col. IV. dentes laborant ſic Absque *eo*, *quod* poſſent *conſequi* torrebantur arctiſſime reuolutique cremabantur; adgregantes tenebras ſine via; *a* multo *tempore* perſonarum ** trium vna commu- | Literati vero dicunt, quod principium rerum non ſolum reale ſit et poſitiuum, ſed praeterea quod talis ſit figurae et corpulentiae, vt ſenſibus comprehendi queat. Quidam ſacrificiis quaerebant beatitudinem. Quidam |

* Numerus certus pro incerto, KIRCHER. p. 37.

** Verba haec, quae Neſtorianorum doctrinam prodere EVSEB. RENAVDOTO *Anciennes Relat.* p. 242. et ASSEMANO *Biblioth. Or.*

*Interpretatio.*

nicauit se ipsam clarissimo venerabilissimo*que* MIXIO; operiendo abscondendoque veram maiestatem; simul homo prodiit *in* saeculum; spiritus *de* caelis* significauit laetitiam, virgo femina peperit sanctum in TACYN (*hoc est Iudaea*) clarissima constellatio adnunciauit felicitatem; PO SV (*Reges ex illa terra orientali*) viderunt claritatem, et venerunt offerre munera subiectionis, completa bis decem quatuor sanctarum ** Est prop

Col. V. phetiarum antiqua lex; gubernauit familias regna (*id est, omnes*) cum magna doctrina, locutus trinae vnitatis puram spiritualem sine verborum strepitu nouam legem; perfecit bonos

*Paraphrasis.*

dam bonitate quadam gloriabantur ad decipiendos homines, qua in re omnem suam scientiam et industriam collocabant, omni diligentia et intentione suis adfectibus seruientes. Verum frustra laborabant et sine profectu, semper in peius progredientes, quemadmodum contingit iis, qui e vase cretaceo ignem elicere volunt, obscuritatem addentes obscuritati, et hoc ipso veram semitam perdentes ad viam vitae reuerti nescientes.

III. Tunc vna de Diuinis personis sanctissimae Trinitatis dicta Messias restringendo tegendoque maiestatem suam, et se humanae naturae accommodando homo factus est. Quam ob rem ad hoc gaudium adnunciandum angelum ablegauit,

*Or. T. III. P. II. p. DXXXIX.* videntur, sequentem in modum interpretanda esse, docet PREMARE Iesuita in *Lettr. edif. et cur. T. XIX. p. 453. s.* „*Vnitas trina separauit personam, vt fieret ado-* „*randus Messias, et condendo maiestatem nata est similis ho-* „*minibus.*

* *Caelum* potius *spirituale et inuisibile* esse vertendum, PREMARE ostendit in *Lettr. edif. et cur* l cit.

** Sequi auctorem communem orientalium sententiam, qui Veteri Testamento viginti quatuor libros tribuunt, recte monet EVSEB. RENAVDOTVS in *Anciennes Relations, p. 244.*

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|
| mores cum directa fide; ordinauit octo *finium* et beatitudinum loca et *gradus;* locum igneum purgandi *pulueris* * perficiendae integritati, aperuit trium virtutum scholam; ** reserauit vitam, extinxit mortem; appensus claro die, vt destrueret *inferni* tenebrosi ciuitates (*et regionem*) diaboli dolos cum hoc totaliter destruxit, directo Pietatis nauigio, vt subirent illustrissimas mansiones, animabus spiritualibus in illo *tempore* quum iam succurrisset; potentiae negotia hic consummasset; se ipso eleuatus medio die adscendit in caelum; scripturarum remanserunt bis decem septem tomi; aperta *est* originalis conuersio, vt possent homines rationales ingredi; lex lauacri aquae spiritus abluendo superficiem exornat, et purificando | vit, et de virgine in Iudaea natus est. Stella magna felicitatis huius fuit adnunciatrix. Reges eius claritate perspecta munera oblaturi venerunt, vt lex et prophetiae viginti quatuor prophetarum adimplerentur. Gubernauit autem mundum, lege magna, condidit legem Diuinam spiritualem sine verborum strepitu, fide vera consummauit: octo dispofuit beatitudines; res mundanas mutauit in aeternas: aperuit portam trium virtutum (*Theologicarum*) vitam dedit destruendo mortem. In persona sua ad inferos descendit, et omnia confudit daemonia; naue pietatis suae ad caelum conduxit bonos, et iustorum animas in salutem vindicauit. Hisce denique finitis sua potentia circa meridiem in caelum adscendit, relinquens viginti septem doctrinae tomos ad portam magnae conuersionis mundi aperiendam. Baptismum ex aqua et spi- |

Col. VI.

* Status intelligitur animarum intermedius, quem orientis Christiani fere omnes sibi fingunt.

** Fidei, spei et charitatis secundum ANDR. MVLLERVM *Commentar. in Monum. Sin. p.* 47.

| Interpretatio. | Paraphrasis. |
|---|---|
| ſpiritum interius dealbat; ſignaculo crucis diſperſi in quatuor partes mundi ad congregandos *et pacificandos* ſine labore pulſant ligna * timoris pietatis gratitudinisque voces perſonando. Orientem ſacrificando reſpiciunt vitae glorioſae iter, nutriunt barbas, quia habent extra conuerſari cum aliis; circumradunt ſummitatem verticis capitis, quia carent ad intra adfectibus paſſionum; non fouent ſatellitia ſeruorum, aequales nobilibus ignobilibus cum hominibus; non coaceruant diuitias, etiam pauperibus erogant, cum nobis; ieiunant vt ſubiiciant intellectui *ſcientiam* et perficiant; vel vt quietent timoris paſſiones propter fortitudinem; | et ſpiritu inſtituit ad abluenda peccata, et mundum ad puritatem reducendum. Cruce vtitur, vt omnes absque exceptione comprehendat, excitat omnes voce charitatis, reuerentiam exhibere iubens verſus orientem, vt pergant in via vitae glorioſae. IV. Miniſtri eius ornamenti exterioris cauſſa barbam alunt, et coronas in capite faciunt (*id eſt verticem radunt*) vt oſtendant ſe nullo intus adfectu malo teneri. Mancipiis non vtuntur: in alto et baſſo (*id eſt in proſpero et aduerſo*) ſeu humili omnibus ſe faciunt aequales diuitias non congregant, ſed eas omnibus faciunt communes: ieiunia colunt cum ad mortificandas paſſiones, tum ad praecepta diuina ſeruanda: magni faciunt homines ſupra ſe eleuatos et (*a rebus* |

Col. VII.

(b)

* Verba haec ANDR. MVLLERVS l. c. p. 53. ita interpretatur: *ſine labore pulſant diabolum cet.* et de exorciſmo intelligit. Sed errare eum, et ſermonem hic eſſe de lignis, quibus campanarum loco vſi fuerunt Chriſtiani, ad congregandos ad cultum diuinum homines, oſtendit EVSEB. RENAVDOT. in *anciens. relat. p. 245.* Meram tamen hic eſſe metaphoram PREMARE docet in *Lettr. edif. T. XIX. p. 456.* et praedicationem verbi diuini cum eiusmodi lignorum ſono comparari adſerit.

*Interpretatio.*

ſeptem vicibus offerunt laudis orationes magno adiutorio viuorum et mortuorum, ſeptem dierum primo
Col. VIII. Sacrificant.* purificant corda, auerſiones peccatorum abſoluendo; vera virtutum lex excellit et difficillime nominari *poteſt*; operibus actionibusque illuminat tenebras vmbrasque, cogimur vocare *illam* claram legem; ſola lex ſine Imperatoribus non magnificatur, Imperatores ſine lege non ingrandeſcunt; legem Imperatores edictis dilatando mundum exornant claritate; TAY ÇVN VEN Imperatoris clariſſimi Sinarum regni temporibus ad illuſtriſſimum ſapientiſſimum Imperatorem venit homo de TA CYN (*id eſt Iudaeae*) regno, habens ſupremam vir
Col. IX. tutem, nuncupatus LOPVEN** directus a caeruleis

*Paraphraſis.*

*bus mundanis*) abſtractos: ſepties in die orationes tam pro viuis, quam pro defunctis faciunt. Septenis diebus ſemel ad animam a peccatis purgandam puritatemque ei reſtituendam ſacra faciunt: Quia lex vera et conſtans excellens eſt, difficile eſt ei congruum nomen reperire, cum eius effectus ſit illuminare, et omnia claritate perfundere; vnde neceſſarium fuit eam adpellare KIM KIAO, *hoc eſt, legem claram et magnam.*

V. Lex vbi perſonae regiae deſunt, non extenditur, nec dilatatur. Perſonae vero regiae absque lege nequaquam magnificantur. Lege itaque et regibus concordantibus, et in vnam veluti rem coeuntibus illico mundus illuminatur. Igitur Rege dicto TAI CVM VEV HVAMTI tempeſtate illa celebri, ſingulari prudentia et ſanctitate (*Chinam*) adminiſtrante, venit ex Iudaea ſummae virtutis vir

---

* Sacrificium miſſae innui vult ATH. KIRCHERVS loc. cit. Sed quis ignorat, S. coenam a primis Chriſtianis ſacrificium eſſe vocatam, quamuis eam non pro vero, proprio et cruento ſacrificio habuerint, quale Pontificii ſibi in hoc ſacramento fingunt?

** Nomen hoc ex Syriaco IAIALLAHA eſſe formatum, coniicit IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. T. III. P. II. p. DXL.*

| *Int rpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|
| nubibus, et deferens verae doctrinae scripturas, contemplando ventorum regulam, ad decernenda laborum pericula; CHEN QVON KIENSV (*est nomen Sinici anni cadentis in Christi annum* 636.) peruenit in aulam Imperator, praecepit Colao Vasallo FAM CVM YVEN LIM (*est nomen Colai*) mittere regios scipiones (*isti sunt rubri, et quum Imperator aliquid mandat, semper deferuntur*) ad occidentis suburbana hospiti obuiam recipiendo, ingredientem intra palatium fecit transferri doctrinae legis libros, in palatio inquisiuit de lege diligentissime, in penetralibus profundissimae doctrinae, rectaeque veritatis, de proposito mandavit illam promulgari dilatarique; CHEN QVON (anni sic dicti) decimus erat secundus annus (hoc est Col. X. Christi 639.) Auctumni septima *luna* edictum *Regis positum inquit* lex non *habet* ordinarium nomen, Sancti non *habent* semper *eundem* | vir vocatus OLO PVEN, qui a nubibus deductus veram doctrinam importauit: deductus etiam per ventos, et chartas hydrographicas multa pericula et labores sustinuit, et tandem anno CHIN QVON et IEA SIE (*erat ille annus Christi sexcentesimus trigesimus sextus*) ad curiam regiam adpulit. Rex vero famoso COLAO, qui FAM KIEV LYM dicebatur, praecepit, vt accepto iumento obuiam nouo hospiti versus occidentalem partem procederet, hoc est, versus suburbium ciuitatis, eumque omni beneuolentia exceptum in regiam introduceret. Iussit Rex traduci doctrinam in palatio, ibidemque vna inuestigauit veritatem legis. Intellexit Rex esse veram legem, et serio per totum regnum cum efficacia et honore iussit diuulgari et dilatari, et in hoc anno 12. CIN QVON 7. mense auctumni (erat is annus Domini 636.) rescripsit in hunc modum. (Promulgationis tenor est iste, qui sequitur) Lex vera non habet nomen determinatum, nec sancti locum habent, vbi consistant, de- |



ter-

| Int rpretatio. | Paraphrasis. |
| --- | --- |
| nubibus, et deferens verae doctrinae scripturas, contemplando ventorum regulam, ad decernenda laborum pericula; CHEN QVON KIENSV (*est nomen Sinici anni cadentis in Christi annum* 636.) peruenit in aulam Imperator, praecepit Colao Vasallo FAM CVM YVEN LIM (*est nomen Colai*) mittere regios scipiones (*isti sunt rubri, et quum Imperator aliquid mandat, semper deferuntur*) ad occidentis suburbana hospiti obuiam recipiendo, ingredientem intra palatium fecit transferri doctrinae legis libros, in palatio inquisiuit de lege diligentissime, in penetralibus profundissimae doctrinae, rectaeque veritatis, de proposito mandavit illam promulgari dilatarique; CHEN QVON (anni sic dicti) decimus erat secundus annus (hoc est Christi 639.) Auctumni septima *luna* edictum *Regis positum inquit* lex non *habet* ordinarium nomen, Sancti non *habent* semper *eundem* | vir vocatus OLO PVEN, qui a nubibus deductus veram doctrinam importauit: deductus etiam per ventos, et chartas hydrographicas multa pericula et labores sustinuit, et tandem anno CHIN QVON et IEA SIE (*erat ille annus Christi sexcentesimus trigesimus sextus*) ad curiam regiam adpulit. Rex vero famoso COLAO, qui FAM KIEV LYM dicebatur, praecepit, vt accepto iumento obuiam nouo hospiti versus occidentalem partem procederet, hoc est, versus suburbium ciuitatis, eumque omni beneuolentia exceptum in regiam introduceret. Iussit Rex traduci doctrinam in palatio, ibidemque vna inuestigauit veritatem legis. Intellexit Rex esse veram legem, et serio per totum regnum cum efficacia et honore iussit diuulgari et dilatari, et in hoc anno 12. CIN QVON 7. mense auctumni (erat is annus Domini 636.) rescripsit in hunc modum. (Promulgationis tenor est iste, qui sequitur) Lex vera non habet nomen determinatum, nec sancti locum habent, vbi consistant, deter- |

Col. X.

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|
| locum, decurrunt mundum proponendo legem, creberrime succurrentes multitudini populorum TA CYN (*Iudaeae*) regni magnae virtutis, LO PVEN de longe portans legis scripturas imaginesque, venit illas offerre in supremam regiam, inquirendo sigillatim illius legis intentum reconditum, excellens sine superficie; vidimus suae originis radicalis principium, a mortalium creatione statutam necessitatem, verborum sine superfluitate doctrinam, rationem habentem obliuionis sustentaculum proficuam Rebus, vtilissimam hominibus, extendente opera in mundo, ideo praecipio magistratibus, vt in regia YNYM FAM aedificent TACYN (*Iudaeae* regni ecclesiae vnum locum, ponant sacerdotes bis decem et vnum homines ÇVN CHEV (*est cuiusdam antiqui viri nomen*) virtute extincta *in* nigro curru *ad* occidentem recessit, verum | terminatum: excurrunt ad omnes partes, vt mundum doceant, ad mundo laboranti succurrendum, velis, remis ad vtilitatem adferendam intenti. Ex hoc regno TANCIN (*siue Iudaea*) OLO PVEN magnae virtutis homo de locis adeo dissitis doctrinam, et imagines regiae nostrae curiae praesentaturus asportauit. Cuius nos intentum docendi a fundamentis examinantes, inuenimus doctrinam eius admodum excellentem, et sine strepitu exteriori, fundatam principaliter in creatione mundi. Doctrina eius non est multorum verborum, nec superficietenus suam fundat veritatem, salutem hominibus adferens et profectum: vnde congruum est, vt toto nostro imperio diuulgetur. Mandarinis quoque, qui NIM FAM dicuntur, in eo curiae loco praecepit, magnam vt ecclesiam exstruerent, eidemque viginti et vnum ministros deputarent. (*Auctor* KIM CIM *laudat hic Regem*) scilicet ad vires monarchiae CHEV OLADIV (*caput hoc est sectae* STAIV, *alii* TAVSV) debili- |

Col. XI. (margin, beside "lum proficuam Rebus")

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
| --- | --- |

*regiae familiae* TAM doctrinae claritas clarissimo spiritu orientem perflauit, vulgata edicta sunt *a* magistratibus, reposuerunt Imperatorum pictas vera effigies, *in* templi parietibus Imperatorum figurae exuperantes, quinque coloribus cumulata luce illustrabant portas
Col. XII. Sanctis exemplis aduenit felicitas, aeternum splendentis legis terminus, examinando occidentis terrarum descriptionum monumenta, et HAN GVEY familiarum *regiarum* historiographos TACYN regnum *ab* austro vnitur coralli rubri maribus (*id est rubro mari*) *a* septemtrionali polo omnium pretiosorum lapidum montibus; *ab* occidente immortalium hominum loco floridissimarum arborum, ab oriente vnitur loco CHAM FVM mortuaeque aquae; *ex* illius terra prodit igne lauanda tela, balsamum odoriferum, lucidae lunae gemmae,* noctu *lucentes* la-

litandas. In curru nigro versus occidentem discessit (*hoc est extra Chinam*) Verum vbi magnus TAM illustris factus est cum TAO sanctum euangelivm Chinae illatum est. Paulo inde Rex effigiem illius (OLOPVEN) qui, vt diximus, primus euangelium attulit, depingi curauit, et muro adpendi; excellens eius figura resplenduit portis ecclesiae, et memoria semper fulgebit in mundo.

VI. Iuxta geographos, qui partium occidentalium mentionem faciunt, et iuxta historicos duorum regnorum HAN et GVEI, regnum TAN CIN (*id est Iudaea*) ab austro confine est mari rubro, ab aquilone relinquit montes gemmarum, ab occidente BOCO DAS FVLLAS (*quod quid sit, difficile est coniicere, ego Carmelum suspicor esse*) in prospectu versus Sanctos. Ab oriente denique contermina est huic loco CIAMFAM et aquae, quam mortuam dicunt. Haec terra cineres eructat igne calentes (*forte intelligit Lacum Asphaltitim*) producit balsamum,

 gem-

* Graecis selenites, ANDR. MVLLER. *l. c. p. 39.*

*Interpretatio.*

pides *pretiosi*, consuetudinem non habent Ratiocinandi populi, habent laetitiam pacificam, legem praeterquam charitatis nullam aliam sequuntur; Reges sine virtutibus non constituunt; terrae mundus largus amplus, moribus florent vtilissimis; CAO ÇVN magnus Imperator sciuit reuerenter imitari maiores suos; expressit factis suum parentem et in omnibus regnis vbilibet ordinauit fieri clarae doctrinae ecclesias; et sicut antea venerabatur OLO PVEN, sic fecit illum custodem regni magnae legis dominum; lex dilatata per decem TAO (*id est per omnia regna*) felicitatis radice cumulatissima; Ecclesiae implebant centum ciuitates (*id est, omnes*) familiae regiae fulgebant felicitate; XIM LIE anno * Bonzii vsi viri-

Col XIII (beside "nem non habent Ratioci-")

Col.XIV. (beside "mulatissima; Ecclesiae im-")

*Paraphrasis.*

gemmas minutas et carbunculos (*quibus insinuat Aegyptum cum reliqua ora rubri maris, in qua praedicta reperiuntur.*) Latronibus caret et assassinis, populus in pace viuit et gaudio, in regnum non admittunt nisi euangelium; dignitates nulli, nisi virtute meritis conferuntur: aedificia sunt grandia: (*verbo*) regnum celebre est poesi, alii ordine et bonis moribus.

VII. DOCAO, alii CAOZVM, CVM filius TAI ÇVM, gubernacula regni adiit anno Domini 651. (*continuando auctor* KIM CIM *haec dicit*) CAO VIM, alii CAOZVM, magnus Imperator minime virtutibus aui sui degener, nouit cum honore continuare intentum aui sui, et dilatare et honorare res patris sui, praecipiens in omnibus prouinciis fieri ecclesias, vnaque honorans OLO PVEN titulo episcopi magnae legis, quae gubernat regnum Chinae. Tum lex Dei promulgata

* In annalibus Sinarum post obitum CAO ÇVM filii TAI ÇVM regnasse dicitur VV HEV femina ab ann. 684. ad ann. 705 mox CHVM ÇVM, alias XIM LIE, ab ann. 705. ad ann. 710. deinde IVI ÇVM ab anno 712. ad ann. 757. Itaque persecutio haec contigit sub imperio VV HEV et HIVEN ÇVM. Conf. IOS. SIM. ASSEMANI *Bibl. Or. T. III. P. II. p. DXLI.*

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|

bus erexerunt ora (*id est, legem vituperauerunt*) in TVM CHEV (*est ciuitas in* HONAN *prouincia*) SIEN TIEN (anno Christi 713.) finiente. Vulgares viri valde etiam illam irriserunt, calumniatique sunt in SY KAO (*antiqua est Regis* VEN VAM *aula in* XEN SY *prouincia*) erat GIO (*Ioannis est Sinico more vocabulum*) sacerdos. Caput LOHAN magnae virtutis KIELIE et KIM terrarum nobiles discipuli, rebus exterioribus superior ille sacerdos vna cum aliis, pietatis caelestis retia et fila dirupta
Col. XV resarciuit IVEN ÇVN CHI TAO Imperator mandauit NYM regni aliorumque quinque Reges personaliter defendere *ad* felicitatis mansionem (*id est in ecclesiam*) erigere altaria, aulasque legis, trabes columnasque concisas solidauit, et magis radicauit; legis petra tunc inclinata etiam iterum rectificata fuit. TIEN PAO (*anno Christi* 747.) anno inchoato mandauit magnum

gata est per decem prouincias (*quibus Sinense regnum continebatur*) et regnum summa pace fruebatur, ecclesiis replebantur omnes vrbes, et domus felicitate euangelii florebant.

VIII. In hoc anno dicto KIM LIE (*qui tum annus Domini* 699.) Bontii Pagodum sectatores suis vsi viribus extulerunt voces (*id est blasphemarunt nostram sanctam legem*) in loco qui dicitur. TVM CIEV (*erat is forte in prouincia* HONAN) et in fine huius alterius anni dicti SIEN TIEN (*qui respondet anno Domini* 713.) quidam priuati homines in SIENO, quae erat antiqua regia VEN VAM, (*commentator vult esse* SIGANFV *in prouincia* XENSI) ausi sunt nostram sanctam legem sannis, ludibrio et vituperio proscindere.

IX. Hoc tempore erat quidam princeps sacerdotum (*videtur fuisse episcopus*) nomine Iohannes, et alius magnae virtutis vir nomine KIELIE. Hi duo cum aliis nobilibus popularibus suis non fama minus, quam rerum mundanarum contemtu celebribus, coeperunt iterum

Ge-

| Interpretatio. | Paraphrasis. |
|---|---|
| Generalem KAO LIE SV (*eunuchus fuit*) deferre quinque Imperatorum effigies veras, ecclesias intra reponendas, dedit serici centum telas offerendas festi laetitiae augendae gratia, draconis barbae licet longae | rite euangelium suum excellens explicare continuando, et fila (*malitia cacodaemonis*) pridem rupta reficere. Rex dictus HIVEN CVMCHITAO (*coepit huius imperium anno* 719.) quinque regulis praecepit, vt in persona adirent felicem domum (*hoc* |
| Col. XVI. sint, Arcus armaque ex illo pendentes possumus attingere tamen manu (*hoc est, absens quamuis sit Imperator, tamen sui memoriam in dictis rebus reliquit*) solis cornua dilatabantur clarissime, caelorum color vicinus exaequabat omnia; tertio anno TACYN regni erat sacerdos KIE HO, qui iter dirigens per stellas peruenit in Sinas respiciens solem, Imperatorem reueritus est ex illius mandato sacerdos LOHAN, sacerdos PVLVM atque alii septem viri cum magnae virtutis KIE HO in NIM KIM palatio exercuerunt opera virtutum; in illo tempore regia edicta in templorum tabulis (*seu portis*) in ipso frontispicio deferebant draconum Imperialium pictu- | *est ecclesiam*) et erigerent altaria. Tum columna legis, quae ad breue tempus iacuit prostrata, coepit rursum erigi, et incrementa sumere. In hoc principio anni TIEN PAO (*quod erat anno Domini* 743.) praecepit Rex OTA CIAM KVEN (*nomen tituli*) dicto CVOLIE SIE (*erat is eunuchus summa apud Regem gratia valens et auctoritate*) vt effigies veras quinque Regum praedecessorum auorum suorum deportaret, et in ecclesia collocaret, vnaque centum pretiosarum rerum cimelia in ecclesiam deferret ad sollemnitatem hanc celebrandam (*dicit auctor* KIM CIM *in laudem ipsorum Regum*) Barbae longae draconis etiamsi longe sint, nihilominus arcus et enses eius manibus adprehendi possunt (*adludit ad historiam quamdam antiquam* |

| *Interpretatio.* | *Paraphraſis.* |
|---|---|

Col. XVII. ras. Pretioſo ornatu ſplendore petrarum fulgentes illuſtriſſimae, minii rubicantis, nubes ſcripturam conſpicuam reddebant, in vacuo adſcendebat claritas irrigando diem, amor beneficiaque boreae auſtrique montibus exaequabantur altiſſimis, exundantiaque cum orientis maris comparari poterat profundo; Lex non niſi conſentanea rationi eſt, quod eſt *autem* tale conuenit nomen *optimum et famam habere*, Imperatores absque illa non operantur, quod autem illi operantur, conſentaneum eſt promulgari; SO ÇVM VEN MIN Imperator in LIM VV et aliis quinque ciuitatibus multas erexit clarae doctrinae Eccleſias,

Col. XVIII. antiquam bonitatem adiuvit et felicitatem coepit aperire, maximum feſtum laetitiae deſcendit, et Imperatorum opera ſuſcitata ſunt, TAY ÇVN VEN VV Imperator laetitiae reſeravit ſanctum circuitum,

*quam eiusdem Regis*) qui fingebatur adſcendiſſe in aera draconi inſidens, quem ſerui, qui ſe dicebant ituros cum Rege, variis armorum generibus inſtruxerant; qui vero remanſerant, barbam draconis vellicantes, arma quaedam tulerunt, in memoriam Regis, in iis veluti praeſentem eum intuentes. (*Adludit itaque auctor huius ſcripturae ad hanc hiſtoriam, vt declaret effigies memoratorum Regum, Regi praeſentium et viuentium loco fuiſſe; ideo ſubiungit, claritudo, quam reddunt hae imagines, oſtendit eos nobis praeſentes adeſſe.*)

X. Anno tertio TIEN PAO (*annus is erat Domini* 745.) fuit in Iudaea, alii in India, ſacerdos quidam KIEHO, qui ſtellarum ope ductus in Chinam adpulit, et reſpiciens ſolem, (*erat haec cerimonia eorum, qui ad Regis admittebantur colloquium*,) ad conſpectum noſtri Imperatoris intromiſſus eſt. Rex autem iuſſit, vt ſacerdos IOANNES et PAVLVS cum aliis eiusdem profeſſionis viris, et cum praeſente tantae virtutis viro KIEHO ad palatium HIN KIM vocatum, ad ado-

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|
| prosecutus negotia non frustranea, quolibet in die incarnati natalis diei tempore mandabat incendendum Imperialem odorem per hoc admonens alios operari meritoria opera, mittebatque conuiuia ad illustrandum clarissimae legis populos; nempe caelorum habuit pulcherrima lucra, Deoque potuit dilatare mortales, Imperatorium habuit locum et dignitatem Originariam, ideo nouerat superare venena noster KIEN CHVM XIM XIN VEN VV Imperator, instituit octo modos regiminis ad renovandam substituendamque tenebris lucem, aperuit nouem ordines, vt solum renouaret clarae doctrinae mandatum dirigendae penetrandaeque illius excellentissimae rationi, orat sine verecundia cordis, peruenit ad mundi supremum, et humilis est, promulgat pacem et veniam dat aliis illustrissimae est clementiae, et auxilio est omnibus | adorandum, et ad sancta (*deuotionis*) opera exercenda sese conferrent. Hoc tempore litterae Regiae in tabellis ecclesiae seruabantur, pretiose secundum ordinem ornatae splendentes colore rubro et caeruleo, et penna regia replebat vacuum, adscendens, et ad solem vsque pertingens: fauor eius et dona altitudini montis austri comparantur, et abundantia beneficiorum profunditatem aequat maris orientalis. Ratio non potest non probare adprobatum, et memoratu dignum. Ideo Rex dictus SA CVM NEN MEN siue VEN MIN (qui regere coepit anno 757.) in hoc LIM SVVSEV, et quinque vrbibus recenti mandato ecclesias fieri iussit. Erat hic Rex eximiae indolis, sub quo porta felicitatis toti regno aperta est, hac felicitate, gaudio, et plausu existentibus, res gubernationis regalis maxime eleuatae sunt. XI. Rex TAI ÇVM VEN VV (*adiit imperium anno* 764.) bonorum temporum particeps factus, negotia regni sine difficultate administrabat: Festo nascentis Christi singulis annis in gratiarum |

Col. XIX.

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
|---|---|

adflictis, bona elargitur multitudini populorum, et nostrorum componendo-
Col.XX. rum operum Maxime studiosus, profudit directionis gradus decurrendos, obsequi fecit ventorum pluviarumque tempora, mundum pacificauit, homines sciunt *se* regere, res possunt disponere, viui nouerunt florere, mortui possunt laetari, operibus mortalium bona fama respondet, natura profudit ex se perfectionem, quia nostrae clarissimae doctrinae lex potest negotiorum opera perficere magnos largitus (*titulos*) Dominus KIN SV KV AM LO TA FV (*est titulus officii intra aulam*) et simul
Col. XXI. SO FAM CYE TV FO SV (*officii extra aulam est titulus*) XI TIEN CHVN KIEN (*alius titulus officii in aula*) donauit purpuream vestem sacerdoti Y SV pacificatori, aliisque desideranti bene facere, bonum nomen et famam legis promulganti, de longe in VAM

rum actionem mittebat odoramenta caelestia, et ad honorandos huius sanctae legis ministros, rerum omnium, et annonae regiae adsignabat prouisionem; certe caelum mundo tribuit pulchritudinem et perfectionem, et ideo liberaliter res producit; Hic Rex imitabatur caelum, idcirco nouerat alere et sustentare suos.

XII. Rex KIEN CIVM XIM VEN VV (*regnans anno* 781.) octo vtebatur modis ad praemiandos bonos, et castigandos malos. Nouas rationes ad euangelii statum instaurandum promouendumque instituit. Regimen ipsius erat admodum excellens; Rogamus Deum pro ipso, non verecundantes in hoc. Magnae virtutis erat, humilis, pacificus et doctus, tolerabat proximum, abundabat charitate ad omnes iuuandos, et benefaciebat omnibus viuentibus. Haec est vera via, et scala sanctae legis nostrae, facere vt pluuia et venti solitis temporibus reuertantur, mundus sit quietus, homines bene gubernati, res singulae recte dispositae, viuentes bene vi-

 vant,

*Interpretatio.*

XI CHI CHIM venienti medio vere, virtutibus ſuperabat tres generationes, ſcientias dilatabat decem perfectiſſime, a principio ſeruierat in palatio Regis, poſteaque ſcriptum fuit nomen illius in regio libro ex XV LIM DE FVEN YAN regulum CVM ÇVY in principio
Col. XXII. Adiuuerat armigerantem in SO FAM, SOÇVN (*Imperator*) miſerat illum, vt ſequeretur praeeuntem, etiamſi videretur ſua perſona cum dormientibus intra, numquam ſe mutauit in operibus exterioribus, fuit Rex reipublicae pro vnguibus dentibusque, fuit exercitui *pro* auribus oculis*que*, ſciebat repartiri redditus beneficiaque, numquam adgregabat pro ſua domo, obtulit LIMNGEN ex Poli (*vitrum pretioſum*) dedit ÇV KI, ex, aureos tapetes, interdum reſtaurabat antiquas eccleſias, interdum multiplicabat am-
Col. XXIII. pliſſimas legis Aulas, honorando exornandoque domiciliis mundum, ſicut vo-

*Paraphraſis.*

vant, defuncti gaudio perfruantur. Haec habere in promtu et rationem reddere, in veritate procedit ex noſtra ſancta fide, et omnes effectus ſunt fortitudinis et potentiae ſancti euangelii noſtri.

XIII. Rex ſacerdoti dicto VSV magno legis promulgatori hosce titulos KIN IVQVAM LO TAI FV (*officium eſt in regia aula*) et SOVFVM CIE TV FV LEI (*officium extra aulam*) XI TIEM THVM KIEN (*officium quoque aliud eſt, quorum explicationem non inueni in exemplari.*) Item dicto ſacerdoti magnae legis promulgatori veſtimentum eccleſiaſticum coloris caerulei (Italice DI COLOR PAVONAZO) donauit. Erat ſacerdos iſte pacificus, aliis benefacere gaudebat, virtutis opera ſummo ſtudio peragendo. Aduenit ille in Chinam regione remota e loco dicto VAM XI CIV CHIM regionis Pagodum, quod idem ac regio longe diſſita India. Eius res geſtae tres generationes famoſas Chinae ſuperarunt, et reliquas ſcientias perfecte dilatauit. In principio Regi in aula ſeruiebat, poſt eius nomen libro quoque regio illatum. XIV.

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
| --- | --- |
| latilium quibusdam alis, diligenter exercuit opera; clarissimae legis discipulus obsequens caritati, distribuebat lucra; quolibet anno conuocabat quatuor ecclesiarum sacerdotes, inserviebat adfectuose et reuerenter ad minimum omnibus quadraginta diebus, famelici qui veniebant etiam pascebat illos, frigore algebant qui venientes vestiebat illos, aegrotabant qui, curabat et erigebat illos, moriebantur qui saepeliebat et quiescere faciebat illos, temporibus TA so non audiebatur ista pulchritudo (*solebat hic suscipere hospites et peregrinos lautissime*) albis vestiebantur clarae doctrinae viri et modo videntur isti homines, volui sculpere vniuersis perennis memoriae lapidem, vt diuulgentur felicia opera, sermo inquit, verus Dominus sine principio, purissima quies semperque eadem, omnipotens totius mundi artifex creator statuit terram, cre- | XIV. Regulus FVEN YAM, dictus quoque CO ÇVY, titulo CHVM XVLIM illustris, in principio bellicis studebat negotiis in partibus SO FAM. Rex vero dictus SO ÇVM praecepit AY SV, siue YSV, vt CO ÇVY favorabilius ceteris promoueret (*videtur quod Rex iusserit eum esse consiliarium* CO ÇVY) etiamsi vehementer a capitaneo amaretur, non curauit tamen stylum eius ordinarium procedendi; erat enim vngues et dentes reipublicae, oculi et aures exercitus (*phrasis Sinica*) sciebat distribuere reditus suos, non domi accumulare. Obtulit ecclesiae rem pretiosam dictam POLI (*videtur fuisse ex vitro*) huius loci CIM REGVEN, alii LINTIGVEN. Praeter ea tapetes auro intertextos huius loci, CIEKI dictos; refecit ecclesias veteres de nouo fundans et stabiliens atrium et domum legis: adornans domus, et hospitia splendentia instar phasianorum volantium, praeter exercitia sanctae legis nostrae operibus studebat charitatis, quotannis quatuor ecclesiarum sacerdotes con- |

Col. XXIV.

 gre-

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
| --- | --- |

xit caelum, communicando se ipsum prodit in mundum, salutem instituit infinitam, *vt* sol *resplendens* adscendit, tenebras exstinxit, totam verificauit veritatis excellentem profunditatem, serenissimus VEN Imperator legis diadema
Col. XXV. tulit ante *alios* Reges Vsus bene tempore, aboleuit turbas, caelos dilatauit, terras extendit, clarissimae illustrissimae doctrinae legis verbis reduxit nostrum Sinarum imperium TAM, traduxit scripturas, erexit ecclesias, viuis mortuis fuit instar nauis centum felicitatum gradus fecit decem millium regnorum pacem, CAO ÇVN imitatus maiores, etiam aedificiis perfecit mundum, pacis palatia humili luce impleuerunt Sinarum terras, veram legem extendit clarissime contulit titulos legis domino, mortales habebant laetitiam, pacem, res carebant infortu-
Col. XXVI. niis calamitatibusque YVEN ÇVN KI Imperator sciuit

gregando, quibus toto corde inseruiebat, de rebus omnibus necessariis prouidebat spatio dierum quinquaginta, adhuc famelicos saturabat, nudos cooperiebat, infirmos curabat, mortuos sepeliebat.

XV. Tempore TA SO cum omni parsimonia sua similis non est audita bonitas (*erat hic* TA SO *Bontius secta Pagodus*) qui in maxima quadam congregatione Bonziorum, in qua agendum erat de rebus sectae suae, officio fungebatur hospitum excipiendorum et procurandarum rerum vnicuique necessariarum (*ideo auctor tractando de operibus charitatis* OY SIE *hunc* TAN SO *anteponit.*) Sed tempore huius euangelii similes homines videmus sanctis operibus vacantes: Idcirco, vt in lucem irent opera tam heroica, lapidi huic magno ea insculpere volui.

XVI. Dico itaque, DEVS verus expers principii, purus, quietus et immutabilis est, ille fuit primus creationis artifex, aperuit terram, eleuauit caelum; Vna ex personis pro aeterna mortalium salute factus est homo

| Interpretatio. | Paraphrasis. |
|---|---|
| se componere ad veritatem rectitudinemque, mandavit tabulas erigere lucidissimas regiis scripturis florentissime fulgentes, Imperatorum imaginibus clarissimorum resplendentes, illas omnia regna valde venerabantur populi omnes renouabantur homines gestiebant, illa felicitate SO, CVM, rediit iterum imperatoriae maiestatis dirigere cursum imperialis sol pepulit tenebras, felicitatis aura eliminauit noctem, fecit illam redire imperiali domui, felicitatis*que* odore aeternum exstinxit ftitit*que* impetus furentium, Pacificauitque puluerem rebellantium, fecit nostrum magnum HIA (*ita etiam Sina vocatur*) imperium, TAY CVM HIAO Y virtutibus vniuit caelos et terram, aperuit beneficiis vitae opera rebus auxiliatus pulcherrimo incremento, odores dedit in gratiarum actionem piissimus ad faciendas eleemosynas beneficentia faciebat descen- | mo, adscendit in altum solis instar, destruens tenebrosum et in omnibus profundam veritatem stabiliens. XVII. Splendidissimus ille Rex, qui verissime primus primorum Regum fuit, opportunitate vsus omnem sustulit difficultatem, caelum dilatatum est, terra extensa. Clarissimum est euangelium nostrum, quod regno TAM illatum est, afferendo doctrinam, ecclesias erigendo, pro viuis et defunctis loco fuit nauigii: omnem felicitatem exaltans, quietem dedit vniuerso mundo. XVIII. CAO ÇVM insistendo vestigiis aui sui denuo ad nouas ecclesias exstruendas animum adiecit. Templa pacis alta et magnifica terram repleuerunt omnem. Lex vera induit pulchritudinem. Titulo honorauit episcopum, tranquillitate et gaudio populi sine laboribus potiti. XIX. Sapiens Rex NI VEN ÇVM nouit ingredi vias veras et rectas: tabulae Regis erant magnificae et illustres, literae regiae in iis florebant et resplendebant. Figurae regiae elucebant: Omnis populus profunde eas venera- raba |

Col. XXVII.

| *Interpretatio.* | *Paraphrasis.* |
| --- | --- |

dere maiestatem, luna, sol perfectissime coniunctae in illo (*id est, omnia subiecta habuit*) KIEN CHVN gubernauit polos (*id est mundum*) perfecit composuitque intellectus virtutem, robore pacificauit quatuor maria, exornauit adunauitque decem millium terminos, candelae instar descendit in hominum secreta vt speculum repraesentans rerum colorem

Col. XXVIII. Mundum illuminauit resuscitauitque, centum barbaris dedit leges, lex sola amplissimae respondet vnice perfectioni, coacti nomen *illius* dicemus, lex *est* Trinitatis vnius, Imperatores sciebant operari, vasallus debuit referre. Erigo florentissimum lapidem monumentum aeternae laudis originalem felicitatem magni imperii Sinarum familiae regiae TAM *Imperatoris* KIEN CHVN secundo anno, quum esset principium auctumni mensis septimo *die* magni luminis

rabatur, omnia dilatabantur, et homines ex eo gaudio summo perfruebantur.

XX. Hic Rex SO ÇVM, regnando in propria persona venit ad ecclesiam: sol sanctus resplenduit: nubes felices omnem caliginem et obscuritatem noctis dispulerunt. Felicitate in regia domo adgregata, mala cessarunt, sublatisque dissensionibus imperium nostrum restitutum est.

XXI. Hic Rex TAI CVM FV obediens fuit, virtute caelum aequauit et terram; dedit vitam populo, et rebus singulis progressum. Odoramenta in gratiarum actionem misit ecclesiae, exercuit opera charitatis. Sol et luna in eius vniebantur persona, *hoc est omnes ad obedientiam ei praestandam aduolabant.*

XXII. Hic Rex KIEN CVM in regimine constitutus claram reddebat virtutem: armis quatuor maria pacificauit: literis decem millia confinium illustrauit: instar candelae secreta hominum illuminauit, et velut in speculo detecta cernebat omnia, totum resuscitauit orbem: cuncti barbari regulam viuendi acceperunt.

XXIII.

| *Interpretatio.* | *Paraphrafis.* |
|---|---|
| florentiſſimi ornatus die (*hoc eſt dominico*) erectus lapis. Illo tempore legis dominus (*epiſcopus*) ſacerdos NYM XV regebat orientalium terrarum clariſſimae legis populos. CHAO Y LAM, *qui* antea fuerat TAY CHEN SV SV ÇAN KIM. Vocatus officialis LIV SIEV propria *manu* ſcripſit. | XXIII. Lex, o quanta, quam perfecta, et quam ad omnia ſeſe extendit! volens eam nuncupare non potui non legem Diuinam adpellare. Reges nouerant res ſuas diſponere, ego Vaſallus eas poſſum enarrare, ideo erigo hunc lapidem praediuitem, in praeconium magnae felicitatis. XXIV. In noſtro potentatu magni TAM, anno ſecundo huius KIEN CIVM (*videlicet anno Domini* 782.) die ſeptimo menſis auctumni, die Dominica, hic lapis erectus fuit, epiſcopo HIM CIV eccleſiam Sinenſem adminiſtrante; Mandarinus nomine LIV SIECI YEN, tituli erat CIAO Y CVM, alii CHIO Y LAM, in quo officio ante eum fuit TAI CIEV SIE SV CAN KIVN, hanc ſua manu confecit inſcriptionem. |

# PARS II. SYRIACA.

a IOS. SIM. ASSEMANO in *Bibliotb. Orient. Clem. Vat. Tom. III. P. II. C. IX. §. 7. p. DXLII. s.* accuratior edita.

## *SECTIO I.*

## QVAE CONTINET NOMINA LXX. PRAECONVM EVANGELII, QVI CHRISTIANAM RELIGIONEM IN CHINA ADNVNCIARVNT.

### *CLASSIS I.*

1. Mar Ioannes Episcopus.
2. Isaac Presbyter.
3. Ioel Presbyter.
4. Michael Presbyter.
5. Georgius Presbyter.
6. Mahadat Gusnasaph Presb.
7. Mar Adad Presbyter.
8. Isaac Presbyter.
9. Isaac Presbyter.
10. Dauid Presbyter.
11. Moses Presbyter.

### *CLASSIS II.*

1. Acacius Presbyter et monachus.
2. Elias Presbyter et monachus.
3. Moses Presbyter et monachus.
4. Ebediesus Presbyter et monachus.
5. Simeon Presbyter et monachus.
6. Ioannes Presbyter et monachus.

### *CLASSIS III.*

1. Aaron.
2. Petrus.
3. Ioannes.
4. Lucas.
5. Matthaeus.
6. Ioannes.
7. Iesu Eme.
8. Ioannes.
9. Sabariesus.
10. Iesudadus.
11. Lucas.
12. Constantinus.
13. Ioannes.

CLAS-

### CLASSIS IV.

1. Adadſaphas.
2. Ioannes.
3. Enos.
4. Mar Sergius.
5. Iſaac.
6. Ioannes.
7. Mar Sergius.
8. Phuſes.
9. Simeon.
10. Iſaac.
11. Ioannes.

### CLASSIS V.

1. Ioannes Presbyter.
2. Mar Sergius Presbyter et Chorepiſcopus Sinarum.
3. Georgius Presbyter, et Archidiaconus Cumdan ciuitatis.
4. Paulus Presbyter.
5. Simeon Presbyter.
6. Adam Presbyter.
7. Elias Presbyter.
8. Iſaac Presbyter.
9. Ioannes Presbyter.
10. Ioannes Presbyter.
11. Simeon Presbyter.

### CLASSIS VI.

1. Iacobus Presbyter.
2. Ebedieſus Presbyter.
3. Ieſudadus Presbyter.
4. Iacobus.
5. Ioannes.
6. Sciubchalmaranus.
7. Iacobus.
8. Simeon.
9. Ephraem.
10. Elias.
11. Cyriacus.
12. Cyrus.
13. Emanuel.

### CLASSIS VII.

1. Gabriel.
2. Ioannes.
3. Salomon.
4. Iſaac.
5. Ioannes.

## SECTIO II.

# TEMPVS ET AVCTORES ERECTI MONVMENTI DESIGNANS.

1. *Ad latus tabulae inferius a finistris.*

Diebus Patris Patrum Mar Ananiesu catholici patriarchae. *

2. *A dextris.*

Adam Presbyter et Chorepiscopus et Papas Sinestanae.

3. *Ad pedem tabulae.*

Anno Graecorum millesimo nonagesimo secundo ** Mar Iazedbuzid Presbyter et Chorepiscopus Chumdan *** vrbis regiae, filius bonae memoriae Millesii Presbyteri ex Balch vrbe Thochuristanae, erexit hanc tabulam lapideam, in qua descriptae sunt dispensatio Saluatoris nostri, et praedicatio patrum nostrorum ad Regem Sinarum. Adam Diaconus filius Iazedbuzid Chorepiscopi. Mar Sergius Presbyter et Chorepiscopus. Sabariesus Presbyter. Gabriel Presbyter et Archidiaconus et Ecclesiarcha Chumdanae et Saragae. ****

N. IV.

---

* Scilicet Nestorianorum, neque enim Antiochiae, neque Alexandriae patriarcham hunc esse *catholicum*, dudum viri eruditi monuerunt. Vid. EVSEB. RENAVDOTVS in *Anciennes Relations des Indes et de la Chine* p. 236. *f.* IOS. SIM. ASSEMANI *Biblioth. Orient T. III. P. II. C. IX. §. IV p. CCCCLX. f.*

** Id est anno CHRISTI 781. non vero 782 vt KIRCHERVS aliique volunt. IOS. SIM. ASSEMANI l. c. *§. VII. p DL.*

*** Vrbem *Chumdan* esse *Nankinum* probat EVSEB. RENAVDOT. *Anciennes Relations p.* 237. negat PREMARE *Soc. Iesu* in *Lettres edifiantes et curieuses, Recueil XIX. p.* 423. *f.*

**** *Saragae* vrbis in australi Sinarum partae sitae mentionem ex PTOLEMAEO facit CHRIST. CELLAR. *Notit. orbis antiqui T. II. L. III. C. XXIII. Sect. III. p.* 749. *ed. Lipf.* 1732. 4.

# N. IV.

## *LITTERAE*

# PRESBYTERI IOHANNIS

## AD CONSTANTINOPOLITANVM IMPERATOREM.

EX IOS. SIM. ASSEMANI *Biblioth. Orient. Clementino-Vaticana Tom. III. Part. II. Cap. IX.* pag. CCCCXC. sq.

IOHANNES PRESBYTER *potentia et virtute Dei et Domini nostri* IESV CHRISTI *dominus dominantium*, *A.* (fortasse ALEXIO COMNENO, (*) qui obiit anno 1118.) *Constantinopolitano Gubernatori salute gaudere et gratia Dei ad vlteriora transire. Nunciabatur apud maiestatem nostram, quod diligebas excellentiam nostram, et mentio altitudinis nostrae erat apud te. Sed per apocrisiarium nostrum cognouimus, quod quaedam ludicra et iocunda volebas nobis mittere, vnde delectaretur iustitia nostra cet. quod scire volumus et desideramus, si nobiscum rectam fidem habes, et si per omnia credis in Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM. *Quum enim hominem esse cognoscamus, te greguli tui dominum esse existimant, quum te mortalem et humanae corruptioni subiacere cognoscamus. De consueta largitatis nostrae munificentia si aliquibus quae ad gaudia pertinent, vllam habes indigentiam, per apocrisiarium nostrum et per schedulam dilectionis tuae nos certifica, et impetrabis cet. Si ad dominationem nostram venire volueris, maiorem et digniorem domus nostrae te constituemus, et poteris frui abundantia nostra, et iis quae apud nos abundant: et si redire volueris, locupletatus redibis. Si vis cognoscere magnitudi-*



(*) Ad MANVELEM COMMENVM has litteras esse datas, docet ALBERICVS *Chron. ann. 1165.* in GOD. GVIL. LEIBNITII *Access. Histor. p. 345.* et LVC. d'ACHERY *Spicileg. veter. aliquot Scriptor. T. III. p. 687.*

*nem et excellentiam nostrae celsitudinis, et in quibus terris dominetur nostra potentia, intellige et sine dubitatione crede, quod* PRESBYTER IOHANNES *seruus sum Dei, et praecello in omnibus diuitiis, quae sub caelo sunt, virtute et potentia omnes reges vniuersae terrae. Septuaginta vero reges nobis sunt tributarii. Deuotus sum Christianus et vbique pauperes Christianos, quos clementiae nostrae regit imperium, defendimus, et eleemosynis sustentamus. In voto habemus visitare Sepulcrum Domini cum magno exercitu, prout decet gloriam maiestatis nostrae, humiliare et debellare inimicos Crucis* CHRISTI, *et nomen eius benedictum exaltare. In tribus Indiis dominatur magnificentia nostra et transit terra nostra ab vlteriore India, in qua corpus sancti* THOMAE *Apostoli requiescit, per desertum, et progreditur ad solis ortum, et redit per decliuium in Babylonem desertam iuxta turrim Babel. Septuaginta duae prouinciae seruiunt nobis, quarum paucae sunt Christianorum: et vnaquaeque habet regem per se, qui omnes sunt tributarii. In terra nostra oriuntur, et inueniuntur elephantes, dromedarii, cameli cet. et fere omne genus animalium, quae sunt sub caelo. Terra nostra melle fluit, lacte abundat. In alia terra vltra nulla venena nocent cet. Inter paganos per quamdam prouinciam nostram transit fluuius, qui vocatur Indus fluuius. Iste de paradiso progrediens, expandit sinus suos per vniuersam prouinciam illam diuersis meatibus, et ibi inueniuntur naturales lapides smaragdi, sapphiri cet. In alia quadam prouincia nostra vniuersum piper nascitur cet. Est autem terra nemorosa ad modum saltus, plena per omnia serpentibus cet. Quod nemus situm est ad radicem montis Olympi, vnde fons perspicuus oritur, omnium in se speciem saporum retinens cet. Est mare arenosum sine aqua cet. Tribus diebus longe ab hoc mari sunt montes quidam, a quibus descendit fluuius lapidum cet. Iuxta montes est desertum inter montes inhabitabiles, sub terra fluit riuulus quidam, ad quem non patet aditus cet. et riuulus iste fluit in alium fluuium amplioris magnitudinis, in quo homines terrae nostrae intrant, et maximam abundantiam lapidum pretiosorum inde trahunt cet. Vltra fluuium sunt decem tribus Iudaeorum, qui quamuis fingant sibi reges, ser-*

vi

*vi tamen nostri sunt, et tributarii excellentiae nostrae. In alia quadam prouincia nostra iuxta torridam zonam sunt vermes, qui lingua nostra Salamandrae dicuntur: isti vermes non possunt viuere nisi in igne, et faciunt pelliculam quamdam circa se sicut alii vermes, qui faciunt sericum: haec pellicula a dominabus palatii nostri studiose operatur: et inde habemus vestes et pannos ad omnem vsum excellentiae nostrae. Isti panni non nisi in igne accenso fortiter lauantur cet. Neminem credimus parem habere in diuitiis, nec in numero gentium. Quando enim ad bella contra inimicos nostros procedimus, tresdecim cruces magnas et pretiosas factas ex auro et lapidibus pretiosis in singulis palaustris ante faciem nostram portari facimus, et vnamquamque ipsarum sequuntur decem millia militum, et centum millia peditum armatorum, exceptis aliis, qui sarcinis et curribus et ducendis victualibus exercitus deputati sunt. Quando vero simpliciter equitamus, ante maiestatem nostram procedit crux altera nulla pictura, neque auro, neque gemmis ornata, vt semper memores simus passionis Domini nostri* IESV CHRISTI, *et vas vnum aureum plenum terra, vt cognoscamus, quod caro nostra in propriam redigetur originem, id est, in terram: et aliud vas argenteum plenum auro portatur ante nos, vt omnes intelligant, nos dominum esse dominantium. Omnibus diuitiis, quae sunt in mundo, superabundat et praecellit magnificentia nostra cet. Singulis annis visitamus corpus sancti* DANIELIS *prophetae in Babylone deserta, et omnes armati sunt propter tiros et serpentes, qui vocantur denterses. Apud nos capiuntur pisces, quorum sanguine tinguntur purpurea. Munitiones habemus multas, gentes fortissimas et deformes: dominamur Amazonibus et etiam Brachmanis. Palatium vero, quod inhabitat sublimitas nostra, ad instar similitudinem palatii, quod Apostolus* THOMAS *ordinauit* GVNDOFORO *regi Indorum, in officinis et reliqua structura per omnia simile est illi; laquearia vero et tigna et epistylia sunt de lignis sethym: coopertura eiusdem palatii est de hebeno, ne aliquo casu possit comburi. In extremitatibus supra culmen palatii sunt duo poma aurea, et in vnoquoque duo carbunculi, vt aurum resplendeat in die,*

die, et carbunculi luceant in nocte. Maiores portae palatii de sardonio immixtae contexta cum cornu cerastes, ne aliquis latenter cum veneno possit intrare; ceterae ex hebeno. Fenestrae de crystallo. Mensae, vbi curia nostra comedit, aliae ex auro, aliae ex amethysto: columnae quae sustinent mensas ex ebore. Ante palatium nostrum est platea quaedam, in qua sola nostra iustitia spectare consueuit pugnantes in duello cet. Camera, in qua requiescit sublimitas nostra, mirabili opere auro et argento et omni genere lapidum est ornata cet. balsamum semper in eadem camera ardet. Lectus noster ex sapphyro est cet. mulieres speciosissimas habemus; sed non accedunt ad nos, nisi caussa procreandorum filiorum quater in anno, et sic a nobis sanctificatae, vt BETHSABEE a DAVID, redeunt quaeque in locum suum. Semel in die comedit curia nostra. In mensa nostra omni die triginta millia hominum praeter ingredientes et exeuntes, et hi omnes accipiunt singulis diebus expensas de camera nostra, tam in equis, quam in expensis aliis cet. Singulis mensibus seruiunt nobis reges septem, vnusquisque illorum in ordine suo, duces sexaginta quinque, comites tercentum sexaginta quinque, in mensa nostra, exceptis illis, qui diuersis officiis deputati sunt. In curia nostra comedunt omni die iuxta latus nostrum in dextera parte Archiepiscopi duodecim, in sinistra Episcopi viginti, praeter Patriarcham sancti THOMAE, et Protopapatem Salmagantinum, et Archiprotopapatem de Susis, vbi thronus et solium gloriae nostrae residet, et palatium imperiale, quorum vnusquisque singulis mensibus per vices suas a latere nostro numquam discedunt. Abbates autem secundum numerum dierum anni seruiunt nobis in capella nostra, et singulis mensibus redeunt ad propria, et alii totidem singulis mensibus ad idem officium capellae reuertuntur. Quare dignitas nostra, quum Presbyteratus nomine se nuncupari permittit, non debet prudentia tua admirari: plures enim in curia nostra ministeriales habemus cum dignitate, nomine, et officio quantum ad ecclesiasticam dignitatem spectat, et etiam maiori in diuinis officiis, quam nos, praediti sunt. Dapifer enim noster Primas et Rex est. Pincerna Archiepiscopus et Rex. Camerarius noster Episcopus et Rex. Mare-

schal-

*ſchallus noſter Archimandrita et Rex. Princeps autem coquorum Rex eſt et Abbas. Et idcirco altitudo noſtra non eſt paſſa vocari eisdem nominibus, aut ipſis ordinibus inſigniri, quibus curia ſua plena eſſe videatur. Et ideo maiori nomine et inferiori gradu propter humilitatem magis eligit nuncupari. Extenditur terra noſtra in partem vnam fere ad quatuor menſes in amplitudinem; in altera vero parte nemo poteſt ſcire, qualiter protendatur dominium noſtrum. Si potes dinumerare ſtellas caeli, et arenam maris; dinumera etiam dominium noſtrum et poteſtatem noſtram.*

## N. V.

### EX CAES. BARONII *Annal. eccleſ. Tom. XII. ann. 1177. §. LV. p. 684. ſ.*

ALEXANDER epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei chariſſimo in CHRISTO filio illuſtri et magnifico Indorum Regi; ſacerdotum ſanctiſſimo, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem.

*Apoſtolica Sedes, cui licet immeriti praeſidemus, omnium in* CHRISTO *credentium caput eſt et magiſtra, Domino atteſtante, qui ait B.* PETRO, *cui licet indigni ſucceſſimus: Tu es* PETRVS, *et ſuper hanc petram aedificabo Eccleſiam meam. Hanc ſiquidem petram* CHRISTVS *eſſe voluit in Eccleſiae fundamentum, quam praeconat nullis ventorum turbinibus, nullisque tempeſtatibus quatiendam. Et ideo non immerito B.* PETRVS, *ſuper quem fundauit Eccleſiam, ligandi atque ſoluendi ſpecialiter et praecipue inter Apoſtolos alios meruit accipere poteſtatem. Cui dictum eſt a Domino: Tibi dabo claues regni caelorum, et portae inferi non praeualebunt aduerſus eam, et quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum et in caelis. Audiueramus vtique iam pridem referentibus multis, et in fama communi, quomodo cum ſis Chriſtianum nomen profeſſus, piis velis operibus indeſinenter intendere, et circa ea tuum animum geras, quae Deo grata ſunt et accepta. Sed et dilectus filius magiſter* PHILIPPVS *medicus et familiaris noſter, qui de intentione pia et propoſito tuo cum magnis et honorabilibus viris*

regni tui se in partibus illis verbum habuisse proponit, sicut vir prouidus et discretus, circumspectus et prudens, et constanter nobis et sollicite retulit, se manifestius ab his audisse, quod tuae voluntatis sit et propositi, erudiri Catholica et Apostolica disciplina; et ad hoc feruenter intendas, vt tu et terra tuae sublimitati commissa nihil vmquam videamini in fide vestra tenere, quod a doctrina Sedis Apostolicae dissentiat modo quolibet vel discordet. Super quo sane tibi sicut charissimo filio plurimum congaudemus, et ei, a quo omne donum procedit, immensas gratiarum exoluimus actiones: vota votis, et preces precibus adiungentes, vt qui dedit nomen Christanitatis suscipere, menti tuae per suam ineffabilem pietatem inspiret, quod omnino velis sapere, quae super omnibus articulis Fidei tenere debet religio Christiana. Non enim vere potest de Christiana professione sperare salutem, qui eidem professioni verbo, et opere non concordat. Quia non sufficit cuilibet nomine Christiano censeri, qui de se sentit aliud, quam Catholica et Apostolica habeat disciplina, iuxta illud quod Dominus in Euangelio dicit: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est. Illud autem nihilo minus ad commendationem tuae virtutis accedit, quod sicut prudens magister PHILIPPVS se a tuis asserit audisse, feruenti desiderio cuperes in Vrbe habere Ecclesiam, et Ierosolymitanum altare aliquod, vbi viri prudentes de regno tuo manere possent, et Apostolica plenius instrui disciplina, per quos postmodum tu et homines regni tui doctrinam ipsam reciperent et tenerent. Nos autem, qui licet insufficientibus meritis in B. PETRI Cathedra positi, iuxta Apostolum, sapientibus et insipientibus, diuitibus et pauperibus nos recognoscimus debitores: de salute tua et tuorum omnimodam sollicitudinem gerimus; et vos ab his articulis, in quibus erratis a Christiana et Catholica fide, prompto animo, prout tenemur ex suscepti ministerio regiminis, volumus reuocare. Cum ipse Dominus beato PETRO, quem omnium Apostolorum principem fecit, dixit: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Licet autem graue nimis videatur et laboriosum existere

*re, ad praesentiam tuam inter tot labores, et varia itineris locorum discrimina, et inter longas et ignotas oras quemlibet a nostro latere destinare: considerato tamen officii nostri debito, et tuo proposito et intentione pensata, praefatum* PHILIPPVM *medicum et familiarem nostrum, virum vtique discretum circumspectum et providum ad tuam magnitudinem mittimus de* IESV CHRISTI *misericordia confidentes, quod si volueris in eo proposito et intentione persistere, quam te, inspirante Domino, intelligimus concepisse: de articulis Christianae Fidei, in quibus tu, et tui a nobis discordare videmini, in proximo per Dei misericordiam eruditus, nihil prorsus timere poteris, quod de errore tuam vel tuorum salutem praepediat, vel in vobis nomen Christianitatis offuscet. Rogamus itaque excellentiam Regiam, monemus et hortamur in Domino, quatenus eumdem* PHILIPPVM *pro reuerentia B.* PETRI *et nostra, sicut virum honestum, discretum, et prouidum, et a nostro latere destinatum, debita benignitate recipias, et reuerenter, et deuote pertractes. Et si tuae voluntatis est et propositi, sicut omnino decet esse, vt erudiaris Apostolica disciplina super his, quae idem* PHILIPPVS *ex nostra tibi parte proponet: ipsum diligenter audias, et exaudias, et personas honestas, et litteras tuo sigillo sigillatas, quibus propositum et voluntatem tuam possimus plene cognoscere, ad nos cum ipso transmittas. Quia quanto sublimior et maior haberis, et minus de diuitiis et potentia tua videris inflatus, tanto libentius tam de concessione Ecclesiae in Vrbe, quam etiam de conferendis altaribus in ecclesia beati* PETRI *et* PAVLI, *et Ierosolymis in Eclesia Sepulchri Domini, et in aliis quae iuste quaesieris, suas curabimus petitiones admittere, et efficacius exaudire; vtpote, qui desiderium tuum super hoc, quod multa commendatione dignum extitit, modis omnibus, quibus secundum Deum possumus, volumus promouere, et tuam et tuorum animas desideramus Domino lucrifacere. Data Venetiae in Riuoalto, quinto Kalendas Octobris.*

# N. VI.

## IAC. ECHARD. *Scriptor. Ord. Praedic. T. I. p. 104* ex ALBERICI *Chron. p. 562.* et MATTHAEO PARIS *p. 301.*

Litterae mirabiles Fratris PHILIPPI prioris transmarini de fide Iacobianorum et multis aliis, et de septuaginta prouinciis patriarchae Iacobianorum subiectis.

*SS. Patri ac Domino* GREGORIO *diuina (1) miseratione summo pontifici, Frater* PHILIPPVS *Fratrum Praedicatorum in Terra sancta prior inutilis in omnibus obedientiam deuotam et debitam. Benedictus Deus et Pater Domini nostri* IESV CHRISTI, *qui vestris temporibus, Pater Sancte, oues a tantis temporibus erroneas sua clementia reduxit ad pastorem. Diebus enim nostris (2) donum suae benignitatis demonstrauit nobis, et campos suos implere fecit vbertate: et quia nationes quae ab vnitate Ecclesiae recesserant, ad vestram obedientiam et sanctae matris Ecclesiae mirabiliter reduxit vnitatem. Nam patriarcha Iacobitarum Orientalium vir venerabilis, scientia, moribus et aetate, cum maximo comitatu archiepiscoporum, episcoporum, monachorum suae gentis in hoc anno venit adorare in Hierusalem: cui verbum catholicae fidei exponentes ad tantum diuina gratia cooperante peruenimus, vt in Ramispalmarum processione solemni, quae die illa a descensu montis Olirueti fieri consueuit, obedientiam sanctae Romanae Ecclesiae promitteret et iuraret, omnem haeresim pariter abiurando, et confessionem et confoederationem suam nobis tradidit litteris Chaldaicis et Arabicis testimonium sempiternum: adhuc et habitum nostrum recepit in recessu. Ipse praeest Chaldaeis, Persis, Medis et Armenis, quas terras Tartari pro magna parte vastauerunt. Etiam in aliis regnis in tantum dilatatur eius praelatio, quod septuaginta prouinciae ei obediunt, in quibus habitant innumerabiles Christiani, serui tamen et tributarii Saracenis, exceptis monachis, quos liberos dimittunt a tributo. (3) Quem ad*

(1) Vocatione, MATTH. PARIS. (2) annum, PARIS. (3) Secundum eamdem formam, *Id.* (4) quoque qui praeest, *Id.*

*ad modum eamdem formam fecerunt duo archiepiscopi, vnus Iacobita de Aegypto, et alter Nestorianus in Oriente, suas tamen praelationes habent in Syria subditas et Phaenice. Et nos festinauimus quatuor Fratres in Armeniam transmittere ad linguam addiscendam, eo quod preces regis et baronum nos vrgebant. De alio* (4) *quodam qui adpellatur* IAKELINVS, *qui praeest omnibus quos Nestoriana haeresis ab Ecclesia separeuit, cuius praelatio per Indiam maiorem manentes, et per regnum sacerdotis* IOANNIS (*et regna*) *magis proxima* (5) *dilatatur, iam plures litteras recepimus, quod Fratri* GVILLELMO *et* MONTEFERRATO *qui cum aliis duobus Fratribus linguam illam scientibus, apud eum aliquamdiu commoratus est, promiserit quod velit obedire et redire ad gremium* (6) *Ecclesiae et veritatis. Misimus etiam Fratres in Aegyptum ad* (7) PHARAONEM *Iacobitarum Aegyptiorum, qui multum amplius errare solent quam Orientales, aliis erroribus circumcisionem ad modum Saracenorum addentes, a quo recepimus similiter, quod velit redire ad Ecclesiae vnitatem: et iam elisis multis erroribus suos subditos prohibuit circumcidi. Huic subdita est India* (8) *maior, Aethiopia, Lybia cum Aegypto: et Aethiopes et Lybii non sunt subditi Saracenis. Maronitae qui habitant in Libano, iamdiu est quod ad Ecclesiam redierunt et in obedientia perseuerant. Et cum omnes nationes praedictae doctrinae* (9) *veritatis et praedicationibus nostris acquiescant, soli Graeci in malitia perseuerant: qui vbique latenter et aperte Romanae Ecclesiae contradicunt: omnia sacramenta nostra blasphemant, et omnem aliam sectam a sua* (10) *prauorum haereticorum adpellant. Vnde videntes tantum ostium apertum, vt veritas euangelii dilatetur, dedimus nosmetipsos ad linguas gentilium addiscendas, et* (11) *ad studium in singulis conuentibus statuimus, laborem nouum veteri adponentes: et iam per Dei*

 *gratiam*

(5) Orientis, *Id.* (6) Ecclesiasticae vnitatis, *Id.* (7) Patriarcham, *Id.* (8) Minor, *Id.* (9) Trinitatis, *Id.* (10) prauam appellant et haereticam, *Id.* (11) et studium linguarum in singulis, *Idem.*

*gratiam similiter Fratres nostri linguis loquuntur nouis et praedicant, et maxime in Arabica, quae communior est inter gentes.* Hactenus dictum ALBERICI chronicon, in quo litterarum finis deest, quem ex MATTHAEO PARYS addere placet. Sic ergo prosequitur PHILIPPVS. *Sed heu huic tanto gaudio et laetitiae spirituali de renouatione infidelium nobis ortae, de abysso iudiciorum suorum Dominus nobis amaritudinem commiscuit de morte magistri nostri ordinis* (IORDANI) *nisi quod mors eius in vitam infidelium conuersa. Nam sic a multis accepimus qui praesentes fuerunt et viderunt, tanta miracula ibi dicuntur demonstrari, quod multo efficacius praedicat mortuus in miraculis, quam viuus praedicaret in verbis. Per omnia sit Deus benedictus. Vnde ad illos Saracenos tres Praedicatores transmisimus ne gratiae Dei deesse videremur. Vestrum est ergo Pater sancte adunationi et paci reuertentium ad Ecclesiam prouidere, ne forte si de brachiis nutricis ciciderint, vtroque pede deterius inueniantur claudicantes. Quidam enim ex eis iam magis suis iurisdictionibus aduersantur. Non audeo pluribus verbis aures vestras detinere, cetera quae desunt, Fratres latores praesentium poterunt enarrare. Mortui sunt cum magistro socii eius F.* GERARDVS *clericus et F.* IVANVS *conuersus. Tibi* IESV CHRISTE *laus et gloria et gratiarum actiones, honor et virtus et fortitudo in secula seculorum. Amen. Valete.*

## N. VII.

EX ODOR. RAYNALDI *Annal. Eccles. Tom. XIII. ad ann. 1241. p. 503. n. 18. s.*

GREGORIVS cet. BELAE Regi Vngariae.

*Vocem in excelso lamentationis et fletus audiuimus, et nos multis amaricati doloribus deploramus, quod iaculatum de caelo iudicium iam depopulatur vndique populum Christianum, quod fidelium gladius in fideles reciproca caede conuertitur, et in Christicolas paganorum mucro crudeliter debacchatur. Clamor enim scelerum humani generis multiplicatus ascendens in aures omnium con-*

*conditoris, ipsum qui quasi non videns hucusque tacuit, qui correctionem populi sui velut patiens expectauit, vltorem iniquitatum gladium coegit exercere, et ab oculis patientiae suae abominationes emendare flagitiorum, expetita graui de peccatoribus vltione. Propter quod omnes, quorum corda timor Domini tetigit, opertos ciliciis, et aspersos cinere in suspirio et lacrymis diuinam conuenit misericordiam implorare, vt qui semper ad ignoscendum multus extitit, qui praestabilis super malitia omni esse tempore consueuit, exemptum gladium ad vaginam iubeat regredi, et iram in gentes, quae illum non nouerunt, effundens, dignetur populo Filii sui insignito charactere misereri. Speramus autem quod etsi Deus noster nos dura increpatione redarguere coeperit, regna tamen, quae ipsius nomen inuocant, a facie sua disperdere non intendit: quinimo a poena perpetua peccatores curat eripere, quibus temporalis studet vltionis beneficium ad castigationem nostri generis adhibere: quia etsi filios Israel tentatio mortis in eremo quandoque tetigerit, in eis tamen ira Domini diutius non permansit. Verum etsi grauiter de omnium fidelium oppressione turbemur, super afflictione tamen regni Vngariae, quod a Tartaris inuasum, et occupatum pro magna parte in lectione literarum tuarum non sine multarum lacrymarum effusione didicimus, eo specialior et maior tristitia cor nostrum impleuit, quo in ipso purioris erga Deum et Apost. sedem signa deuotionis inuenimus, quo clarae memoriae progenitores tuos, et excellentiam regiam in exequendis Ecclesiae beneplacitis esse nouimus promptiores. Firmam igitur spem in illo ponentes, qui etsi Regi Assyriorum* SENACHERIB *liberum in terram Israel ingressum exhibuit, super* EZECHIAE *tamen contritione commotus aduersariorum multitudinem nocte vna deleuit, serenitatem tuam monemus et hortamur attentius, et obsecramus in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus in eo confidens, qui saluum facit populum humilem, et oculum humiliat arrogantem, ad defensionem regni praedicti et catholicae fidei, quae ab iisdem barbaris specialiter noscuntur expugnari, potenter et viriliter, sicut decet regalem magnitudinem, te accingens in illorum expugnatione eo studiosior et feruentior*

*tior cures exiſtere, quo in hoc exaltationem tui nominis et honoris fortius dignoſceris procurare. Nos enim tibi et regno praedicto, quibus in tantae neceſſitatis articulo deeſſe non poſſumus nec debemus, efficax curabimus auxilium et conſilium annuente Domino impertiri; ac perſonam et familiam tuam ſub protectione ſedis Apoſtolicae recipientes, et noſtra tibi et omnibus, qui aſſumpto crucis ſignaculo contra Tartaros eosdem ad defenſionem regni praedicti proceſſerint, illam immunitatem concedimus, eamque indulgentiam elargimur, quae Terrae ſanctae ſuccurrentibus in generali concilio conceduntur. Dat. Later. XVI. Kal. Iulii ann. XV.*

## N. VIII.

### Ex ODOR. RAYNALD. *vbi ſupra p. 504. n. 27. ſ.*

BELAE illuſtri Regi Vngariae.

*Cum ad arcana pectoris faciem mentis conuertimus, inter alia, quae de* CHRISTI *fidelibus ſub diuerſitate temporum eligimus commendanda memoriae, immaculata tuorum progenitorum fides, et ſincera deuotio nobis occurrunt dignis laudibus ſpecialiter recolendae; praeſertim cum progenitoribus ipſis non ſolum deriuatione ſanguinis, ſed illorum propagatione ſuccedens, eo crebrius in nobis illorum memoriam refrices, quo eorundem imitatus veſtigia ipſos frequentius repraeſentas: tua quoque ſerenitas ſic ſemper circa Eccleſiam affectione pura, et inconcuſſa conſtantia claruit, vt ſuis obſequiis opportunitatis tempore ſe offerens reuerenter, honorem eius inter ceteros orbis principes feruenter optarit, eumque ſtuduerit, expoſito ad hoc ſuae potentiae brachio, indefeſſa ſolicitudine procurare. Digne itaque, tuis dictorumque progenitorum exigentibus meritis, Romana Eccleſia te tantae deuotionis titulo inſignitum intra clauſtra cordis affectione praecipue baiulans, et infra mentis vbera brachiis ſinceritatis aſtringens, illo tuam priuilegiat amore perſonam, vt eam inter reges alios fauoris et gratiae praerogatiua efferat ſpecialis: maxime cum in te deriuata tuorum probitate parentum foecundiores virtutum fructus ex ea colligat in propagine*

*pagine filii, quam de radice paterna prouenirent. Et quidem sic honoris regii zelatores existimus, sic regni tui commodum plenis desideriis affectamus, quod ad ea vigili studio assidue intendentes, quasi successuum tuorum participes laetamur plurimum de tuae prosperitatis augumento, et grauiter de aduersitatis detrimento tristamur. Nuper autem audito, quod gens Tartarorum ad regnum Vngariae manus depopulatrices extendens adeo in ipsum desolatrix insaeuit, vt gladio eius habitatorum illius sanguine continuata caede madente, diro illud exterminio deuastarit, grauis doloris extitimus sagitta perculsi, tantaeque amaritudinis potati absynthio, vt oculi protinus copiosis exprimerent lacrymis cordis tristitiam vehementem. Et eo maioris turbationis nube respergimur, quo te nobili Ecclesiae membro tanta tuorum strage fidelium tam crudeliter vulnerato Ecclesiam ipsam sauciatam grauius deploramus. Verum quantumcumque sit casus iste damnosus, et gemendum Christianorum excidium illius gentis feritate patratum, ad eum tamen oculos mentis eleuans, et in ipso totius spei ordiens fundamentum, qui etsi quandoque in populum eius flagellum iaculet vltionis immanitate scelerum intolerabili expetitum, misericordiae tamen memor post disciplinae rigorem lenitatem adhibet pietatis, et post correptionis virgam manum consolationis extendit; illo ardore fidei contra eiusdem gentis perfidiam accendaris, eaque constantia cordis aduersus conatus muniaris, illius inuocato vndecunque potes auxilio, vt eius tyrannidi valeat tibi dextera potentiae assistente resisti, suusque processus ab aliarum regionum exterminio prohiberi. Nos enim super iis diligenti solicitudine vigilantes excellentiae tuae in tantae necessitatis articulo consilium et auxilium, prout potuerimus, efficax impendemus, te semper tanquam charissimum sedis Apostolicae filium opportunis fauoribus prosequendo. Ad hoc si* FRIDERICVS *dictus Imperator corde contrito, et humili assumpto poenitudinis spiritu rediret ad mandatum matris Ecclesiae reuerenter, parata esset pacem reformare cum ipso, quae ad honorem Dei, augumentum catholicae fidei, ac ecclesiasticae libertatis, et quietem Christiani populi redundaret, vt ex ea etiam tibi posset liberius et vtilius subueniri. Dat. Later. Kal. Iulii ann. XV.* (f) N. IX.

# N. IX.

## *LITTERAE* BAIOTHNOI AD PONTIFICEM.

### EX ODOR. RAYNALDO *vbi ſupra ann. 1247. n. 82. p. 581.* vid. quoque *Voyage d'* ASCELIN *en Tartarie Ch. VII. p. 80. in Voyages en Aſie par* P. BERGERON.

*Diſpoſitione diuina ipſius Chaam transmiſſum* BAIOTHNOY *verbum, Papa iſtud ſcias; tui nuncii venerunt, et tuas literas ad nos detulerunt Tui nuntii magna verba dixerunt: neſcimus vtrum iniunxeris eis ita loqui, aut a ſemetipſis dixerunt; et in literis taliter ſcripſeras: Homines multos occiditis, interimitis, et perditis. Praeceptum Dei ſtabile et ſtatutum eius, qui totius faciem orbis continet, ad nos ſic eſt: Quicumque ſtatutum audierint, ſuper propriam terram, aquam, et patrimonium ſedeant; et ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant: quicumque autem praeceptum et ſtatutum non audierint, ſed aliter fecerint, illi deleantur et perdantur. Nunc ſuper hoc iſtud ſtatutum et praeceptum ad vos transmittimus. Si vultis ſuper terram noſtram, aquam, et patrimonium ſedere, oportet vt tu Papa in propria perſona ad nos venias; et ad eum, qui faciem totius terrae continet, accedas. Et ſi tu praeceptum Dei ſtabile, et illius qui faciem totius terrae continet, non audieris, illud nos neſcimus, Deus ſcit. Oportet vt antequam venias, nuntios praemittas, et nobis ſignifices ſi venis, aut non; ſi velis nobiscum componere, aut inimicus eſſe: et reſponſionem praecepti cito ad nos transmittas. Iſtud praeceptum per manus* AYBEG *et* SARGIS *miſimus menſe Iulii XX. die lunationis in territorio Stiens caſtri ſcripſimus.*

N. X.

# N. X.

## Ex ODOR. RAYNALDO, *ann. 1245. n. 16. s. p. 538.* et LVCAE WADDINGI *annal. Minorum Tom. III. p. 116. s.*

INNOCENTIVS cet. Regi et populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

*Dei Patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostrarat inuidia suggestione dolosa, volens ex charitate nimia misericorditer reparare, Filium suum vnigenitum consubstantialem sibi de coeli excelso solio misit ad infimum mundi solum, qui praeelectae Virginis vtero sancti spiritus operatu conceptus, et ibi veste carnis indutus humanae, indeque postmodum clausa maternae porta virginitatis egressus, cunctis visibilem se ostendit. Humana enim natura cum esset rationalis, erat aeterna veritate, tanquam optimo suo cibo pascenda: sed poena peccati mortalibus detenta vinculis, ad hoc est diminutionis redacta, vt per coniecturas rerum visibilium ad intelligenda inuisibilia niteretur, cibi rationalis creaturae ipsius conditori facultas non sine commutatione, diminutione naturae, vt visibilia sectantes, ad se inuisibilem factus visibilis reuocaret, salubribus homines institutis informans, viamque vitae ipsis indice doctrina demum demonstrans, dignatus est post sacrae conuersationis exempla, et euangelicae instructionis eloquia sub dirae crucis supplicio mortem pati; vt poenali vitae praesentis fine poenam mortis perpetuae, quam proptoplasti posteritas ipsius incurrerat transgressione, finiret; et de amaro mortis calice temporalis hauriret homo vitae dulcedinem sempiternae. Mediatorem namque inter nos, et Deum, et mortalitatem habere oportuit transeuntem, et beatitudinem permanentem; vt per id quod transit, congrueret morituris; et ad id quod permanet, ex mortuis nos tansferret. Pro humani ergo redemptione generis se hostiam exhibens, illud suae salutis hoste prostrato de opprobrio seruitutis eripuit, ad gloriam libertatis supernae, sibi patriae*

 *ostium*

# N. IX.

## *LITTERAE* BAIOTHNOI AD PONTIFICEM.

### Ex ODOR. RAYNALDO *vbi ſupra ann. 1247. n. 82. p. 581.* vid. quoque *Voyage d'* ASCELIN *en Tartarie Ch. VII. p. 80. in Voyages en Aſie par* P. BERGERON.

*Diſpoſitione diuina ipſius Chaam transmiſſum* BAIOTHNOY *verbum, Papa iſtud ſcias; tui nuncii venerunt, et tuas literas ad nos detulerunt Tui nuntii magna verba dixerunt: neſcimus vtrum iniunxeris eis ita loqui, aut a ſemetipſis dixerunt; et in literis taliter ſcripſeras: Homines multos occiditis, interimitis, et perditis. Praeceptum Dei ſtabile et ſtatutum eius, qui totius faciem orbis continet, ad nos ſic eſt: Quicumque ſtatutum audierint, ſuper propriam terram, aquam, et patrimonium ſedeant; et ei, qui faciem totius orbis continet, virtutem tradant: quicumque autem praeceptum et ſtatutum non audierint, ſed aliter fecerint, illi deleantur et perdantur. Nunc ſuper hoc iſtud ſtatutum et praeceptum ad vos transmittimus. Si vultis ſuper terram noſtram, aquam, et patrimonium ſedere, oportet vt tu Papa in propria perſona ad nos venias; et ad eum, qui faciem totius terrae continet, accedas. Et ſi tu praeceptum Dei ſtabile, et illius qui faciem totius terrae continet, non audieris, illud nos neſcimus, Deus ſcit. Oportet vt antequam venias, nuntios praemittas, et nobis ſignifices ſi venis, aut non; ſi velis nobiscum componere, aut inimicus eſſe: et reſponſionem praecepti cito ad nos transmittas. Iſtud praeceptum per manus* AYBEG *et* SARGIS *miſimus menſe Iulii XX. die lunationis in territorio Stiens caſtri ſcripſimus.*

N. X.

# N. X.

## Ex ODOR. RAYNALDO, *ann. 1245. n. 16. s. p. 538. et* LVCAE WADDINGI *annal. Minorum Tom. III. p. 116. s.*

INNOCENTIVS cet. Regi et populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

*Dei Patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate, ac illum, quem diabolica prostrarat inuidia suggestione dolosa, volens ex charitate nimia misericorditer reparare, Filium suum vnigenitum consubstantialem sibi de coeli excelso solio misit ad infimum mundi solum, qui praeelectae Virginis vtero sancti spiritus operatu conceptus, et ibi veste carnis indutus humanae, indeque postmodum clausa maternae porta virginitatis egressus, cunctis visibilem se ostendit. Humana enim natura cum esset rationalis, erat aeterna veritate, tanquam optimo suo cibo pascenda: sed poena peccati mortalibus detenta vinculis, ad hoc est diminutionis redacta, vt per coniecturas rerum visibilium ad intelligenda inuisibilia niteretur, cibi rationalis creaturae ipsius conditori facultas non sine commutatione, diminutione naturae, vt visibilia sectantes, ad se invisibilem factus visibilis reuocaret, salubribus homines institutis informans, viamque vitae ipsis indice doctrina demum demonstrans, dignatus est post sacrae conuersationis exempla, et euangelicae instructionis eloquia sub dirae crucis supplicio mortem pati; vt poenali vitae praesentis fine poenam mortis perpetuae, quam proptoplasti posteritas ipsius incurrerat transgressione, finiret; et de amaro mortis calice temporalis hauriret homo vitae dulcedinem sempiternae. Mediatorem namque inter nos, et Deum, et mortalitatem habere oportuit transeuntem, et beatitudinem permanentem; vt per id quod transit, congrueret morituris; et ad id quod permanet, ex mortuis nos tansferret. Pro humani ergo redemptione generis se hostiam exhibens, illud suae salutis hoste prostrato de opprobrio seruitutis eripuit, ad gloriam libertatis supernae, sibi patriae*

*ostium reserando: et demum resurgens a mortuis, ac in coelum ascendens, vicarium sibi reliquit in terris, cui animarum curam, vt earum saluti, pro qua suam humiliauerat altitudinem, vigilanter intenderet et inuigilaret, attenta (1) amoris eius constantia, trinae professionis argumento probata commisit; et tradens sibi claues regni coelorum, per quas ipse, suique per eum successores potestatem aperiendi omnibus, ac claudendi eiusdem regni ianuam obtinerent. Vnde praedicti vicarii, disponente Domino nos, licet immeriti, successores effecti, super omnia, quae nobis ex iniuncto incumberent officio, ad vestram aliorumque salutem nostrae intentionis dirigimus aciem, ad hanc praecipue mentis nostrae destinamus affectum, circa eam diligenti studio, et studiosa diligentia vigilantes, vt errantes in viam veritatis inducere, (2) eosque lucrifacere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum quia humanae conditionis renitente natura, vno eodemque tempore diuersis locis personaliter (3) adesse nequimus, ne vllatenus negligere videamur absentes, ad eos viros prouidos et discretos transmittimus vice nostra, ipsorum ministerio circa illos apostolicae seruitutis debitum exoluentes; propter quod ad vos dilectum filium Fr.* LAVRENTIVM DE PORTVGALLIA, *et socios eius latores praesentium ordinis fratrum Minorum, viros religione conspicuos, honestate decoros, et sacrae scripturae scientia praeditos, vt ipsum Dei Filium* IESVM CHRISTVM *salutaribus eorum eruditionibus agnoscentes suum gloriosum nomen Christianae fidei obseruatione colatis, duximus destinandos. (4) Ideoque vniversitatem vestram monemus, rogamus, et hortamur attente, quatenus eosdem Fratres pro diuina, et nostra reuerentia, imo potius nos ipsos benigne recipientes, et honeste tractantes, eisque super iis, quae vobis ex parte nostra dixerint fidem indubitatam adhibere velitis, et cum ipsis de praedictis tractatum fructuosum habentes, prouideatis eisdem in eundo et redeundo de securo conductu, et aliis necessariis, vt ad*

---

(1) inuigilaret attente, WADDING. (2) educere, *Idem.* (3) praesentialiter, *Idem.* (4) *Hactenus* RAYNALDVS, *quae sequuntur addit.* WADDINGVS.

*ad praesentiam nostram cum voluerint, tute valeant remeare. Memoratos autem Fratres, quos tamquam diu sub obseruantia regulari probatos, et plene in scripturis sacris instructos, inter alios praeelegimus; quia vtiliores vobis fore credimus, tamquam Saluatoris nostri humilitatem sectantes, ad vos duximus transmittendos, etsi putassemus quod fructuosiores, et gratiosiores vobis existerent, vel aliquos Ecclesiarum Praelatos ad vos aut potentes alios misissemus. Dat. Lugd. III. Nonas Martii anno II.*

## N. XI.

### Ex ODOR. RAYNALDO *l. c. n. 18.* et LVCA WADDINGO *vbi supra p. 118.*

INNOCENTIVS, cet. eisdem Regi, et populo Tartarorum.

*Cum non solum homines, verum etiam animalia irrationalia; nec non ipsa mundialia elementa machinae quadam naturae* (1) *foederis sint vnione coniuncta, exemplo supernorum spirituum, quorum agmina vniuersorum conditor perpetua pacifici ordinis stabilitate distinxit; mirari non immerito cogimur vehementer, quod vos, sicut audiuimus, multas tam Christianorum, quam aliorum regiones ingressi, horribili eos desolatione vastatis,* (2) *et adhuc continuo furore depopulatrices manus ad vlteriores extendere non cessantes, soluto cognationis vinculo naturalis,* (3) *nec sexui, nec aetati parcendo, in omnes indifferenter animaduersionis gladio desaeuitis. Nos igitur pacifici Regis exemplo cunctos in vnitate pacis sub Dei timore cupientes, vniuersitatem vestram monemus, rogamus, et hortamur attente, quatenus ab impugnationibus huiusmodi, et maxime Christianorum* (4) *penitus desistentes, super tot et tantis offensis diuinae maiestatis iram, quam ipsarum exacerbatione vos non est dubium grauiter prouocasse, per condignae satisfactionem poenitentiae complacetis:* (5) *nec ex eo sumere debetis*

(f) 3

(1) natura, WADDING. (2) vastastis, *Idem.* (3) naturali, *Id.* (4) persecutionibus, *Id.* (5) complaceatis, *Id.*

*betis audaciam amplius saeuiendi, quod in alios potentiae vestrae furente mucrone omnipotens Deus diuersas ante faciem vestram substerni permisit hactenus nationes: qui nonnunquam superbos in hoc saeculo corripere ad tempus ideo praetermittit, vt si humiliari neglexerint per se ipsos, eorum nequitiam et punire temporaliter non postponat, et nihilominus in factum grauius vlciscatur.* (6) *Et ecce dilectum filium fratrem* IOANNEM, *et socios eius latores praesentium, viros religione conspicuos, honestate decoros, et sacrae scripturae scientia praeditos, ad vos propter hoc duximus destinandos, quos diuina reuerentia, imo potius nos in ipsos benigne recipiatis, et honorifice pertractetis, fidem iis super iis, quae vobis ex parte nostra dixerint, adhibendo, et cum ipsis super praedictis, et specialiter de iis, quae ad pacem pertinent, tractatum fructuosum habentes, nobis quid vos ad gentium exterminium moverit aliarum, et quid vlterius intendatis per eosdem Fratres plenarie intimetis, prouidendo ipsis in eundo, et redeundo de securo conductore, et aliis necessariis, ut ad praesentiam nostram tute valeant remeare. Memoratos autem Fratres, quos tamquam diu sub obseruantia regulari probatos, et plane Scripturis sacris instructos inter alios praeelegimus, quia vtiliores vobis fore credidimus, tamquam saluatoris nostri humilitatem sectantes, ad vos duximus transmittendos, et si putassemus quod fructuosiores et gratiores vobis existerent, vel aliquos Ecclesiarum Praelatos ad vos, aut potentes alios misissemus. Datum Lugd. III. Nonas Martii anno II.*

## N. XII.

### ODONIS episcopi Tusculani ad INNOCENTIVM *IV.* pontificem litterae.

EX LVCAE D' ACHERY *spicilegio veterum aliquot scriptorum Tom. III. p. 624. s.*

*Sanctissimo Patri ac Domino* INNOCENTIO *Dei gratia Summo*

(6) *Ex* WADDINGO.

*mo Pontifici,* ODO *miseratione diuina Tusculanus Episcopus, devota pedum oscula beatorum, cum omnimoda obedientia et reuerentia et honore. Inter alia quae exercitui Christiano in Cypro commoranti acciderunt, postquam Sanctitati vestrae litteras destinaui, haec vobis scribere dignum duxi. - - - Die lunae post festum Beatae* LVCIAE, *nuntii regis Tartarorum Castrocherniis, quod distat â Nicossia sex leugis, applicuerunt. Die vero Sabbati ante natale Domini, Nicossiam intrauerunt. Die vero crastina se Regi praesentauerunt, et ei huiusmodi litteras porrexerunt scriptas lingua Persica et litteris Arabicis, quas Rex interpretari fecit de verbo ad verbum: quarum tenor talis est:*

## Epistola (1)

## Regis Tartarorum ad S. LVDOVICVM Regem Franciae.

*Per potentiam Dei excelsi, missi a Rege terrae Gan, (2) verba „*ERCHALCHAI*, (3) Regi magno prouinciarum multa„rum, strenuo propugnatori orbis, gladio Christianitatis, victo„riae religionis baptismalis, (4) defensori legis euangelicae, filio „Regis Franciae, Augeat Deus dominium suum, et conseruet ei „regnum suum annis plurimis, et impleat voluntates suas in lege „et in mundo, nunc et in futurum, per veritatem diuinae condu„ctricis hominum et omnium (5) Prophetarum et Apostolorum, „Amen. Centum millia salutum et benedictionum. Ex hoc rogo „quod recipiat salutationes illas, vt sint gratae (6) apud ipsum. „Faciat (7) Deus vt videam hunc Regem magnificum qui appli„cuit. Creator autem excelsus causet (8) occursum nostrum in ca„ritate, et facile (9) faciat vt congregemur in vnum. Post hanc autem*

(1) *Eadem exstat apud* RAYNALD. *ann. 1248. n. 34. s. p. 587.* (2) Cham, RAYNALD. (3) ERCHALTHAY, *Idem.* (4) Christianitatis victoriae, ac religionis apostolicae defensori, legis euangelicae filio, Regi Franciarum, RAYNALD. (5) hominum, *Id.* (6) grandes, *Id.* (7) autem, *Id.* (8) faciat, *Id.* (9) fieri, *Id.*

„autem salutationem nouerit quod in hac epistola non est intentio „nostra nisi vtilitas Christianitatis, et corroboratio manus Regum „Christianorum, Domino concedente. Et peto a Deo vt det vi„ctoriam exercitibus Regum Christianitatis et triumphet eos de „aduersariis suis contemnentibus crucem. Ex parte autem Regis „sublimis sublimet eum Deus, videlicet de praesentia KIÔKAI. (10) „Augeat Deus magnificentiam suam. Venimus cum (11) potestate „et mandato, vt omnes Christiani sint liberi a seruitute et tributo, „et angaria, et paedagiis et consimilibus, et sint in honore et re„uerentia, et nullus tangat possessiones eorum. Et Ecclesiae de„structae reaedificentur, et pulsentur tabulae, et non audeat ali„quis prohibere vt orent corde quieto et libenti pro regno nostro. „Ista autem hora venimus ad hoc (12) pro vtilitate Christianorum „et custodia, Deo dante excelso. Misimus autem hoc per nunti„um (13) fidelem nostrum virum venerabilem SABELDIN, „MONFAC, (14) DAVID, et per MARCHVM, vt annun„tient illos bonos rumores, et quae sunt circa nos, dicant (15) ore „ad os. Filius autem recipiat verba eorum, et credat eis, et in „litteris suis Rex terrae augeatur magnificentia sua. Ita praeci„pue (16) quod in lege Dei non sit differentia inter Latinum, et „Graecum et Armenicum, Nestorinum, et Iacobinum, et omnes „qui adorant crucem. Omnes enim sunt vnum apud nos. Et sic „petimus vt Rex magnificus non diuidat inter ipsos, sed sit eius „pietas et clementia super omnes Christianos. Duret eius pietas et „clementia. Datum in finibus Muharram. (18) Et erit bonum, „concedente Deo (19) excelso.

Nouerit etiam Sanctitas vestra, quod a tempore quo ego et Rex primo intrauimus Cyprum, Rex Cypri et Comes Iopppensis Regi praesentauerunt litteras talia continentes. Litterae

(10) KYOKAY, *Idem.* (11) Volumus enim, *Id.* (12) adhuc venimus, *Id.* (13) *omittit* RAYNALD. (14) SABELDIM, MONFFAT, *Id.* (15) dicent, *Id.* (16) verba eorum, credat eis et litteris suis. Rex terrae augeatur magnificentia sua. Ita praecepit, *Id.* (17) *Verba* et clementia *omittit Id.* (18) Mercharram, *Id.* (19) Domino, *Id.*

## Litterae Conſtabularii Armeniae ad Regem Cypri.

„*Excellenti et potenti viro Domino H. Dei gratia Regi Cypri,* „*et nobiliſſimae et potentiſſimae Dominae ſorori ſuae E. eadem Dei* „*gratia Reginae Cypri, et nobili viro Domino I. de Ibelin cariſſimo* „*fratri meo, et nobili Dominae cariſſimae ſorori meae* MARIAE „REMBACH, *Conſtabularius Armeniae ſalutem et mandatis veſtris* „*paratam dilectionem. Notum facio quod ego ſum ſanus et incolu-* „*mis, illud idem deſiderans audire et ſcire de vobis. Sciatis, Do-* „*mini mei, quod ſicut ad iter agendum pro Deo et vtilitate Chri-* „*ſtianitatis me ſpecialiter expoſui, ſic conduxit me* IESVS CHRI- „STVS *vsque ad quamdam villam quae vocatur Sauretrat. Ve-* „*rum quid dicerem vel ſcriberem vobis, tot terras quas vidimus,* „*quoniam dimiſimus Indiam retro nos ad Pontem, et tranſiuimus* „*Bandach et totam terram eius duobus menſibus arrepti itineris.* „*Et quid dicerem tot ciuitates quas vidi deſertas, quas Tartari* „*vaſtauerunt, quarum nullus hominum poſſet opulentiam vel am-* „*plitudinem aeſtimare? Vidimus enim tres villas. quarum quae-* „*libet erat itineris trium dierum magna. Et vidimus plusquam* „*centum mille aggeres magnos et mirabiles oſſium interfectorum,* „*quos Tartari interfecerunt. Et bene videtur nobis, quia ſi Deus* „*prope Tartaros non adduxiſſet, qui Paganos ſic deſtruxerunt, ſuffi-* „*cerent ad implendum et acquirendum totam terram cismarinam.* „*Et tranſiuimus vnum de fluminibus Paradiſi, quod ſcriptura Gion* „*appellat, maius quod vnquam vidimus, quia arena eius durat* „*vndiquaque per vnam magnam diaetam. De Tartaris vero ſcia-* „*tis quod ſunt ita innumerabiles, quod nullus poſſet eos aeſtimare,* „*et iuſtiſſimi et boni archerii, terribiles forma et plurimum facierum;* „*et per litteras non poſſemus deſcribere ritus eorum. Sed ſi Deus* „*praeſtiterit mihi vitam, vt poſſim vos videre cum adiutorio diui-* „*no ſanos et incolumes, omnia vobis ore ad os enarrabo. Nunc* „*vero ſunt octo menſes, quod de die et de nocte ambulauimus. Et* „*modo dicitur nobis quod ſumus ad medium arrepti itineris terrae* „*Chan, hoc eſt, maioris Domini Tartarorum. Super negotio au-* „*tem noſtro, omnes qui obuiant nobis, et Tartari et alii dicunt*

„nobis quod bene et egregie faciemus; et nos intelleximus pro vero, „quod iam quinque anni transierunt ex quo mortuus est Chan pater „istius qui nunc est; et Barones et milites Tartarorum ita per ter„ras se effuderant, quod infra dictos quinque annos vix potuerunt „congregari in vnum locum, vt dictum Chan inthronizarent. Qui„dam enim eorum erant in India, alii vero in terra Chata, alii in terra „de Caschat et de Tanchat. Haec est terra, de qua tres Reges ve„nerunt in Bethleem adorare Dominum IESVM natum. Et sciatis „potentiam CHRISTI fuisse magnam et adhuc esse, quod gentes „illius terrae sunt Christiani; et tota terra de Chata credunt illos „tres Reges. Et ego ipse fui in Ecclesiis eorum, et vidi IESVM „CHRISTVM depictum, et tres Reges, quorum vnus offert au„rum, et alius thus, et alius myrrham. Et per illos tres Reges „credunt in CHRISTVM, et per illos Chan et omnes sui modo fa„cti sunt Christiani. Et ante portas suas habent Ecclesias suas, „pulsant campanas suas, et percutiunt tabulas. Ita quod euntes „ad dominum eorum Chan, oportet primo ire ad Ecclesiam, et sa„lutare Dominum IESVM CHRISTVM, et post ire et salutare do„minum eorum Chan, siue sit Saracenus, siue sit Christianus, ve„lint nolint quibus ista non placent. Et notum vobis facio quod „inuenimus multos Christianos per terram Orientis effusos, et mul„tas Ecclesias pulchras, altas et antiquas et bene aedificatas, quas „Turci deuastauerunt, ita quod Christiani illius terrae in praesen„tia aui istius Kan venerunt; quos ille cum magno honore suscepit, „et libertati donauit, et fecit prohiberi ne quis faceret vel diceret, „de quo vel ad modicum possent merito contristari. Ita quod „Saraceni, qui prius eis verecundiam faciebant, nunc illud quod „faciebant recipiunt in duplum. Et quia propter inopiam praedi„cationis, peccatis nostris exigentibus, non habebat CHRISTVS „qui pro ipso in illis regionibus sanctissimum nomen suum prae„dicarent, ipsemet sanctissimis suis virtutibus pro se ipso prae„dicat et praedicauit, sicut apertius scire potestis, ita quod gentes „regionum illarum credunt in ipsum. Et sciatis quod illi qui te„nentur praedicare, secundum iudicium meum digni sunt recipere „magnam poenam. Sciatis praeterea quod in terra Indiae, quam

san-

„*sanctus* THOMAS *Apostolus conuertit, est quidam Rex Christia-*
„*nus, qui erat in magna anxietate positus inter alios Reges Sara-*
„*cenos. Faciebant enim ei violentiam vndique, vsque ad illam*
„*horam qua Tartari venerunt in illam terram, et ipse factus est*
„*homo illorum. Et accepit exercitum suum et exercitum Tartaro-*
„*rum, et inuasit Saracenos; ita quod tantum lucratus est infra*
„*terram Indiae, quod tota terra Orientis plena est sclauis Indicis;*
„*quorum plus quam quinquaginta millia vidi, quos dictus Rex ce-*
„*perat, et mandauerat venum dari. Et non possem vobis dicere*
„*de vicesima parte vnde quod vidimus. Sed per minus potestis*
„*intelligere maius. Sciatis quod Dominus Papa misit nuntium su-*
„*um praedicto Kan, et mandauit ei dicere vtrum esset Christianus*
„*annon, et quare miserat gentem suam ad conculcandum mundum,*
„*et quare faciebat interfici pauperes. Cui respondit Kan, quod Deus*
„*mandauerat auis suis et sibi, quod mitteret gentes suas ad gentes pessi-*
„*mas interficiendas. Super hoc quod mandauit vtrum esset Chri-*
„*stianus, respondit quod Deus sciebat; et si Dominus Papa vellet*
„*scire, veniret, et videret et sciret. Carissimi, ita sunt rumores*
„*certi quos scripsi vobis, quod ego rogo Dominum quod carta mea*
„*sanos et incolumes vos inueniat. Salutate, cet. Et rogetis Deum*
„*pro me, cet. Datum in ciuitate magna Saurequant VII. die Februarii.*

*Receptis autem litteris ex parte dicti* ARCHELCHAI, *dicto die interrogauit Rex in praesentia mea, et Consilii sui, et quorumdam Praelatorum, qua occasione dominus eorum aduentum Regis audierat, et vnde isti Tartari venerant, et quae fuit caussa motiua vt venirent, et quare appellantur Tartari, et quam terram modo inhabitant, et vtrum ille Rex magnus magnum exercitum habeat, et qua occasione et quomodo fidem susceperat, et quot sunt anni ex quo Baptismum susceperat, et vtrum plures fuerint baptizati cum eo. Quaesiuit etiam Rex de dicto* ERCHALCHAI, *a quo tempore baptismi susceperat sacramentum, et vbi esset modo. Item, quare* BACHON *ita male recepit nuntios nostros. Similiter quaesiuit de Soldano Mussulae, quae antiquitus Niniue vocabatur, an esset Christianus. Similiter de ipsis nuntiis, de qua regione*

*oriundi essent, et quot anni erant, ex quo fuerunt Christiani. Ad praedicta sic responderunt, quod a Soldano Mussulae missae fuerunt quaedam litterae ad magnum Regem Chan, quas receperat a Soldano Babyloniae, in quibus Soldanus Babyloniae mentionem de applicatione et aduentu Regis Franciae faciebat, mendaciter asserendo quod sexaginta naues Regis Franciae per violentiam ceperat et deduxerat in Aegyptum, per hoc volens ostendere quod Soldanus Mussulae in aduentu Regis Franciae confidere non debebat. Hac occasione dictus* ERCHALCHAI, *audito Regis Franciae aduentu, misit ad eum nuntios cum litteris antedictis; qui denunciauerunt ei esse Tartarorum propositum, in hac aestate proxima obsidere Calipham de Baldak; et rogabant Regem vt Aegyptum aggrederetur, ne praedictus Caliphas ab Aegyptiis posset in aliquo adiuuari. Dixerunt etiam nuntii, quod isti qui nunc Tartari appellantur, modo sunt XL. anni quod exierunt de terra sua, quae non habet ciuitates vel oppida seu villas, abundat autem pascuis, et ideo homines regionis illius tantummodo in alendis pecoribus sunt intenti, et distat per XL. diaetas a terra quam modo inhabitat ille magnus Rex Chan, et in qua posuit sedem suam. Et haec terra Trahetar appellatur. Vnde et modo Tartari appellantur. Causam autem commotionis eorum dixerunt praedicti nuntii se nescire. Et dicebant quod dicti Tartari primo debellauerunt filium Presbyteri* IOANNIS, *et ipsum et exercitum eius in ore gladii peremerunt. Isti autem Tartari sine lege erant. Dixerunt etiam quod Rex ille magnus Tartarorum, secum habet omnes fere Capitaneos, cum innumera multitudine equitum et hominum et animalium; et semper sunt in tentoriis, quia nulla ciuitas posset eos capere. Equi autem eorum semper in pascuis et animalia commorantur, quia non possunt inuenire hordeum et paleam, quae possent sufficere equis suis. Capitanei autem praemittunt homines suos in exercitibus, qui mittuntur ad subiiciendum sibi regiones. Ipsi autem remanent cum magno Rege. In potestate autem et in voluntate magni Regis est, vt quando moritur quis, instituat aliquem de filiis suis vel nepotibus Regem. Dixerunt etiam nuntii, quod iste qui nunc agit in sceptris,* KIOKAI *nomine matrem habuit Christianam,*

*stianam, filiam Regis qui vocatur Prebyter* IOANNES, *et ad exhortationem eius et cuiusdam sanctissimi Episcopi, qui* MALASSIAS *vocatur, baptismi sacramentum suscepit in die Epiphaniae cum decem et octo filiis Regum, et plures alii, maxime Capitanei, Tamen multi sunt adhuc inter eos, qui nondum fidei sacramentum susceperunt.* ERCHELCHAI *vero qui istos nuntios misit, Christianus est, iam sunt plures anni, et non est de semine regio. Tamen magnus est et potens; et modo agit in finibus Persidis, a parte orientis.* BACHON *vero homo paganus est, et habet Saracenos Consiliarios, et ideo male recepit nuntios vestros. Sed iam non habet tantam potestatem. Modo enim constitutus est sub potestate* ELCHELCHAI. *De soldano vero Moyssae siue Mussulae, dicunt quod fuit filius cuiusdam Christianae, et ex corde diligit Christianos, et festa eorum obseruat, nec in aliquo obedit legi* MAHEMET; *et creditur quod si haberet tempus et opportunitatem, libenter fieret Christianus. Dicti autem nuntii dixerunt, quod oriundi erant de quadam ciuitate quae distat a Mussula, quae quondam Niniue vocabatur, per duas diaetas, et quod Christiani erant a progenitoribus suis. Dicebant etiam quod nomen Summi Pontificis modo celebre erat apud Tartaros, et quod intentio* ELCHELCAI *domini sui et propositum erat impugnare in hac aestate proxima Calipham de Baldak, et vindicare iniuriam a Corosminis illatam Domino* IESV CHRISTO. *Octauo vero Kal. Februarii, dicti nuntii a Rege Franciae licentiam receperunt; et VI. Kal. dicti mensis Nichossiam exierunt, et cum eis Fratres Praedicatores,* ANDREAS, IOANNES *et* WILLELMVS, *quos Rex mittit ad dictum Regem Tartarorum cum exenniis, videlicet quadam cruce de ligno viuificae crucis, et tentorio de scarteto, cui affixae sunt bordaturae, in quibus ea quae Dominus* IESVS CHRISTVS *gessit pro nobis in corpore suo, sunt honestissime exarata, et quibusdam aliis spectantibus ad cultum diuinum, et ad id inuitantibus dictum Regem. Ego vero eidem Regi Chan, et materterae suae, et* ELCHELCAI, *et Praelatis eorum litteras destinaui, eis denuntians quod sacrosancta Romana Ecclesia conuersionem eorumdem ad fidem*

*Catholicam gratulanda audiet, et eos libenter recipiet vt filios carissimos, dum tamen fidem tenere voluerint orthodoxam, et confiteri eam esse matrem omnium Ecclesiarum, et praesidentem ei esse Vicarium* IESV CHRISTI, *et quod huic Vicario omnes qui Christiana professione censentur, merito debeant obedire. Praelati autem ad idem inuitantur meis litteris, et vt ipsum sapiant omnes et non sint in eis schismata; sed permaneant in veritate fidei, in primis generalibus Conciliis editae, et a Sede Apostolica approbatae. - - - Conseruet Deus Sanctitatem vestram Ecclesiae suae sanam et incolumen per tempora longiora. Datum in Cypro feria quarta ante Resurrectionem Domini.*

## N. XIII.

ODOR. RAYNALD. *Annal. T. XIII. Ad ann. 1253. n. 49. p. 635.*

Episcopo Tusculano A. S. L.

*Athleta* CHRISTI *praecipuus, et Christianissimus princeps charissimus in* CHRISTO *filius illustris Rex Franciae, ad ampliandum cultum Christianae fidei ardenter aspirans, suis nobis literis intimauit, vt cum, sicut ipse accepit a suis nuntiis, quos misit ad Tartaros, nonnulli ex eis fidem* CHRISTI *susceperunt per baptismum, et quamplures ex ipsis, prout creditur, si proponeretur eis verbum salutis, ad viam veritatis, quae* CHRISTVS *est, per lauacrum regenerationis redirent; conueniens et salutiferum sibi videtur, et multis, vt quia, procurante Calipho de Baldach, Christiani, qui sunt in partibus illis, paucissimos habent episcopos, aliqui de fratribus Praedicatoribus et Minoribus, qui ad praedicandum eis sunt destinandi, promouerentur ad vacantes illarum ecclesias ad episcopalis apicem dignitatis, qui possent (ordines) conferre, et alia ecclesiastica sacramenta, quae ad episcopos pertinent, exercere, ac haberent etiam facultatem dispensandi cum illis, qui ad fidem nouiter conuerterentur; vt in gradibus non prohibitis in lege diuina, si necessitas vel vtilitas exigit, matrimonialiter valeant copulari;*

*et*

*et quoad obseruationem ieiuniorum secundum constitutiones ecclesiasticas passim non tenerentur adstricti, donec per inhabitantem gratiam in fide catholica fortius radicati ad haec et aliis conuenientia Christianis ritibus obseruanda se reddiderint aptiores. Quia vero fratrum industriae earundem partium habere potes notitiam pleniorem, praemissa omnia tuae prouidentiae committimus, vt super his ordines, disponas, et facias, prout animarum saluti, et vtilitati, et promotioni huiusmodi negotii videris expedire. Dat. Perusii X. Kal. Martii anno X.*

## N. XIV.

### Lettre
### de MANGV-CHAN au Roy de France.

*Voyage en Tartarie par* GVILLAVME DE RVBRVQVIS, *Ch. XLVIII. p. 129. s. dans les Voyages en Asie par* P. BERGERON *Tom. I.*

*Que les Commandemens du Dieu eternel sont tels; Qu'il n'y a qu'un Dieu éternel au Ciel, et en terre qu'un souverain Seigneur* CINGIS-CHAM, *Fils de Dieu, et de* TEMINGV TINGEY, *ou* CINGEY, *c' est à dire le son du fer. Voici les paroles que l'on vous fait savoir. Nous tous qui sommes en ce païs, soit* Moalles, *soit* Naymans, *soit* Mekrit, *soit* Musselemans, *par tout où oreilles peuvent entendre, et où Chevaux peuvent aller, vous leur fassiez savoir que quand ils auront entendu et compris mes commandemens, et ne les voudront pas croire ni observer, mais plûtôt entreprendront de mettre armées en Campagne contre nous, vous verrez et entendrez qu'ils auront des yeux, et qu'ils ne verront pas: et quand ils voudront manier quelque chose, ils n'auront point de mains, et quand ils desireront marcher, ils ne pourront, n'aiant point de pieds. Et voici les Commandemens du Dieu eternel, et tout cela sera accompli par la puissance de ce Dieu eternel, et du Dieu d'ici bas, Seigneur des* Moalles. *Ce Commandement est fait par*

*par* MANGU-CHAM *à* LOUIS *Roy de* France, *et à tous les autres Seigneurs et Prêtres, et à tout le grand peuple du Roïaume de* France, *afin qu'ils puissent entendre mes paroles, et les Commandemens du Dieu eternel faits à* CINGIS-CHAM; *et depuis lui ce commandement n' est encore parvenu jusq' à vous. Un certain nommé* DAVID *vous a été trouver comme Ambassadeur des* Moalles, *mais c' étoit un menteur, et un imposteur, et vous avez envoié avec lui vos Ambassadeurs à* KEN-CHAM, *après la mort duquel ils sont arrivez à la Cour, et sa veuve* CHARMIS *vous envoia par eux une piece de drap de soie de* Nasic, *avec des Lettres. Mais pour ce qui est des affaires de la guerre, ou de la paix, et du bien de cet Etat, comment est ce que cette mechante Femme, plus vile et abiecte qu'une chienne en eut peu savoir quelque chose? Ces deux Moines sont venus de vôtre part vers* SARTACH, *qui les a envoiez à* BAATU, *et* BAATU *ici, à cause que* MANGU-CHAM *est le plus grand Roi et Empereur des* Moalles. *Mais maintenant afin que tout le monde, tant Prêtres que Moines, et tous autres puissent vivre en paix, et se reiouir que les Commandemens de Dieu s'entendent parmi eux: Nous eussions bien voulu envoier nos Ambassadeurs vers vous avec vos Prêtres; mais ils nous ont fait entendre qu'entre ci et là il y a plusieurs Païs de guerre, des Nations fort belliqueuses, et des chemins difficiles et dangereux: si bien qu'ils craignoient que nos dits Ambassadeurs ne peussent aller seurement jusquès-là; mais qu'ils s' offroient de porter nos Lettres, contenans nos commandemens au Roi* LOUIS. *Ainsi donc nous vous avons envoié les Commandemens du Dieu eternel par vos Prêtres; et quand vous les entendrez, et croirez, si vous vous disposez à nous obeir, vous nous envoierez vos Ambassadeurs pour nous assurer si vous voulez avoir paix ou guerre avec nous. Et quand par la puissance du Dieu eternel tout le monde sera uni en paix et en ioie, alors on verra ce que nous ferons. Et si vous méprisez les Commandemens de Dieu, et ne les voulez pas ouir, ni les croire, en disant que vôtre Païs est bien éloigné, vos Montagnes bien hautes et fortes, et vos Mers bien grandes et profondes, et qu'en*

*cette*

*cette confiance vous veniez faire la guerre contre nous, pour éprouver ce que nous savons faire; celui qui peut rendre les choses difficiles bien aisées, et qui peut approcher ce qui est eloigné, sait bien ce que nous pourrons faire.*

## N. XV.

### EX ODOR. RAYNALDO *Tom. XIII. ann. 1254. n. 2. p. 636. s. et* LVCA WADDINGO *Tom. III. p. 359. s.*

SATTACH (1) illustri Regi Tartarorum.

*Gratias et laudes agimus Deo Patri, omnium rerum visibilium et inuisibilium creatori, et vnico Filio eius coaeterno sibi Domino* IESV CHRISTO *redemptori et saluatori hominum, toto (2) nostrae mentis gaudio exultamus, quia sicut iam (3) vniuerso mundo incipit praedicari ipse Deus Pater, in facie (4) cordis tui vitae spiraculum inspirauit, reuelans tibi lumen charitatis (5) suae, vt de speculo fidei, quo ad cognitionem inuisibilis gloriae intellectus humani oculus illustratur, radium summae veritatis accipias, quo ad veram et praesentem scientiae diuinae rectitudinem perducaris, immortalitatis et incorruptionis desiderabili munere fruiturus. Nec mirum si super illuminationis tuae beneficio, quo de tenebris ignorantiae, in quibus alieni a Dei veri (6) notitia homines euanescunt, ad lumen verae cognitionis adduceris. Applaudens tibi exultat humanitas, et fidelium* CHRISTI *vniuersitas collaetatur, cum non sit dubium in coelesti curia, incrementum ex modo (7) receptura, non modicum de tua et tuorum conuersione creuisse gaudium angelorum, quibus, sicut Dominus* IESVS CHRISTVS *Rex eorum, homo factus nunciauit hominibus, de reconciliatione poenitentium nascitur in caelo laetitia principalis. Propterea cum (8) dilectum filium* IOANNEM *presbyterum capellanum tuum latorem praesentium,*



(1) SARTACH, WADDING. (2) tanto, *Idem.* (3) in, *Idem.* (4) faciem, *Id.* (5) claritatis, *Id.* (6) viui, *Id.* (7) exinde, *Id* (8) per, *Id.*

*tium, quem ad nostram misisti praesentiam, nobis innotuit, quod tu cum nonnullis de populo tuo, relicto infidelitatis errore, veterem gentilitatis hominem in sacro Christiani baptismatis lauacro exuisti; et per fidem et confessionem Domini nostri* IESV CHRISTI *Filii Dei nouum induisti hominem, qui secundum Deum in iustitia et sinceritate* (9) *creatus ad immortalitatis et incorruptionis beatitudinem iugiter innouatur; repletum est os nostrum Dei laude festiua, et in spiritu nostro pro modulo imbecillitatis humanae ineffabilem cum Angelis gaudii dulcedinem sensimus, quia coram Deo in libro vitae scriptum legitur nomen tuum, et per libertatem gloriae filiorum regni Dei haeres, et cohaeres* CHRISTI *Filii eius effici meruisti. Gaude igitur charissime fili, et non fatigeris assiduis laudibus diuinae pietatis rememorari clementiam, quae tam* (10) *benignitatis misericordiam tecum fecit, vt te ad lucem suam mirabilis inspirationis electione vocarit, ne per antiquos caecitatis errores in aeternas spiritualis mortis tenebras traheereris. Gaude inquam, incessanter, et lauda, quod ex tumulo mortuorum, qui de tuba* (11) *euangelii* CHRISTI *non* (12) *hauserunt audiendo et credendo vitae spiritum, suscitatus, rationabilem sensuum motum, quo in sanctam resurrectionem viuentium procedere valeas, recepisti. Ergo nos, quos licet immeritos idem Dominus* IESVS *post* (13) PETRVM *Apostolorum principem, cui quidem in summo apostolatu tempore nostro* (14) *successimus, tenere voluit super homines vices suas, collata nobis in eodem Apostolorum principe potestate, super terram in coelo quodcunque ligandi pariter et soluendi; de omnipotentis Dei auctoritate confisi super te, tanquam charissimum in* CHRISTO (15) *filium nostrum, thesauros paternae et Apostolicae benedictionis effundimus, vt sis a Deo et nobis in secula benedictus; et in praesenti tempore augearis spiritualium et temporalium bonorum gratia, et in futuro seculo felicitatis aeternae praemio sublimeris. Proficiat quoque tibi, nobis pro te Dominum exorantibus,*

(9) sanctitate, *Id.* (10) tantam, *Idem.* (11) turba, *Id.* (12) nunc, *Id.* (13) Beatum, *Id.* (14) nostro *omittit Id.* (15) *Voces in* CHRISTO *desunt apud eundem.*

*vantibus, susceptum Christianae fidei sacramentum ad vberem meritorum gratiam promerendam, quod procul dubio tibi profuit ad plenam omnium tuorum indulgentiam peccatorum, et per quod tibi patuit aditus ad regnum aeternum, per illud inueniat* (16) *perventionis introitum ad salutem. Eum siquidem concepimus erga te deuotionis* (17) *affectum, quo afficitur in filio suo pater: immo tanto maiorem, quanto potentior et affectuosior est spiritualis patris charitas, qua tibi vice Dei coniungimur, quam carnalis, qua quis* (18) *ad tempus diligit filios carnis suae. Ideoque fili amantissime nobis, in Domino tuam celsitudinem obsecramus. quatenus in fide, spe, ac dilectione Creatoris, et Saluatoris nostri, qui te vocauit in gratiam suam, suscepit ad misericordiam, elegit ad gloriam, per meditationem legis ipsius assiduam, et voluntariam disciplinam mandatorum eius, studeas exerceri. Illa quaesumus scrutare solicitus, in illis versare quotidie, et in ipsis viarum Dei semitas inuestiga, vt per haec qualiter te Deo placere oporteat eruditus, in potentias Dei, cum te de infirmitate mortalis corporis educi contigerit, inducaris. Verum quia, sicut docuit ex conscientia Dei diuinus Apostolus* PAVLVS, *corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, oportet, excellentissime princeps, vt susceptam* CHRISTI *fidem claro confessionis praeconio declarare studeas, et piae actionis testimonio dilatare Sumat igitur ex te rationabilis creaturae multitudo, quam contines, Christianae institutionis exemplar: et quia Saluator omnium dedit omnibus hominibus potestatem filios Dei fieri, credendo in nomine ipsius, qui neminem vult perire, largiendi ac recipiendi adoptionem filiorum huiusmodi per verbum euangelii omnes, te protegente, securam habeant libertatem; ita quod ad summam tibi copiosae retributionis accrescat salutaris conuersio plurimorum. Sane praefati capellani tui mora prolixior excusationis legitimae apud regalem clementiam debet esse tuta praesidio, quia dudum cum ad nos accederet, procurantibus, vt dicitur, quibusdam maleuolis, a quendam* (19)



(16) inuenias, *Id.* (17) dilectionis, *Id.* (18) quamuis, *Id.* (19) quodam, *Idem.*

CONRADO, *nato quondam* FRIDERICI *olim Romanorum Imperatoris, in Regno Siciliae captus fuit, et non nisi post mortem eiusdem* CONRADI *libertati prosequendi itineris, suis tamen rebus et literis, quas afferebat, perditis, restitutus. Datum Anagniae, IV. Kal. Sept. anno XII.*

## N. XVI.

ODOR. RAYNALDVS *Annal. eccles. Tom. XIV. ann. 1259. n. 33. p. 50. s.*

Regi Vngariae illustri.

*Cum inter alia regna mundi, quae fidei obediunt Christianae, regnum tuum sincera in Deum, et sanctam eius Ecclesiam deuotione claruerit, sicut laudabilium operum testimonia libro illabilis commendata memoriae manifestant quibus vtique progenitorum tuorum, et tua tempora in monimentum seculorum succedentium decorantur; nescimus, quae ratio cogitationi tuae suadere potuerit, maternum Apostolicae sedis affectum, quo in ipsius visceribus specialiter contineris, vnquam in tuis necessitatibus voluntarie tepuisse. Praeterea illa pupugit querela cor nostrum, quam literarum tuarum, et porrectarum nobis per dilectum filium magistrum* PAVLVM *praepositum ecclesiae capellanum nostrum nuncium tuum, virum vtique literatum, prouidum, et prudentem, ex parte tua petitionum praefatio continebat: licet credamus eam non ex iactura laesi animi, sed ex libertate filialis confidentiae processisse. Habebat namque praefationis continentia memorata, quod licet olim regno tuo saeua Tartarorum rabie lacessito, tu, vt populi tui reliquiae saluae forent, a felicis recordationis* GREGORIO *Papa praedecessore nostro contra eosdem Tartaros per venerabilem fratrem nostrum scilicet tunc Vuaciensem, nunc Penestrinum episcopum auxilium postularis, idem praedecessor quasi tuae, ac patrum tuorum clarae deuotionis oblitus, stragi populi tui etiam verbo compati noluit, nedum facto; quod credibile sibi videri non debuit de patre pleno visceribus pietatis, maxime, cum compertae tibi tunc veritatis testimonium*

monium refragetur. Et quamuis post obitum eius Apostolica sede vacante S. R. E. Cardinales tibi consolatoria, vt dicis, promissa transmiserint, quod eadem sedes postquam ei foret diuinitus de Christiani populi pastore prouisum, ad profligandas de tuis finibus nationes infestas oportunam solicitudinem adhiberet, tibi tamen, etiam postquam Deus Ecclesiam suam de summo Pontifice ordinauit, ex spe data res aliqua non prouenit: quin potius inde addita est afflictis afflictio, et moestitia luctuosis, vnde reuelationis consolatio sperabatur. Postulans ergo tibi contra ingruentes eorundem Tartarorum insultus nunc saltem Ecclesiae consiliis et auxiliis subvenire, expressisti, sicut placuit, quod ipsa in priori discrimine te deseruit, et contempsit. Si profecto, non diiudicans casus et tempora censes indignum, quod praedicta sedes tibi tunc pro voto non affuit, et exinde dignam tibi existimas murmuris prouenisse materiam, pone quaesumus ante oculos tuos, et attende propensius, quibus tunc temporis Ecclesia versabatur aduersitatum fluctibus, et quibus difficultatum implicationibus tenebatur, quoniam iis perpensis eam, vt credimus, a vinculo improperii huius in iudicio regiae desiderationis absolues, et non ei sed malitiae temporis et malignitati turbantium pacem eius, quicquid circa subuentionem tuam olim omissum quaeris, consenties imputandum. Mundus certe vniuersus agnouit, et tu egregia vniuersitatis eius portio non potes non sensisse cum mundo, quod ea tempestate, qua ecclesiasticae subuentionis implorasti suffragium, FRIDERICVS quondam Imperator acerrima in sedem Apostolicam tyrannide saeuiebat, eam omnibus potentiae suae viribus persequendo, intendens, vt oppressa illa, et filiis eius nomini suo absque vllo protectionis obstaculo subiugatis, ipse singulariter velut immane desolationis idolum prae ceteris coleretur. Pro sua igitur, et filiorum libertate tuenda tantis iam eadem Ecclesia erat fatigata dispendiis, tantis debitorum oneribus, quae necessario subierat, premebatur, quod inter angustias suas in alienum praesidium respirare non poterat, et ad ipsorum, aliorumque debitorum reliquias, quae adhuc soluendae supersunt, facultates eius vsque modo sufficere nequiuerunt. Nihilominus autem in tam

*vehementi procella, quae multipliciter concutiebat Ecclesiam memoratus praedecessor, dum pro communi salute decertans erat, potius filiorum adiuuandus suffragiis, quam in aliorum praesidium aduocandus causae tuae omnino non defuit, sed adesse studuit paternae compassionis affectu, sicut exposita sibi tuae conditionis flagitabat necessitas, et infausti temporis qualitas permittebat. Porro cum postquam sponsum secundum cor suum eidem Ecclesiae, quae diu vidua fuerat, miseratio diuina prouidit, a regno tuo illo volente, qui habens in sua potestate ventos et maria, tranquillum de tempestate producit, gladius Tartaricus abscessisset, si necessitate spectante sperata de praedictorum Cardinalium pollicitationibus subventio non processit, notari de defectu fidei promissa non impleta non possunt, quae fuerant in sublatae iam necessitatis duntaxat articulo persoluenda. Adiecisti praeterea, quod, cum ad resistendum tantis hostibus non tibi sufficiant vires tuae, si dictae sedis auxilio modo finaliter destitui te contingat, cogeris, licet inuitus et dolens, cum illis pacis et vnionis foedera copulare, ad quae ipsorum monitis et precibus pluries inuitaris: offerunt enim tibi, sicut tuae narrationis series continebat, vt secundum optionem tuam, vel filio tuo filia principis Tartarorum, vel filio eius filia tua matrimonio coniungatur. Venire tamen in foedere pacis debet expressa conditio, vt filius tuus cum quarta populi tui parte praecedat eosdem Tartaros ad exterminium populi Christiani, habiturus iure belli quintam de spoliis et bonis, quae subactis, vel deletis Christianis inuaserint, portionem: addito quod ab ipsorum tributo, vel censu habearis immunis, et illa multitudo non introeat fines tuos, sed et nuntiorum comitiua, quos tibi ab eis aliquando negotiorum exigentia suaserit destinari, centenarium numerum non excedat. Praeter alia quae asseruisti, silenda potius, quam dicenda, nimirum si contra praedictae gentis impetum, nec de caelo, vnde solet interdum paucissimis in bello fidei, atque iustitiae contra plurimos prouenire victoria; nec de terra, in qua illud est omnibus tecum commune discrimen aliquod tibi consideres, quod absit, auxilium affuturum; abhorrere tamen deberet Christianissimus princeps etiam regna quaelibet mundi,*

*mundi, etiam denique vitam propriam et suorum, regnis temporalibus praeferendam, sibi tam detestabilibus, tamque probrosis compendiis praeseruare. Sanari quippe nonnunquam piguit viros fortes, cum suaderentur eis turpia remedia medicinae; satius iudicantes fortiter mori, quam viuere criminose: et generosis animis aliquando dignius visum fuit tristi affici exilio, quam regna cum pudore, ac scelere possidere, quia nil prodest homini mundum vniversum lucrari, cum animae propriae detrimento. Absit igitur a te fili charissime, vt pro quocumque temporalis fortunae, vel salutis vitando periculo ea vnquam infamiae nube, obscurari consentias claritatis tuae titulos; aut eo maculari perpetuo ignominiae opprobrio celsitudinem regni tui, quod abruptus a corpore fidelium, et foedo foedore infidelibus nationibus copulatus fias de propugnatore Christiani nominis fidelium impugnator. Vide quanti odii tibi praepares materiam, si aduersus domesticos fidei, quam professus es, in arcum pessimum, quod dictu est horribile, vertereris; et per te ad impugnandos alios principes, et populos Christianos barbaris nationibus aditus panderetur. Sed esto, quod ad euadendum quaecunque discrimina posset absque pudore confusionis admitti remedium huiusmodi pactionum, credendum est tamen illud non salutem tuam vel regni tui, sed periculum continere. Potes enim argumentis euidentibus didicisse, quod praedicti Tartari per insidiosas pactionum tendiculas plures gentes seduxerint iu laqueos inexplicabilis captionis, illo praerogatiuae priuilegio apud eos gaudere non poteris, vt tibi promissorum, conuentorumque suorum seruent constantiam, quam aliis non obseruant. Certo nempe fidei vinculo teneri nequeunt, cum veram fidem non habeant infideles, quia nec ipsi religionis nostrae sacramentis iudicant pondus auctoritatis inesse, nec sacramentis gentilium indubitatam fidem homo adhibet Christianus. Matrimonii quoque nexus, nec Christiano paganum, nec Christianum pagano coniungit, quia etiam inter ipsos paganos etsi verum sit, tamen propter defectum fidei non est ratum, et inseparabile apud eos matrimonii sacramentum. Si ergo, quod absit, filium, vel filiam tuam contingat gentilis connubii contagio maculari,*

lari, ex hoc vtique facto (quod non iuris effectum, sed solam Creatoris tui contumeliam continebit) foederi pacis, aut pactionibus mediis nihil proueniet firmitatis: et sic cum nonnisi in Domino lex Christiana permittat nubere Christiano, filius vel filia tua cum infideli vxore, vel viro execrabilium nuptiarum infame, ac captiosum contubernium sortiretur, et peribit proh dolor! in obscoeno adultherini thori volutabro lugenda eo tempore soboles principis Christiani. Execrare ergo CHRISTE Domini quaecumque, vbi ad improperium CHRISTI tui a perfidis Christiani nominis hostibus proponuntur, et stans in iustitia, quae roborat thronos regum, inimicorum impetum non ita formides, quin Dei timorem eorum metui anteponas, et fortitudini hominum iudices diuinam potentiam praeferendam. Non enim credere debes, te inter ceteros Christianos Reges in hoc discrimine caelestibus auxiliis, Ecclesiae suffragiis aliorumque orthodoxorum principum, et fidelium populorum viribus deserendum, cum non in te solum, sed in vniuersum genus humanum propter peccata plurimorum imminens tribulationis iudicium excitetur. Scis enim, o piissime Rex, quia Deus, etsi miserator sit atque misericors, est tamen fortis et potens, dissimulans interdum misericorditer, sicut clemens peccata hominum propter poenitentiam fructuosam, interdum potenter visitans, sicut iustus animaduersione vindictae, ne semper dicat in corde suo insipiens: Non est Deus. Ad hoc enim immittuntur iusto Dei permittente iudicio, hostilitates et fames, et clades: ad hoc gens in gentem, et regnum concitatur in regnum: ad hoc seditiones et bella ciuilia commouentur. Haec vtique mala quid aliud sunt, nisi quaedam stipendia peccatorum praecurrentia finale iudicium, et ministrantia impiis primum gustum damnationis aeternae: piis vero significationem praestantia, vt fugiant a facie arcus extremum aeternumque periculum comminantis? Quid mirum, fili, si tribulationum grauium increbescunt aerumnae, cum refrigescente charitate iniquitas inualescat? Ecce iam in caelum ascendunt, et commouent clamoribus zelum eius hominum impietas erga Deum, indeuotio erga sancta, inobedientia erga patres, infidelitas erga dominos, inhumanitas

manitas erga proximos, et erga impotentiores tyrannica oppressio fortiorum, qui volunt legem iniustitiae fortitudinem suam esse. Priscorum principum pia in sacras aedes largitio fit iam praeda sacrilega tyrannorum, patrum eleemosynae plerumque in filiorum crimina conuertuntur, et in augmentum vitiorum omnium: sub tributo et seruitute redigitur templum Dei; et sancta Ecclesia liberae matris, quae sursum est, filia nonnusquam exuitur dotalis priuilegio libertatis. Propter ea, magnifice princeps, si vis vt nulla tibi nocere possit aduersitas, fac vt nulla tibi vel Christianissimo regno tuo iniquitas dominetur. Clareat semper ibi sincera deuotio circa diuini cultus honorem, integra sit diuinorum eminitas ministrorum, eorumque vota sinantur fieri libera, vt possint esse canonica in spiritualibus gubernaculis ordinandis, ac exinde iustitia, et iudicium fiant per omnia correctio sedis tuae. Sic enim subtus pedes tuos corruerent inimici, sic ipsa creatura pro te contra insensatos aperte pugnabit, sic Ecclesiae subsidia, fideliumque iuuamina contra hostes quoslibet tecum cum Dei auxilio praeualebunt. Quod si etiam iustus sis, et vt iustificeris adhuc, nihilo minus aliquid pro fidei, libertatisque iustitia voluerit te consilium Dei pati, id erit tibi non ad confusionem, sed ad gloriam: non ad damnationis iudicium, sed ad beatificationis indicium: non ad damnorum incommodum, sed ad cumulum praemiorum, quia hoc praecipuum donum Dei est beatificans hominem, cui datur, vt in eum credamus, et pro ipso etiam patiamur. Sane petitiones tuas, quas praefatus nuntius ex parte tua nobis obtulit, audiuimus aure beneuola, et quas pro tempore, et loco potuimus, ad exauditionis effectum duximus adfectu benignitatis solitae admittendas. Non tamen ferat indigne sublimitatis regiae altitudo, si de mille ballistariorum subsidio, quod a nobis inter cetera postulasti, non est tibi eo, quo requisisti, ordine satisfactum: quia multo maius auxilium ex iis, quae nunc tibi a sede Apostolica conceduntur, credimus prouenturum. Romanam siquidem ecclesiam tot premunt arduae occupationis molimina, totque grauant sarcinae debitorum, quod aequanimiter assequi debet, si cum non possit commode, ad alia

*onera non assurgit. Acceptum quoque pietati regiae forte decet, quod a necessitate praestandi quintam prouentuum Templarios et alios religiosos milites, quibus a praedictis Tartaris, et aliis etiam infidelibus par discrimen in partibus transmarinis; et fratres Cisterciensis ordinis, qui piis votis et deuotis orationibus Deum propitium assidue tibi reddent, esse volumus in genere factae tibi a nobis concessionis exceptos: quos nihilo minus, vt in imminentis necessitatis articulo circa defensionem regni tui, quae suam continet, regiis laboribus adesse procurent, exhortationibus et mandatis apostolicis excitamus. Si autem tibi necessitas, quam vereris, euenerit, Apostolica sedes tam inuocando in tuum auxilium principes et populos Christianos, quam alia non negliget, pro te salutaria contra Dei hostes, et tuos consilia agitare. Non insuper illa suggestio debet mouere cor tuum, qua sensibus regiae serenitatis immittitur, videlicet quod praedicta sedes maxime in extraneorum prouisionibus nimium grauauerit ecclesias regni tui, propter quod ne id de cetero fieret, supplicasti: licet vix regnum sit aliud in orbe terrarum, cui minus competet huiusmodi querela quam tuo. Ecclesias igitur ipsas grauasse non credimus, cum maturitas dictae sedis tantam hactenus modestiam obseruauerit, et deinceps ibi, et alibi obseruare proponat in beneficiis concedendis, vt exinde nulla cuiquam iustae murmurationis materia relinquatur. Quamuis nemo sibi possit hanc operum suorum gloriam vendicare, vt in iis aliquid homines voluntarie fingere, vel ingeniose adinuenire non possint, quod oblocutionis habeat calumniam, vel querelae. Dat. Anagniae II. id. Octobris anno V.*

## N. XVII.

EX ODOR. RAYNALDO *Tom. XIV. ann. 1260. n. 29. s. pag. 60.*

OLAONI Regi Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Exultauit cor nostrum in Domino, et in salutari suo noster animus multa laetitia dilatatur, cuius misericordia, vt firmiter cre-*

*credimus, tuae mentis oculos dextera suae pietatis aperuit, si, pro-vt accepimus, a Deo tibi veri luminis splendor illuxit, quod ad agnoscendum Christianae fidei veritatem plenis anhelas affectibus, et pleno corde suspiras. Nuper siquidem* IOANNES VNGARVS, *tuum in hoc se nuntium asserens, nostro apostolatui reserauit, quod tu ad salutem dirigens vota tua votiue desideras secundum veram catholicam euangelicamque doctrinam, quam Sancta Romana Ecclesia fatetur et praedicat, sacri baptismatis vnda renasci, Christicolarum annumerari collegio, et Christiani nominis titulo insigniri. Ad quod idem nuncius ex magnitudinis tuae parte petebat, per nos aliquem virum idoneum destinari, qui praedictae doctrinae praepollens scientia, et munditia vitae refulgens, te suo sacro ministerio baptismi perducat ad gratiam, et per idem regenerationis lauacrum eiusdem sanctae matris Ecclesiae socians vnitati sacris instruat institutis. Vtinam princeps magnifice tibi nostri animi secretiora paterent: vtinam patenter inspiceres, quanta nos huiusmodi tua petitio iucunditate resperfit, quantam nobis, si de ipsa constitisset plenius, exultationis et gaudii materiam ministrasset, quam libenter extensis intimae charitatis brachiis, et sinu pietatis aperto venienti ad salutem filio Apostolicae sedis benignitas anhelo spiritu, et concitis gradibus occurrisset. Hoc etenim, salutem videlicet animarum in cunctis nationibus diuinitus humilitatis nostrae curae commissis desideranter exquirimus: hoc plenis desideriis, et totis nisibus affectamus. O quanta infunditur menti nostrae iucunditas, dum intra pectoris claustra reuoluimus, quam gratus Creatoris et Redemptoris tui, qui pro redemptione humani generis se passioni crucis exposuit, conspectibus appareres, si te tuosque subditos, qui ad meritorum tuorum cumulum, et aeternae retributionis augmentum tua creduntur in hoc imitari vestigia, insignitos baptismatis, et aliis Christianitatis insigniis ipsius praesentiae in die tremendi iudicii praesentares. O quanto securius tanta tuorum ex laudabili de inimici faucibus ereptorum caterua stipatus illud tam terribile iudicium expectares. Considera fili, considera quam cito praeterit figura huius mundi, quam subito, quam facile hominis compago*

 *dissol-*

[illegible]

[illegible] ui offerimus, prosequamur.

## N. XVIII.

Ex ODOR. RAYNALDO l. c. ann. 1264. n. 52. p. [illegible]

BELAE illustri Regi Vngariae.

Nimis aliquando fuit nobis horridum audire discrimina illata regno Vngariae a feritate damnabili Tartarorum: horribi-

[illegible]

*bus* (horribilius) *quidem et amarius est cordi nostro illa percipere, ad quae humani generis inimicus te et charissimum in* CHRISTO *filium nostrum* STEPHANVM *Regem primogenitum tuum dicitur instigare. Sane tristes audiuimus, et referimus cum dolore, quod inter te ac eumdem primogenitum materia dissensionis exorta, ipse contra te Cumanorum, tuque contra eum paganorum de Liuonia et aliorum infidelium vicinorum auxilium intenditis inuocare: et hostilem congressum adinuicem experiri: de quo non solum praedicto regno, sed etiam multitudini fidelium, manentium in locis conterminis, graue in personis et rebus posset periculum imminere. Quia vero nil magis nostris incumbit affectibus, quam quod vniuersi* CHRISTI *fideles ad obtinenda transitoriae pacis gaudia, et consequenda quietis aeternae praemia, fauente Regis aeterni clementia, disponamus; celsitudinem tuam affectione paterna requirimus, et per Dei misericordiam obsecramus; ac etiam nihilominus sub excommunicationis poena tibi districtius inhibemus, quod ad tam crudele propositum exequendum aliquo modo non procedas, sed ad hoc tui dirigas virtutem animi, et acumen conuertas ingenii: vt tu et idem primogenitus in tranquillo et suaui regimine fidelium vestrò dominio subditorum sitis vnanimes, et alios bonis operibus in conspectu Dei et hominum relucentes, diuitias et thesauros vestros, quos in vestram et regni praefati effundi perniciem inconsulte suggerit impetus voluntatis, in pietatis opera conuertatis; scilicet in subsidium Terrae sanctae, vel in consolationis abundantiam, Ecclesiis, Monasteriis, et alias piis regni praedicti locis, destructis per Tartaros, opportunam seu necessariam orphanis, pupillis et viduis, aliisque pauperibus et egenis. Haec etiam sancta opum effusio erit vobis in acquisitionem perpetuam clari nominis, vel potius ad gloriae meritum, quo ciuium gloriosa fruitur acies aeternorum. Haec etiam bonorum beata dispersio aliorum excellentiae principum erit in salutiferae largitatis exemplum. Tu igitur, fili charissime, infusam cordi nostro tristitiam de illa intentione pessima, quam tu et idem primogenitus ad instinctum tenebrarum principis damnabiliter concepistis, festinus nobis conuertas in iubilum, et*

*toti caelesti curiae in solemnia gaudiorum; pro firmo ducens, quod si tu et idem primogenitus nostri desiderii pietatem promptis affectibus ad effectum in hac parte duxeritis, nos semper vobis in Domino gratiosos et affabiles sentietis: alias autem vestro commodo et honori grauiter derogasse dolebitis, si quod a nobis tam pie, tam affectuose deposcitur, in negligentiam transeat, vel contemptibiliter omittatur. Dat. apud Vrbem veterem IV. non. Februarii Anno III.*

## N. XVIIII.

ODOR. RAYNALDVS *vbi supra ann. 1267. n. 70. 71. p. 155.*

Viro illustri et magnifico principi in gente nobili Tartarorum ELCHANI APACHA in praesenti gratiam Creatoris, et in futuro gloriam obtinere.

*Nuper virum nobilem tuae magnitudinis nuntium benigne recepimus, et ab eo sub tuo nomine quasdam recepimus literas; et quae nobis per interpretem exponere voluit, intelleximus diligenter. Sane licet literas, quas exhibuit, nullus de his, qui erant in nostra curia, legere nobis sciuit; nec tu sicut alias feceras, in lingua Latina scripseras nobis; solis verbis illius, qui eas attulit, oportuit nos intendere, et iuxta qualitatem illorum tuae magnificentiae respondere. Inprimis igitur gratias agimus Deo nostro, bonorum omnium largitori, quod tui cordis illuminauit oculos; vt eundem agnoscens, et eius Filium vnigenitum pro salute humani generis Crucifixum humiliter adorares, et crucis suae vexillum reuerenter honorares. Ecce gaudes, vt asseris, de victoria, quam habuimus in regno Siciliae, cuius MANFREDVS, naturalis filius FREDERICI, quondam Imperatoris Rom. temerarius occupator, per manum validam charissimi in CHRISTO filii nostri CAROLI, cui regnum idem concessimus, in bello campestri regno excidit priuatus et vita cum perfidorum Christianorum et Saracenorum multitudine copiosa. Ecce Reges Franciae et Nauarrae cum multis comitibus et baronibus, et militibus, et aliis infinitis, Terrae Sanctae negocium assumentes, crucis insigniti charactere,*

com-

*contra crucis et fidei inimicos se viriliter praeparant, et potenter; iamque de regionibus aliis multi magni et parui eorum prouocantur exemplo, vt* CHRISTI *nomen totis exaltent viribus, vt potentiam Saracenorum sectam etiam et nomen extinguant. Verum super his quae scripsisti, quod videlicet similiter cum tuo socero adiuuare Latinos intendis, gratias tibi referimus copiosas. Quo tamen nostri proponant venire itinere, rescribere tibi non possumus, regibus inconsultis: sed eisdem significabimus tuum et soceri tui consilium, vt melius deliberare valeant, quid eis videatur agendum, et super his per certum nuntium, tuam magnificentiam possimus reddere certiorem. Sta igitur, princeps magne, in salubri proposito: nam sperare debes in Domino, quod si bene ei seruieris, tuum firmabit solium, et multipliciter exaltabit. Sua est potentia, suum est regnum, in manu eius sunt omnia corda Regum: quos vult humiliat, et quos vult exaltat: eius nutu vniuersa reguntur, nec est qui valeat eius resistere voluntati. Dat. Viterbii anno III.*

## N. XX.

EX ODOR. RAYNALDI *Annal. T. XIV. ann. 1274. n. 23. p. 224.* LVCAE WADDINGI *Annal. Minor. T. IV. ann. 1275. p. 416. s.* et IO. HARDVINI *Conciliis Tom. VII. p. 704. N. IV.*

ABAGHAE Regi Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Excellentiae tuae literas et nuntios latores ipsarum, quorum alterum postmodum sors vt dicitur, humana subduxit, ad nostram praesentiam venientes, vna cum sacro concilio aduentus eorum tempore in nostra praesentia congregato, in quo, sicut per superstitis relationem intelligere poteris, principum et praelatorum multitudo copiosa et veneranda conuenit; cum animi laetitia et vultus serenitate recepimus: et literis in communi perlectis, ac nuntiis ipsis benigne in omnibus, quae proponere voluerunt, auditis; cor-*

*corde contrito et humiliato spiritu exorauimus et exoramus* (1) *Altissimum, vt ipse, qui est lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, tibi et tuis sua pietate concedat, sic semper in lumine vultus sui lumen veritatis agnoscere, quod in suis beneplacitis ambulantes, ad exaltationem fidei Christianae, vestramque salutem indefesso proposito intendatis. Caeterum super iis, quae per nuntios et literas praedictas tua magnificentia intimauit, ante Christiani exercitus ad transmarinas partes aduentum disponimus ad tuam praesentiam legatos nostros, prout opportunitas permiserit, destinare: qui et magnitudini tuae ad illa plene respondeant, et te nihilo minus ad alia, quae, si aures illis exauditionis praestiteris, tuam tuorumque salutem et vtilitatem communem respicient, solerter inducant. Dat. Lugduni III. id. martii anno III.*

## N. XXI.

Ex ODOR. RAYNALDO *Tom. IV. ann. 1278. n. 18. p. 282.* et L. WADINGO *T. V. p. 36. s.*

Excellenti et magnifico principi ABAGHAE Regi orientalium Tartarorum illustri, viam agnoscere veritatis.

*Exultauit et exultat in Domino Romana mater Ecclesia in iis, quae grata felicis recordationis* IOANNI *Papae praedecessori nostro, et eius fratribus accepta quamplurimum,* IOANNES VASALLI *miles, et* IACOBVS VASALLI, *magnificentiae tuae nuncii, eisdem praedecessori, et fratribus ex parte tua quaedam contenta literis, et quaedam expressa viuae vocis oraculo portauerunt. Sub tuo namque nomine praesentatae per eosdem nuntios eidem praedecessori literae, sicut asseritur, continebant, quod si Christianum exercitum in Terram sanctam transfretare contigerit; tu terram tuam, et prouisionem victualium ipsius exercitus Christiani, nec non et personam tuam, ac potentiam tui exercitus con-*

(1) *Verba* et exoramus *omittit* WADDING.

*contra inimicos Christianae fidei, videlicet Saracenos, deuota promptitudine offerebas. In fine vero continebatur earum, quod eisdem nuntiis in omnibus, quae vero (1) parte tua dicerent, crederetur: sub qua credulitate, rem Deo placitam, eisdem praedecessori et fratribus, inter quos nos tunc officium Cardinalatus habebat, amabilem retulerunt. Est quidem res ipsa digna laetitia, plena iubilo, tota diuinae laudis extollenda praeconiis, quae si factis dicta frequentibus confirmentur, salutem tantarum continet animarum, videlicet, quod (2) charissimi in* CHRISTO *filii nostri* QVOBLEY *magni Caani Imperatoris et moderatoris omnium Tartarorum illustris, auunculi tui (qui iam dudum fuisse asseritur baptizatus) et tuis inhaeret affectibus, personas aliquas ad vos per Romanam ecclesiam destinari, per quos in Christiana fide, vos, filii, populique vestri instrui valeatis; et ab eisdem praedicti filii vestri, et alii de vtriusque populo seu exercitu baptizari. Laetetur ergo mater Ecclesia, si sponso suo* IESV CHRISTO, *sua misericordi operante clementia, tot possit filios per baptismi lauacrum generare. Laetetur et pastor ecclesiae, si Christiana plebs, suis temporibus tanti populi quasi infinito numero augeatur. Quid miri si coetus exultet angelicus in tantarum perditarum ouium obtenta salute, cui secundum euangelicam veritatem, vnius peccatoris poenitentia super nonaginta nouem iustis praedicatur acceptior? O nostra beata tempora, si diebus nostris tale, ac tantum gaudium possemus illi caelesti curiae praesentare! Sane, quae per easdem literas tua obtulit prompta deuotio, gratanter eorumdem praedecessoris et fratrum non immerito sensibus adhaeserunt Grandia enim sunt, immo maxima reputamus, quae sic deuote porrigit, et sic prompte promittit tuae celsitudinis magnitudo. Nec est verisimile. quin digitus Dei circa hoc operetur in te, quod tantus zelus ad negotium* CHRISTI *cor tuum videtur accendere, (3) vt te ipsum, populi tui robur, terram, ac victualia contra inimicos* CHRISTI *deliberaueris exponenda. Super eo vero, quod de prae-*

(k)

(1) *Rectius* WADDING. pro. (2) *Add. ex eodem:* voluntas et desiderium sit, (3) ascendere, *Id.*

*praefatis personis, per eamdem Ecclesiam transmittendis, praedicti nuntii sub praedicta credentia retulerunt, dictus praedecessor grata sibi quamplurimum tua per eosdem nuntios facta requisitione commotus, certos nuntios propter hoc ad partes illas decreuerat destinare; quos ad id diligenter accinctos superueniens obitus praedecessoris eiusdem ab imposito eis itinere non indigne retraxit. Vnde nos post alicuius decursum temporis ipsius* CHRISTI *vicarius et* B. PETRI, *disponente Domino, licet immeriti, successor* (4) *effecti; super omnia, quae nobis ex iniuncto incumbunt apostolatus officio ad tuam omniumque salutem, nostrae intentionis dirigimus aciem; ad hanc praecipue mentis nostrae firmamus affectum, circa eam diligenti studio, et studiosa diligentia vigilantes, vt errantes ad viam veritatis reducere, omnesque Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus. Vnde tibi de oblato succursu actiones referimus gratiarum, et quod super praemissis expediat, cum tempus adfuerit, prout rerum et temporum exegerit qualitas, salubriter, dante Domino, disponemus. Pro tua* (5) *quoque praedicti Caani,* (6) *filiorum, populique sui, tua, populique tui procuranda salute seruitutis nostrae debitum exsoluentes, fratres* GERARDVM *de* PRATO, ANTONIVM *de* PARMA, IOANNEM *de S* AGATHA, ANDREAM *de* FLORENTIA, *et* MATTHAEVM *de* ARETIO *Ordinis Minorum, latores praesentium, viros religione conspicuos, honestate vitae pudicos, morum claritate decoros, et S. Scripturae scientia praeditos; vt tu, filii, populusque tuus,* (7) *ipsum Dominum* IESVM CHRISTVM *Saluatorem nostrum salutaribus eorum eruditionibus agnoscendo, ac ab eis illi ex vobis, qui nullum baptismum hactenus, vel non in forma debita receperunt,* In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti; (8) *auctoritate nostra secundum ritum, quem in hoc eadem seruat Ecclesia* CHRISTI, *baptismate baptizati nomen suum gloriosum, quod est super omne nomen, Christianae fidei obseruatione colatis; de fratrum nostrorum consilio duxi-*

(4) successores, *Id.* (5) sua, *Id.* (6) Cham, *Id.* (7) tui, *Id.* (8) Amen, *Id.*

*duximus destinandos. Quibus etiam per nostras literas, et oraculo viuae vocis iniunximus, vt opportuno tempore iuxta prudentiae tuae motum, ad praefatum Caam se personaliter conferant, vt et ibi circa salutem animarum procurent iuxta datam ipsis diuinitus gratiam, ac Deo miserante perficiant, quod eorundem asseruit relatio nuntiorum; et* CHRISTI *operante clementia, deuota mente cupimus et speramus. Ideoque magnificentiam tuam monemus,* (9) *rogamus, et hortamur attente, quatenus eosdem Fratres Minores, seu illos ex eis, quos ad te peruenire contigerit, si forsan eorum aliquem mors, vel casus aliquis a prosecutione iniuncti eis per nos itineris impediret, imo potius nos in ipsis pro diuina, et nostra reuerentia benigne recipiens, et honeste pertractans super iis, quae tibi ex parte nostra de susceptione baptismi, et instructione Christianae fidei, ac ipsius obseruantia, et aliis, quae salutem respiciant animarum, retulerint, fidem indubitatam adhibere procures, eos cum securo conductu ad praefatum Cham, cum expensarum, et aliorum necessariorum prouisione, matura deliberatione transmittens. Et nihilominus cum nos propter viarum pericula, longitudinem itineris, et incertitudinem temporis, per quod eosdem in partibus illis oporteat immorari, nequiuerimus eisdem in determinata, et certa necessariorum sufficientia prouidere, quamdiu ipsos in partibus illis morari contigerit, prouideas diligenter, ac sufficienter eisdem in eundo, morando, ac redeundo ad nos, de securo conductu, et necessariis opportunis, vt ipsi ad praesentiam nostram, et praedictorum Fratrum nostrorum cum optato fructu tanti populi speratae salutis, laeti de suis laboriosis operibus tuto valeant remeare. Christianos autem confluentes ad loca tuae ditioni subiecta, vel morantes in eis tuae Magnificentiae commendamus, et vt ipsos fauorabiliter prosequens protectione tuae potentis dexterae munias, et defendas, vt per hoc et alia, quae, vt speramus, exercebis opera charitatis, et gloriam in praesenti, et aeternae retributionis praemium recipias in futuro. Nos enim et Fratres nostri diuinam clementiam suppliciter exoramus, vt sic tibi,*



(9) *Quae sequuntur, habet* WADDING.

*bi, et filiis eisdem dies prosperitatis adaugeat, et actus nostros dirigat ad salutem, quod vobis, populo, exercituque praedictis cum Catholicis in lucis ambulantibus claritate in felicibus vestris successibus, aeterni Patris oculi delectentur. Datum Romae apud sanctum* PETRVM *Kalend. Aprilis, anno I.*

## N. XXII.

ODOR. RAYNALDVS *vbi supra n. 20. s. p. 283.* et LVC. WADDINGVS *l. c. p. 40. s.*

Charissimo in CHRISTO filio QVOBLEY (1) magno Caano Imperatori et moderatori omnium Tartarorum salutem et apostolicam benedictionem.

*Plasmator hominis Deus, de parentis protoplasti fraude facta generi humano patienti compatiens, vt hominem redimeret peccati labe collapsum: quem ad imaginem suam, similitudinemque formauerat, quemadmodum legis aenigmata figurabant, et sanctis patribus promissum fuerat in prophetis; ex nimia charitate misit in mundum Filium suum vnigenitum Dominum* (2) IESVM CHRISTVM, *sibi coaeternum, et maiestate potestatis aequalem, factum ex muliere, in cuius sacro vtero, non ex virili semine, sed sancti Spiritus operatione conceptus; inde, pariendi completo tempore, permanente gloria maternae virginitatis, egressus, cunctis visibilem se ostendit: et tandem illos, pro quorum salute de excelso solio, ad solium infimum mundi descenderat, salutaribus institutis informans, et viam vitae ipsis indice perfectae doctrinae demonstrans; post sanctae conuersationis exempla, post euangelicae instructionis eloquia, postquam se verum hominem, verum Deum, ac Dei Filium sacris scripturis, signis et virtutibus comprobauit; licet esset impassibilis diuinitate, vera tamen, quam assumpserat, humanitate passibilis, dignatus est, sub dirae crucis supplicio mortem pati, vt poenali praesentis vitae fine poenam mortis perpetuae, quam protoplasti posteritas ipsius incurrerat transgressione, finiret,* et

---

(1) QVOLIBEY, WADD. (2) nostrum. *Id.*

*et de amaro calice suae mortis temporalis hauriret homo vitae dulcedinem sempiternae. Pro humani ergo redemptione generis se hostiam exhibens, illud suae salutis hoste prostrato, de opprobrio servitutis eripuit ad gloriam libertatis caelestis, sibi patriae ostium reserando: et deinde, licet passus, mortuus et sepultus vt homo; die tertia tamen a mortuis diuina virtute resurgens, ac testibus praeordinatis a Deo suam veram resurrectionem, per quam et nostram firmiter speramus et credimus, manifestans, ipsos ad praedicandum Euangelium omni creaturae, ac baptizandum omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti in vniuersum mundum, tamquam salutis humani generis angelos destinauit. Et demum eisdem videntibus, vt iidem ascensionis, qui et resurrectionis testes existerent, in caelum eleuatus ascendens, vicarium sibi beatum* PETRVM *reliquit in terris, cui animarum curam, vt earum saluti prospiceret, amoris eius constantia trinae professionis argumento probata, commisit, tradens sibi claues regni caelorum, per quas ipse, suique post eum successores potestatem aperiendi omnibus, et claudendi eiusdem regni ianuam obtinerent; ac in eis in dispensatione caelestis gratiae summae potestatis auctoritas resideret. Haec ergo ipsis imminet ex apostolatus officio cura praecipua, salutem quaerere singulorum. Hanc exemplo Saluatoris pendentis in cruce sitit* CHRISTI *vicarius: hanc piscando perquirit piscatoris* PETRI *successor. Haec ciuitatem Dei obtenta* (3) *laetificat: haec etiam in vmbrae mortis regione degentibus per vias gradientibus tenebrarum, aliquibus sperata praesagiis, mentem summi pastoris exhilarat, officium excitat cura promouere solicita, quatenus ambulantes in tenebris videant lucem magnam. Porro ab olim in eo Romana mater exultauit ecclesia, et felicis recordationis* IOANNES *Papa praedecessor noster laetitiae incrementa suscepit, quod de te per* ABAGVA (4) *Regem orientalium Tartarorum illustrem, nepotem tuum, suis extitit auribus intimatum; videlicet quod dudum te gratia diuina praeueniens mentem tuam sua misericordi virtute commouit, vt semitas erroris abiiciens, vias incederes veritatis,*



(3) obtentam, *Id.* (4) ABAGHAM, *Id. et sic semper.*

*tatis, recipiendo* CHRISTI *baptismum; vt sic regeneratus in* CHRISTO, *populo fidelium iungereris. Ex hoc tua fertur accensa deuotio, vt sacrosanctam Romanam reuerearis ecclesiam, cultum diligas Christianum, et ipsos Christianos, sub ditionis tuae degentes imperio, charitatiue foueas, fauorique (5) munias, benigne pertractes, ac ipsos in libertate conserues; et in tantum, prout asseritur, gratia te diuina prosequitur, quod natos tuos ad agnitionem* CHRISTI, *et eius quam praedicauit et docuit veram fidem, peruenire desiderans, eos de auctoritate Romanae ecclesiae appetas baptizari; vt ab ipso* CHRISTO *dici valeant veraciter Christiani, et veteribus erroribus derelictis, per viam veritatis euntes, per bona opera suas animas possint reddere Creatori. Nec hoc tantum in filiis, quinimo in toto tuo exercitu affectas, sicut fertur, impleri. O si ita sit, laudanda paternitas, quae suos filios, ne pereant, dirigit ad salutem! O ducatus fidei (6) ducis errantis exercitus, dignis laudum praeconiis attollendus, qui ductos in deuium reducere conatur ad viam; exercet suis studiis, vt errans exercitus a noxiis retrahatur exercitiis: et ad salutaria dirigatur! O summi Dei laudanda clementia, quae tantum populum, tantis erroribus, tanto tempore excoecatum, oculis suae pietatis aspiciens, semitas aperit, vt perducatur ad lucem! Confirmet autem Deus, quod operatus est in te: tuque a Deo tibi factam gratiam deuota mente conserua, vt et ipse quam coepit, adaugeat, quousque haec scintilla tenui (7) sua, quae praeuenit, sequente gratia, in ardorem transeat salutiferae charitatis. Quum autem idem* ABAGVA *dicto praedecessori suis literis et nuntiis, sicut asseritur, intimarit, quod tuis, vt dictum est, inhaeret affectibus, personas aliquas ad te per eandem Ecclesiam destinari, per quas in Christiana fide plenarie instrui, et ab eisdem dicti filii tui, et alii de tuo exercitu baptizari possitis; praedictus praedecessor, eiusdem* ABAGVA *grata requisitione commonitus, certos nuntios propter hoc ad partes illas decreuerat destinandos, quos ad id diligenter accinctos, superueniens obitus praedecessoris eiusdem ab imposito eis itinere non*

(5) fauoribus, *Id.* (6) fidi, *Id.* (7) tenuis, *Id.*

*non indigne retraxit. Vnde nos, qui tunc Cardinalatus officium gerebamus, post alicuius decursum temporis ipsius* CHRISTI *vicarius, et* PETRI, *licet immeriti, disponente Domino, successor* (8) *effecti, super omnia, quae nobis ex iniuncto incumbunt apostolatus officio, ad tuam omniumque salutem nostrae intentionis dirigimus aciem: ad hanc praecipue mentis nostrae destinamus affectum: circa eam diligenti studio, et studiosa diligentia vigilantes, vt errantes ad viam veritatis inducere, omnesque Deo lucrifacere sua nobis cooperante gratia valeamus. Verum quia, humanae conditionis renitente natura, vno eodemque tempore diuersis locis praesentialiter adesse nequimus, ne vllatenus negligere videamur absentes, ad eos viros discretos et prouidos transmittimus vice nostra; ipsorum ministerio circa illos apostolicae seruitutis debitum exoluentes. Hinc est, quod in ipsis nostrae promotionis auspiciis, quae praemissa sunt cum fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus recensentes, pro tua, filiorum, populique praedictorum procuranda salute dilectos filios fratres* GERARDVM *de* PRATO, ANTONIVM *de* PARMA, IOANNEM *de S.* AGATHA, ANDREAM *de* FLORENTIA, *et* MATTHAEVM *de* ARETIO *Ordinis Minorum, latores praesentium, viros religione conspicuos, honestatis vita pudicos, morum claritate decoros, et sacrae scripturae scientia praeditos; vt tu, filii, populusque praedicti, ipsum Dominum* IESVM CHRISTVM *Saluatorem nostrum, salutaribus eorum eruditionibus agnoscendo, ac iidem filii, et alii de populo tuo, qui nullum baptismum hactenus, vel non in forma debita receperunt, ab eis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, auctoritate nostra secundum ritum, quem in hoc eadem seruat Ecclesia,* CHRISTI *baptismate baptizati nomen suum gloriosum, quod est super omne nomen, Christianae fidei obseruatione colatis; de ipsorum fratrum nostrorum consilio duximus destinandos. Ideoque celsitudinem tuam monemus, rogamus, et hortamur attente, quatenus eosdem fratres Minores, seu illos ex eis, quos ad te peruenire contigerit, si forsan ipsorum aliquem mors vel casus aliquis*

a

(8) successores, *Id.*

*a prosecutione iniuncti eis per nos itineris impediret, immo potius nos in ipsis pro diuina et nostra reuerentia benigne recipiens, ac honeste pertractans, super iis, quae tibi ex parte nostra de susceptione baptismi et instructione Christianae fidei, ac ipsius obseruantia, et aliis, quae salutem contineant animarum, dixerint, fidem indubitatam adhibere procures: et nihilominus cum nos propter viarum pericula, longitudinem itineris, et incertitudinem temporis, per quod eosdem in partibus illis oporteat immorari, nequivimus eisdem in determinata et certa necessarierum sufficientia prouidere, quamdiu ipsos in partibus eisdem morari contigerit, prouideas diligenter ac sufficienter eisdem in eundo, morando, et redeundo ad nos de securo conductu et necessariis opportunis; vt ipsi ad praesentiam nostram, et praedictorum* (fratrum) *nostrorum, cum optato fructu tanti populi speratae salutis laeti de suis laboriosis operibus tute valeant remeare. Tu vero Christianos omnes ad tuum confluentes Imperium, seu morantes in ipso fauorabiliter prosequens, ipsos dextrae tuae protectione munias et defendas, vt per hoc et alia quae, vt speramus, exercebis opera charitatis, et gloriam in praesenti et aeternae retributionis praemium recipias in futuro. Datum Romae apud S.* PETRUM *II. non. Aprilis anno I.*

## N. XXIII.

EX LVCA WADDINGO *Tom. V. p. 40. s.*

Fratribus GERARDO de PRATO, ANTONIO de PARMA, IOANNI de S. AGATHA, et ANDREAE de FLORENTIA, ac MATTHAEO de ARETIO Ordinis Minorum in terras Tartarorum proficiscentibus, Nuntiis nostris.

*Aeterni Pastoris, licet immeriti, vices tenentes in terris supra vires nostras per hoc nobis onus incumbere noscimus, sed ad id nos esse potissime obligatos aduertimus, vt de salute cunctorum incessabili sollicitudine cogitemus. Hanc profecto feruenti desiderio cupimus, vigili attentione perquirimus, et quantum nobis ex alto permittitur, vehementi studio procuramus. Sed licet mens nostra*

*vrgen-*

*vrgentibus agendis innumeris meditatione multiplici diſtrahatur, numquam tamen ab illa oculum noſtrae intentae conſiderationis avertit. Imminet enim nobis compaſſionis ac doloris multa materia, quod videmus plurimos diabolica fraude deceptos cordis coecitate perire, nonnullos, qui viam ſalutis prorſus ignorant, multos vero quoniam ab ea damnabiliter declinarunt. Quare oportet ne in commiſſi nobis officii executione id quod magis expedit, per negligentiam omittamus, vt animarum ipſorum periculis, quibus poſſumus remediis obuiemus. Rogantes Altiſſimum, quod errantibus, vt in viam poſſint redire iuſtitiae, veritatis ſuae lumen oſtendat, vt cognoſcentes veram lucem, quae* CHRISTVS *eſt, illa reſpuant, quae huic inimica ſunt nomini, et ea quae ſunt apta ſectentur. Cum autem ſicut Magnificus Princeps* ABAGHA *Rex Orientalium Tartarorum illuſtris, felicis recordationis* IOANNI *Papae praedeceſſori noſtro, eiusque fratribus, inter quos nos tunc officium Cardinalatus habebat, ſuis litteris et nuntiis intimauit, cariſſimus in* CHRISTO *filius noſter* QVOLIBEY, *Magnus Cham, Imperator, et moderator omnium Tartarorum Illuſtris, qui Chriſtianus aſſeritur, et ipſe plenis expectent affectibus perſonas aliquas ad partes illas per Romanam Eccleſiam deſtinari, per quas ipſi, filii, populique ſui poſſint in chriſtiana fide inſtrui, et ab eisdem perſonis praedicti filii, et populi, aliique de ipſorum exercitibus baptizari. Nos* CHRISTI *Vicarius et beati* PETRI, *diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores effecti, praedicti* ABAGHAE *grata nobis quamplurimum perceptione commoti, vt pro tantorum Principum, et populorum procuranda ſalute ſeruitutis noſtrae debitum exoluamus, ad vos quos nouimus viros religionis claritate fulgentes, morum honeſtate decoros, et diuerſarum virtutum titulis divinitus inſignitos, ac litterali ſcientia multipliciter circumfultos, propriam mentem conuertimus, et oculos fiducialiter aperimus, vt vobis de quorum ſtudioſis operibus fructus vtiles, Deo placitos et nobis acceptos ſperamus, et credimus prouenturos, ſuper hoc onus noſtrae ſollicitudinis imponamus. Vos igitur ad partes easdem de fratrum noſtrorum conſilio, tamquam ſalutis Angelos ad exercendum*

*dum inibi opus Dominicum, iuxta professae religionis officium, prudenter accinctos, duximus destinandos; deuotioni vestrae praesentium tenore ac in remissionem peccatorum omnium iniungentes, quatenus sperantes in illo, qui suorum gressus dirigit in salutem, illuc fiducialiter accedatis, et eosdem* ABAGHAM, *filios, populos, et alios de exercitibus supradictis, iuxta datam vobis ab Altissimo gratiam, ad receptionem sacri baptismatis, et cognitionem verae et orthodoxae fidei attentis monitis, efficacibus exhortationibus, et instructionibus ipsius fidei generaliter, et singulariter inducatis, vt diuina cooperante clementia, et sermonem vestrum misericorditer confirmante, praedicti Cham et* ABAGHA, *filii et populi, ac alii memorati in professione ac obseruatione Catholicae fidei fidelium populis aggregentur, et per omnipotentiam diuini nominis salui fiant. Vt autem in praemissis eo securius procedatis, quo per nos sicut his et aliis, quae ad commissum vobis spectant officium, maiori fueritis auctoritate muniti, vobis et cuilibet vestrum praesentium tenore concedimus, vt in eisdem partibus vbi, quando, et quoties expedire videritis, proponere verbum Dei, et constitutis ibidem, etiam si aliqui sint excommunicatione ligati, in verbis, officio, et cibo ac aliis secure communicare, ac ipsos* ABAGHAM, *filios, populos, seu quoscumque alios conuerti ad vnitatem Christianae fidei cupientes, recipere, et baptizare, iuxta formam, quam in hoc eadem seruat Ecclesia, libere valeatis. Liceat etiam vobis communiter vel diuisim, ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apostolicae, qui sunt excommunicatione ligati, absolutionis beneficium, iuxta formam Ecclesiae impertiri, et super eo dispensare cum ipsis cuiuscumque conditionis extiterint, qui sacros receperunt ordines, et diuina celebrarunt officia sic ligati, nisi tales fraudulenter se ad partes illas pro his obtinendis gratiis transtulissent. Et vt ii, qui ad Ecclesiae Catholicae redierint vnitatem, quod inter suos habitent, eisque communicent. Similiter quoque concedimus, vt omnium fidelium dictarum partium confessiones audire, ac ipsis iniungere poenitentias salutares, et excommunicatos a canone, vel alio modo, iuxta praedictam formam, absoluere, dummodo iniuriam et damna*

*passis*

*passis satisfaciant competenter, ac occisores quoque Clericorum, et Religiosarum personarum in praedictis partibus constitutos absoluere: dummodo Ecclesiis, Monasteriis, et personis per hoc laesis condignam satisfactionem impendant, fundare de nouo ibidem Ecclesias in locis, vbi non sunt ad haec distinctae dioeceses, et dioecesani Episcopi non habentur, et taliter fundatis idoneos instituere Rectores, et illis, qui de praefatis populis nouiter fuerint conuersi dare licentiam, vt vxores suas, cum quibus in gradibus a lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere, dum tamen talis retentio ipsos coniuges ad mortale non pertrahat, et fieri possit absque contumelia Creatoris; et de caussis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam vestram, seu cuiuslibet vestrum deferri contigerit legitime cognoscere, ac discordantes inter se ad invicem quod ad pacem et concordiam redeant, et quod inordinate viuentes de suis excessibus, sicut iustum fuerit, et expedire videritis, satisfactionem exhibeant, compellere per censuram Ecclesiasticam libere valeatis. Volumus insuper, quod in terris, et locis, in quibus vos hospitari contigerit, in illis specialiter partium praedictarum, in quibus residentiam facietis, etiam si ibidem Ecclesiae, vel oratoria non existant, missam et cetera diuina celebrandi officia, et in eisdem partibus benedicendi Coemeteria, indulgentias dandi, vota commutandi, ac vestes sacerdotales, altaria, pallas, et corporalia per eos, qui ex vobis sunt presbyteri benedicendi, vbi Catholicorum Episcoporum copia non habetur, nec non omnia alia et singula faciendi, quae ad augmentum diuini nominis, et ampliationem Ecclesiae fidei, ac reprobationem, et iritationem illorum, qui sacris traditionibus contradicunt, sicut pro loco et tempore videritis expedire, communiter et singulariter liberam licentiam habeatis. Datum Romae apud sanctum* PETRVM *Kalend. Aprilis, anno I.*

# N. XXIIII.

LVCAS WADDINGVS *vbi supra p. 42.*

Venerabili fratri PHILIPPO Episcopo Firman. Apostolicae Sedis Legato.

*Sicut dilectus filius Minister Prouincialis Fratrum Ordinis Minorum Regni Hungariae nobis significare curauit, quamplures Fratres eiusdem Ordinis inter Tartaros commorantur, qui fidem* CHRISTI *gratiosis studiis annunciantes eisdem, multos ex eis ad fidem ipsam, diuina cooperante gratia, conuerterunt. Quum autem nullus sit ibi Catholicus Episcopus, qui eosdem Fratres ad sacros Ordines valeat promouere, et Ciuitas de multo posita in confinibus Tartarorum iamdudum per praedictos Tartaros destructa fuerit, nec inibi Episcopus, et alii Catholici habitatores extiterint quadraginta annis, et amplius iam elapsis; Fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus pro vtilitate animarum, si Episcopus inibi, vt praedicitur, esse consuerit, de prouentibus ad Sedem Apostolicam spectantibus, si qui prouenire possent, ne vilesceret Pontificalis auctoritas - - - et aliis circumstantiis diligenter inquisitis, quod de praemissis inueneris, nobis per tuas litteras harum seriem continentes, studeas fideliter intimare. Datum Viterbii Nonis Octobris, anno I.*

# N. XXV.

EX ODOR. RAYNALDI *Annal. Tom. XIV. anno 1285. n. 79 p. 381.*

*In* CHRISTI *nomine Amen. Gratia Magni Can et verbum de* ARGONVM, *domino sancto Papa patri.* GINGISCAM *primo patri omnium Tartarorum. Et serenissimo domino Rege Francorum, et serenissimo domino Rege* CAROLO *praeceptum sum* (suum) *omnium Christianorum: non dentur aliquid de tributum,*

*et*

*et fiant franchi in sua terra. Magnus Can fecit gratiam ad* ISE TVRCIMAN. *Roba, et tus quod mixti ad ordo Cam* ARGVM. *Et praedictus* ISE TVRCIMAN *seruitus istis partibus donec compleantur esset tarde, et* BOGAGOC, *et* MENGILIC, *et* THOMAS BANCHRVI *et* VGETO TVRCIMAN *praedictis miximus in ista ambascata, si esset ad principium. Nostra prima mater erat Christiana. Magnus Cam nostrum bonum patrem* ALAVM, *et bonus* ABAGA *filius eius, quod custodiebantur omnium Christianorum in terra sua, et posse suo, et nobis domino sancto patri potestis intelligere. Et modo* COBLA *Cam, sicut erat primum principium, fecit gratiam. Et habui in corde voluntatem vel pensamentum ad domino sancto patri Papa mittantur robas, vel vestimentas, et tus; et nos* ARGONI *praeceptum de Cam, sicut erat mox terra Christianorum, faciebimus gratia, et habuerimus in nostra custodia. Et habemus in pensamentum, de eos custodire, et facere gratiam anno praeterito.* AMETO *erat intratus in moribus Saracinorum. Et terra Christianorum, quod non custodi. Et ideo venit tarde nostris ambascatoribus, et sciat modo, quod terra Saracinorum non sciat nobis in medium nostrum bonum patrem, nos qui sumus in istis partibus, et vobis qui estis in vestris partibus terram* SCAMI, *videlicet terram Aegypti inter nos, et vos estrengebimus*, id est, comprimemus, *vobis mitimus mesaticis*, hoc est nuntios, *supradictis, et vos quod mixistis pasagium et praelium in terram Aegypti, et sciat modo nos de istis partibus, et vos de vestris partibus estrengebimus in medium cum bonis hominibus, et mittatis nobis per bonum hominem, vbi vultis quod sciat praedictum factum: Saracenis de medio nostri leuabimus dominus sciat, et dominum Papa et Cam nostra litera anno de Gallo de luna madii die XVIII. in coris.*

# N. XXVI.

Ex ODOR. RAYNALDI *Annal. Tom. XIV. ann. 1288. n. 36. p. 403. s.* et LVCAE WADDINGI *Annal. Min. Tom. V. p. 170. s.*

NICOLAVS ARGONI Regi Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Ad summi praesulatus officium nuper nobis supernae dispositionis arbitrio, quo caelestia pariter et terrena dispositionem ordinemque suscipiunt, euocatis; venerabilis frater noster* BERSAVMA *episcopus in partibus orientis, nobilis vir* SABADINVS, THOMAS *de* ANFVSIS, *et* VGVETVS *interpres tuae magnitudinis nuntii, ad nostram praesentiam accedentes, regias nobis literas praesentarunt. Nos autem nuntios ipsos et literas libenti animo, vultuque sereno recepimus intuitu destinantis; et tam quae in literis continebantur eisdem, quam quae nunciorum praedictorum facta coram nobis et fratribus nostris propositio reserauit, benigne audiuimus, et intelleximus diligenter; gaudentes quamplurimum, et exultantes in Domino, in cuius manu corda sunt principum terrenorum, quod te clementer gratiae suae dono praeueniens, illo tui pectoris intima foecundauit affectu, quod sicut et literarum ipsarum tenor aperuit, et eorundem patefecit assertio nuntiorum, ad dilatandos Christianitatis fines feruens dirigitur desiderium mentis tuae; quodque de gentibus tuae ditionis subiectis imperio, fidei cultoribus Christianae te benignum et beneuolum exhibes, eosque non sine laudis humanae praeconio, et dispositionis indiciis ad salutem, quae de bono semper in melius deduci cupimus in augmentum, fauore prosequeris gratioso. De quo celsitudini regiae tanto gratiarum vberiores exoluimus actiones, quanto id plenior et benignior operatur affectus, et ex munificentia prouenire dignoscitur ampliori. Sane, princeps egregie tuis aperiri sensibus affectamus, quae Rex excelsus Filius summi Regis, de polorum sublimibus prodiens; et ad mundi huius infima, vt hominem, quem ad imaginem et similitudinem suam de limo terrae formauerat,*

de

*de seruitutis nexibus, in quos ipsum impegerat maligna suggestio, liberaret, clementi dignatione descendens* (1) *vestem nostrae mortalitatis assumpsit, vt proprii aspersione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac suos mortis aeternae tenebris obuolutos, vitae perennis efficeret possessores, qui commissae sibi legationis a Patre in regione peccantium piis studiis exercens officium, mundumque salutaribus institutis informans, tamdem post sanctae conuersationis et operationis exempla, post euangelicae instructionis eloquia, post doctrinae salutaris effectum, dirae mortis vltro supplicium subiit, dieque tertia resurrexit a mortuis gloriosus, vt mortem nostram moriendo destrueret, et vitam resurgendo benignius repararet. Qui postmodum transiturus de mundo ad Patrem, ac ascensurus in caelum, claues regni coelorum beato* PETRO *Apostolorum Principi, et per eum suis duxit successoribus committendas, per hoc eis tam sublimis potestatis auctoritatem impendens, vt quodcumque super terram ligatum redderent, ligatum haberetur in coelis, et quodcumque soluerent super terram, solutum existeret in eisdem. Vnde nos, licet insufficientibus meritis,* CHRISTI *Vicarii, et eiusdem* PETRI *successores in terris, disponente Domino, constituti, summo desiderio ducimur, vt quos baptismatis vnda consperfit, suosque Christiana fides professores agnouit, diuina feruenter complectantur obsequia, et salutaribus actibus immorentur. At illi quos lauacrum regenerationis ignorat, et eiusdem religio fidei non includit, erroris inuio, per quod periculosius elabuntur, omnino relicto, ad rectitudinis semitam, fauente Domino, reuocentur, ipsamque deuote colant, et sollicite seruent fidem. Haec est etenim fides recta, fides vera, fides fiduciam sperandae felicitatis impertiens: Haec est sine cuius concomitante suffragio placere Altissimo nemo potest, quae reatus expurgans commoda saluationis impendit. Per hanc aeternae beatitudinis gaudia, virtutis concurrentibus actibus, acquiruntur. Per hanc de arce mentis antiquus hostis expellitur. Haec corda mentesque purificat, et infidelitatis*

(1) *Quae sequuntur vsque ad verba* gloriae subsequitur, *addit* WADDINGVS.

*litatis nubilum suae radiis expiat claritatis. Haec est fundamentum virtutum omnium, sydus irradians, stella micans, solem iustitiae intelligentiaeque praeueniens, per quam dies oritur gratiae, quam dies gloriae subsequitur. Re vera, princeps magnifice, tuis in orbe terrarum titulis plenitudo gloriosae laudis accederet, ac nominis tui fama ingens susciperet incrementum, si te tam purae, tam solidae, tamque salutiferae fidei amplexibus dulcibus copulans, teque illius exhibens cognitorem, professorem ostendens, baptismum duceres assumendum. Grandia quoque supernis exinde gaudia ciuibus orirentur, laetaretur in immensum Ecclesia, quae rugam non habet, maculam non agnoscit, si tantum tamque potentem Regem sibi deuotum in filium vendicaret, totique populo Christiano de tam magnifici principis, et per eum innumerae vt speratur, multitudinis aliorum conuersione salubri copiosa exultationis materia praeberetur. Excitamus itaque magnitudinem regiam, et hortamur attentius; tibique, cuius in hac parte salutem exquirimus, sano et syncero consilio suademus, quatenus alta et sedula meditatione recogitans, quam fragilis et caduca humanae naturae conditio, quam plena periculis, quantis exposita casibus, quam sit instabilis status eius, (2) considerans etiam, quod a lege mortis, qua nihil certius cernitur, nihil habetur incertius hora eius, nullus excluditur, nullus effugit metas suas, nullus a dominio redditur exemptus illius, promptus exsurgas, praesto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianae fidei, et suscipiendum baptismatis sacramentum ad laudem diuini nominis, tuae salutis profectum et augmentum fidei supradictae, vt lucis suae radio illustratus, eius triumphalis efficiaris athleta, illius fines amplificans, terminosque dilatans, vt post vitae praesentis ergastulum a porta Inferi librereris, et eius diris cruciatibus poenisque grauissimis euitatis, aeternae beatitudinis praemia, quae omnem dulcedinem superant, omnem delectationem excedunt, tamquam Princeps emeritus consequaris. Datum Romae apud sanctum* PETRVM *IV. non. aprilis, anno I.*

**N. XXVII.**

---

(2) *Sequentia habet* WADDINGVS.

# N. XXVII.

## Ex RAYNALDO et WADDINGO *vbi ſupra.*

ARGONI Regi Tartarorum cet.

*Intelleximus referentibus venerabili fratre noſtro* BERSAVMA *epiſc. in partibus orientis, nobili viro* SABADINO, THOMA *de* ANFVSIS, *et* VGVETO *interque laicis, tuae magnitudinis nuntiis, quod ſi regnum Hieroſolymitanum de manibus liberari contigerit impiorum, in ciuitate Hieroſolymitana renaſci deſideras lauacro baptismali. Nos autem tuam tuorumque ſalutem propenſius cupientes, huiusmodi tuum ſalubre laudandumque propoſitum multipliciter in Domino commendamus. Verum quia magna ſpe ducimur, quod ſacro a te ſuſcepto baptismate, facilius, Domino fauente, proueniet regni memorati liberatio; quia etiam ſalutis tuae commodis expedire dignoſcitur, vt conceptum propoſitum perducere ſtudeas ſublato dilationis obſtaculo ad effectum; celſitudinem tuam excitandam attente duximus et hortandam, quatenus tibi ſalubriter conſulens, et exhortationibus noſtris, quae de puri pectoris intimo prodeunt, laudabiliter acquieſcens, ad baptismum promptus acceleres, illumque ad laudem Dei, tuaeque ſalutis profectum feſtinus ſuſcipere non omittas; tanto amplius proinde Domino placiturus, quanto celerius, et libentius ad ſuſceptionem eius procedere te continget, quantoque plures ad eam tuo exemplo laudabili prouocabis. Datum Romae apud S.* PETRVM *IV. non. apr. an. I.*

# N. XXVIII.

## Ex *iisdem ll. citt.*

Chariſſimae in CHRISTO filiae TVCTANI Reginae Tartarorum illuſtri ſalutem, et apoſtolicam benedictionem.

*Habet, chariſſima filia, fide dignae relationis expreſſio, quod tu catholicae fidei lumine illuſtrata, eam non ſolum ſtudiis ob-*

*obseruare solicitis comprobaris, sed alios etiam ad agnitionem illius excitando, et eius terminos dilatandos* (1), *opem et opera curiosa non desinis exhibere. Haec sunt profecto quae te reddunt in conspectu diuinae maiestatis acceptam, quae tibi laudis humanae praeconium vendicant, et augent multipliciter famam tuam; dum ex his pietatis diuinae clementiam, quae te de tenebris infidelitatis ereptam ad viam vitae reduxit, et ad veritatis semitam reuocauit, tamquam benedicta et reuerens filia recognoscis. Excitamus igitur magnitudinem tuam, et hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis tuae oculis erectis ad Dominum, cuius obsequiis salubriter adhaesisti, praemissa de bono in melius semper prosequaris, et quasi apis argumentosa procurare non cesses, vt eo gratior et praemiis digna maioribus occurras domino Deo tuo, quo vberiores bonorum operum in eius horreum manipulos introduces. Datum Romae apud S.* PETRVM *IV. non. aprilis anno I.*

## N. XXVIIII.

L. WADDINGI *Annal. Minor. Tom. V. p. 172. n. VII.*

Venerabili fratri DIONYSIO Episcopo in Taurisio in partibus Orientis salutem et Apostolicam benedictionem.

*Praesentatas nobis tuae fraternitatis litteras foecundae benignitatis affectu recepimus, et quae ipsarum series continebat plano collegimus intellectu, gaudentes et exultantes in Domino, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, quod sicut litterarum ipsarum tenor apertius innuebat, Christianam fidem, quam tenet, et seruat Romana mater Ecclesia, quamque a dilectis Fratribus Minoribus in partibus ipsis ad serenda inibi salutis semina, et in fide praedicta partium ipsarum incolas informandos morantibus accepisti, te tenere ac seruare sollicite profiteris: commendantes itaque deuotionem, reuerentiam, et obedientiam tuam, quam habere dignosceris erga Romanam Ecclesiam supra dictam, fraternita-*

(1) *dilatando*, WADDING.

*nitatem tuam excitandam attente duximus, et hortandam, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, qui seruos suos coelestis benedictionis efficit possessores, Christianam fidem feruenter amplectens, et constanter obseruans, alios in ea, iuxta datam tibi ex alto prudentiam, solerter instruas, et informes, vt eo reddaris acceptior et gratiosior Domino Deo tuo, quo plures per tuae sollicitudinis studium de infidelitatis nubilo ad Christianae fidei claritatem, et de erroris inuio ad rectitudinis semitam reuocabis. Ceterum praedictos Fratres intuitu Dei, cuius prosequuntur obsequia, et ob reuerentiam Apostolicae sedis et nostram recommendatos specialiter habeas, et fauorabiliter prosequaris, vt tui fauoris auxilio communiti, vtilius, et efficacius salutis opera prosequi valeant, quae exercent, tuque proinde ab omnium retributore bonorum illa merearis consequi praemia, quae pro piis actibus recompensat. Vt autem in fide Christiana, quam tenet et seruat Romana mater Ecclesia, plenius et efficacius valeas alios informare, dictam fidem, ac eius formam praesentibus fecimus annotari, quae sunt haec.* Credimus sanctam Trinitatem, reliqua. *Datum Romae apud sanctum* PETRVM *VII. Idus Aprilis, anno I.*

## N. XXX.

EX ODOR. RAYNALDO *Tom. XIV. ann. 1288. n. 35.*

SABADINO ARCHAON cet.

*Te nuper ad nostram praesentiam accedentem affectione paterna recepimus, et benigne audiuimus, quae coram nobis proponere voluisti; laetantes in Domino, quod sis fidei catholicae lumine illustratus, et lauacro regenerationis aspersus, in iis salubri studio diceris delectari, quae sint in oculis diuinae Maiestatis accepta, et in tuae salutis cedant augumentum, et dilatationem fidei Christianae. Duximus itaque solicitudinem tuam excitandam attentius et hortandam, quatenus praemissa de bono semper in melius prosequaris, et eo gratiosior occurras domino Deo tuo, quo maiori extiteris cumulo meritorum. Caeterum quia benedictionis nostrae*

*munus exhibere tibi humiliter postulasti, nos tuis deuotis precibus benignius annuentes, benedictionem nostram in remissionem tuorum tibi concedimus peccatorum.* Dat. Romae apud S. PETRVM *idibus aprilis anno I.*

## N. XXXI.

EX ODOR. RAYNALDO *Tom. XIV. ann.* 1289. *n.* 60. *p.* 419. *s.* et L. WADDINGI *Annal. Minor. Tom. V. p.* 195. *s.*

ARGONI Regi Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

(1) *Inter cetera desideria cordis nostri, hoc nouimus esse potissimum, hoc propensius affectamus, vt cuncti Reges, et Principes orbis terrae, ceterique gentium populi sic salubriter dirigant gressus suos, sic prouide suorum operum moderentur habenas, vt post vitae praesentis exitum, quae nullius certitudinem status habet, salus laeta proueniat animarum, ideoque vberibus perfundimur gaudiis, cum illos perpendimus fore dispositos ad complacendum Altissimo per laudabilium exercitium actionum. Dilectus filius frater* IOANNES DE MONTECORVINO *de ordine Minorum, lator praesentium, ad nostram de orientalibus partibus praesentiam veniens, attentae relationis officio nostro apostolatui patefecit, quod tu tamquam a Domino, in cuius manu corda sunt terrenorum principum, inspiratus, et specialis gratiae dono praeuentus, erga nos et Romanam ecclesiam, ac alias etiam Christianorum ecclesias magnae deuotionis geris affectum. Adiecit etiam dictus frater, quod sibi eiusque sociis, dum in tuis partibus morarentur,* CHRISTI *prosequentes obsequia, humanitatem grandem et benignitatem exuberem tua clementer exhibuit magnitudo; quodque degentibus in terris tuae ditioni subiectis imperio fidei cultoribus te benignum et beneuolum exhibes, eosque non sine sonoro praeconio, et dispositionis indiciis ad salutem, quam*

(1) *Initium litterarum ad verba vsque:* exercitium actionum, *habet* WADDINGVS.

*quam (2) de bono semper in melius deduci cupimus in augmentum, sedulae tuitionis auxilio consoues, et fauore prosequeris gratioso. Nos autem tam gratis et acceptis rumoribus intellectis, laetati fuimus in immensum, cum tuae salutis augmentum synceris affectibus cupiamus; celsitudini regiae tanto proinde (3) profusiores gratias referentes, quanto id vberioris benignitatis zelus exequitur, et (4) ex magnificentia (5) prouenit ampliori. Porro, princeps egregie, sicut magnificentiae regiae per alias nostras literas tibi per venerabilem fratrem nostrum* ROBAN BARSAMMA *(6) in partibus orientis episcopum, et nonnullos (7) tuos nuncios ad nos missos, duximus intimandum, nos qui quamuis insufficientibus meritis vicarii* CHRISTI *sumus, et* PETRI *Apostolorum principis successores, quamplurimum cupimus, et ardenti desiderio affectamus, vt quos baptismatis vnda non diluit, et fidei Christianae religio non includit, erroris inuio, per quod gressibus periculosis oberrant, omnino relicto, ad rectitudinis semitam reuocentur, et fidem seruent fideliter supra dictam. Haec est etenim, sicut magnificentiae regiae per iam dictas notificauimus literas, fides recta, fides vera, quae felicitatis sperandae fiduciam repromittit, et sine cuius suffragio placere Domino nemo potest. Haec est, quae reatus expurgat, quae commoda saluationis impendit, et per quam aeterna gaudia, bonis concurrentibus actibus, acquiruntur. Per hanc hostis antiquus de arce mentis expellitur. Haec corda (8) purificat, et infidelitatis nubilum suae radiis expiat claritatis. Haec est virtutum omnium fundamentum, sydus irradians, stella micans, solem iustitiae intelligentiaeque praeueniens, per quam dies oritur gratiae, per (9) quam dies gloriae subsequitur. Excitamus itaque magnitudinem regiam, et hortamur attente, tibique, cuius in hac parte salutem exquirimus, sano et syncero consilio suademus, quatenus alta et sedula meditatione recogitans, quam fragilis, et caduca humanae naturae conditio, quam plena periculis, quam (10) exposita casibus, quam sit instabilis status eius; confi-*



(2) quae *Id.* (3) prouide, *Id.* (4) quod, *Id.* (5) munificentia, *Id.* (6) BERSAVMAM, *Id.* (7) alios, *Id.* (8) mentesque, *Id.* (9) *Voc.* per *omittit Id.* (10) quantis, *Id.*

*derans etiam quod a lege mortis, qua nihil certius cernitur, nihil habetur incertius hora eius, nullus excluditur, nullus effugit metas suas, nullus a Domino (11) redditur exemptus illius, promptus exurgas, praesto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianae fidei, ac suscipiendum baptismatis sacramentum, ad laudem diuini nominis, tuae salutis profectum, et augmentum fidei supradictae: vt lucis suae radio illustratus, eius triumphalis efficiaris athleta, illius fines amplificans, terminosque dilatans; vt post vitae praesentis ergastulum, a porta inferi libereris, et eius diris cruciatibus poenisque grauissimis euitatis, aeternae beatitudinis praemia, quae omnem delectationem excedunt, tamquam princeps emeritus consequaris. Caeterum praelibatum fratrem* IOANNEM *et eius socios ad partes ipsas salubre prosecuturos negotium, quod coeperunt fiducialiter, remittendos* (12) *instanter exposcimus, vt eos intuitu Dei, et ob reuerentiam Apostolicae sedis et nostram benigne habeas commendatos, eis super huiusmodi executione negotii, fauorem regium impensurus, cuius fulti praesidio, vtilius et efficacius se habere valeant in hac parte; quodque aliquos ex ipsis tecum iugiter teneas, qui tibi tuoque proponant populo verbum Dei, et de salute tractare valeant animarum. Datum Reate idus Iulii anno II.*

## N. XXXII.

Ex *iisdem locis citt.*

NICOLAVS cet. COBLA CHAN (1) magno principi Tartarorum (2) gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Gaudemus in Domino, princeps egregie, sibique deuotas et vberes gratiarum referimus actiones, quod ipse, in cuius manu corda sunt principum terrenorum, te, prout laetanter audiuimus, suae dono gratiae clementi pietate praeueniens, illo tui pectoris intima foe-*

(11) dominio, *Id.* (12) remittentes, *Id.*
(1) COBYLA CHAM, WADD. (2) Illustri, *Id.*

*foecundauit affectu, quod ad Christianitatis terminos ampliandos dirigitur desiderium mentis tuae. Dudum siquidem post nostrae promotionis initia certos nuncios ad nostram praesentiam ex parte magnifici principis* ARGONIS *Regis Tartarorum illustris transmissos recepimus, nobis aperte referentes quod ad personam nostram et Romanam ecclesiam, et etiam gentem, seu populum Latinorum, grandis deuotionis affectum magnificentia tua gerit, dictique nuncii ex parte regia cum instantia petierunt, vt aliquos religiosos Latinos ad tuam praesentiam mitteremus. Nos autem, tam gratis et acceptis de tanto tamque sublimi principe rumoribus intellectis, exultauimus in Domino vehementer, cum tuae salutis augmentum, tuique nominis gloriam synceris affectibus cupiamus; Patri luminum, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum, humiliter supplicantes, vt tui pectoris intima de bono semper in melius munere suae inspirationis illuminet, ac suae gratiae rore perfundat ad laudem sui gloriosi nominis, et honorem. Volentes igitur votis regiis benigne annuere in hac parte, ac desiderantes admodum, vt ad suscipiendam Christianam fidem, quam praedicta Romana tenet et seruat ecclesia, promptus accedas, praesto te offeras, studiosus occurras, cum sine ipsius comitante suffragio placere Altissimo nemo possit, ecce dilectum filium fratrem* IOANNEM *e* MONTE CORVINO *cum eius sociis de ordine Minorum latorem praesentium ad te duximus destinandum, (13) cum instantia postulantes, vt ipsum et socios supradictos benigne habeas commendatos, eis, quorum doctrinae, cum salutis commoda suggerat, te inseparabiliter cupimus adhaerere, super salubri commisso illis negotio, quod salutem respicit animarum, Regii fauoris auxilium impensurus, vt eius fulti praesidio vtilius et efficacius habere se valeant in eodem, tuque a Domino, qui pro minimis grandia recompensat, aeternae beatitudinis praemia consequaris. Datum Reate III. Idus Iulii anno II.*

## N. XXXIII.

(13) *Quae sequuntur, addit Id.*

# N. XXXIII.

Ex *iisdem ll. cit.*

CAYDONO principi Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Ad ea, quae tuae salutis augmentum respiciunt, tuique nominis titulos in orbe terrarum attollunt, celsitudinem tuam libenter inducimus, operamque solicitam impertimur. Sane, princeps egregie, tuis aperiri sensibus affectamus, quod Dei Filius* IESVS CHRISTVS *ad ima mundi, vt hominem, quem ad imaginem et similitudinem suam de limo terrae formauerat, de seruitutis nexibus, in quos ipsum impegerat maligna suggestio, liberaret; clementi dignatione descendens, vestem nostrae mortalitatis assumpsit, vt proprii aspersione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac suos mortis aeternae tenebris obuolutos, vitae perennis efficeret, possessores: qui commissae sibi legationis a Patre in regione peccantium piis studiis exercens officium, mundumque salutaribus institutis informans, tandem post sanctae conuersationis, et operationis exempla, post euangelicae instructionis eloquia, post doctrinae salutaris effectum, dirae mortis vltro supplicium subiit, dieque tertia resurrexit a mortuis gloriosus, vt mortem nostram moriendo destrueret, et vitam resurgendo benignius repararet. Qui priusquam pateretur, claues regni coelorum B.* PETRO *Apostolorum principi, et per eum suis duxit successoribus committendas, per hoc eis tam sublimis potestatis auctoritatem impendens, vt quodcumque super terram ligarent, ligatum haberetur in coelis, et quodcumque soluerent super terram, solutum existeret in eisdem. Vnde nos licet insufficientibus meritis,* CHRISTI *vicarii et eiusdem* PETRI *successores in terris disponente Domino constituti, magno desideramus affectu, vt fidei Christianae cultores salutaribus actibus immorentur, ac illi, quos fides eadem non agnouit, ad rectitudinis semitam actore Domino reuocentur, eandemque solicite seruent fidem: cum ipsa sit vera fides et recta, sine cuius comitante suffragio placere Domi-*

*Domino nemo potest, quae reatus expurgat, salutis commoda elargitur; quae corda, mentesque purificat, et infidelitatis obscurum suis (1) radiis expiat claritatis. Excitamus itaque magnitudinem tuam et attentius exhortamur, sano et syncero tibi consilio suadentes, quatenus sedula meditatione recogitans, (2) quam sit fragilis et caduca humanae naturae conditio, quam plena periculis, quantis exposita casibus, quam instabilis status eius; considerans etiam, quod a lege mortis nullus excluditur, cum omne quod nascitur moriatur, promptus exurgas, praesto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianae fidei, ad suscipiendum baptismatis sacramentum, ad laudem diuini nominis, tuae salutis profectum, et augmentum fidei supradictae; vt lucis suae radio illustratus, eius triumphalis efficiaris athleta, illius fines amplificans, terminosque dilatans, vt post vitae praesentis ergastulum a porta inferi libereris, et eius duris cruciatibus poenisque grauissimis euitatis, aeternae beatitudinis praemia, quae omnem dulcedinem superant, et omnem delectationem excedunt, tamquam princeps catholicus consequaris. Datum Reate id. III. iulii anno II.*

## N. XXXIIII.

EX LVCA WADDINGO *vbi supra p. 198.*
Nobili viro IOLO de Pisis.

*Laetamur in Domino, quod sicut habet fide digna relatio, ad dilatandos Christianae fidei terminos laudabiliter et solerter intendens, illos ad agnitionem ipsius, qui nondum sunt eius lumine illustrati, sollicite inducendo, quodque cunctis religiosis per partes ipsas habentibus transitum impendis intuitu* IESV CHRISTI *consilium, auxilium, et fauorem, exhibendo te nihilominus illis specialem, et praecipuum protectorem, de quo tuae laudandae sollicitudinis studium tanto amplius commendamus, quanto magis salutem appetimus singulorum. Excitamus itaque diligentiam tuam, et*

(n)

(1) suae, WADD. (2) *Sequentia addit* RAYNALDVS.

*et hortamur in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus circa huiusmodi salubres tuos actus et opera sedula, sollicitudinis studium largiaris, vt exinde tanto acceptior, et gratior tuo reddi valeas saluatori, quanto per te plures ab erroris inuio ad veritatis semitam, et ab infidelitatis nubilo ad claritatem Catholicae fidei reducentur. Nos autem benedictionem nostram tibi tenore praesentium in tuorum remissionem dirigimus peccatorum. Datum vt supra.*

## N. XXXV.

EX ODOR. RAYNALDI *Annal. Tom. XIIII. ann. 1291. n. 32. p. 441. f.*

Magnifico viro ARGONI Regi Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Praecurrentis famae relatibus, quae literarum et nuntiorum de more praeuenit missionem, ad notitiam regiam credimus iam perductum, qualiter etiam non sine totius Christianitatis opprobrio Terra sancta funiculus haereditatis dominicae ac sacratissimae, et alia loca eius ad manus deuenerunt alienas, inter quae, proh dolor! Acconensis ciuitas venisse dignoscitur in ruinam* (pluribusque in eam sententiam, deque Tyri deditione adductis, vt Persidis vires cum EDVARDO coniungat, preces adiicit:) *Cum igitur ad recuperandam de manibus impii terram ipsam feruentibus studiis intendentes, cunctos orbis terrae Catholicos Reges et principes per nostras literas excitemus, vt ob reuerentiam* IESV CHRISTI *opem pro viribus impendant et operam ad huiusmodi negotium celeriter et feliciter promouendum; et charissimus in* CHRISTO *filius noster* EDVARDVS *Rex Anglorum illustris, prout ad tuam notitiam forsitan iam peruenit, viuificae crucis assumpto signaculo in breui, actore Domino, in manu potenti transfretare intendat; ac per vniuersas Christianitatis prouincias contra nefandissimos Saracenos ordinauerimus facere proponi solicite verbum crucis; firmaque nobis credulitas suggerat, quod praetactum negotium, si tuae potentiae brachio fulciatur, votiuum et*

festinum

*festinum sortietur effectum; magnitudinem tuam rogamus et hortamur attente, instanter petimus et requirimus confidenter, quatenus promptis, et reuerentibus animis sacrum baptisma recipiens, et diuinis placitis te coaptans, ad recuperationem celerem dictae terrae, ac etiam ad suorum hostium nequitiam, et superbiam conterendam tuae potentiae vires exerceas, prout vtilius regiae magnitudo prudentiae viderit expedire; ad id subditos tibi populos solicitis studiis inducendo, vt tuo et aliorum Regum et principum ac aliorum fidelium auxilio suffragante, celerius recuperatio eadem valeat prouenire; tuque ab alio, qui dat gratias et praemia elargitur, condignae retributionis impendia consequaris, et praeter humanae laudis sonora praeconia tibi exinde prouentura nos magnitudinem regiam non immerito commendemus. Ad haec multae benignitatis affectum, quem Christianis in partibus ipsis morantibus fauorabiliter exhibes, vberibus gratiis prosequentes, petimus vt huiusmodi affectum regia celsitudo continuet circa illos,* cet. MATTHAEI et GVILLELMI Minoritarum commendatione concludit, quorum monitis vt assentiatur consulit. *Datum apud Vrbem veterem X. Kal. Septembris anno IIII.*

## N. XXXVI.

Ex LVCAE WADDINGI *Annal. Minor. T. V. p.* 255.

Magnifico viro ARGONI Regi Tartarorum Illustri gratiam in praesenti, quae ducat ad gloriam in futuro.

*Solita benignitate recepimus litteras, quas nobis per dilectum filium nobilem virum* CHAGANVM, *tuum Nuntium direxisti, et ea quae continebantur in ipsis pleno collegimus intellectu. Nos autem Celsitudinis Regalis affectibus, quos in beneplacitum Domini dirigi cupimus, annuentes super contentis in literis supradictis fauorabiles et affectuosas litteras, prout a nobis instantius postulasti, carissimo in* CHRISTO *filio nostro* EDVARDO *Illustri Regi Angliae duximus dirigendas. Sane Princeps magnifice, salutem tuam sinceris affectibus diligentes penes Magnitudinem Re-*

*giam per alias nostras litteras, quas sincera caritas produxit in medium, duximus hactenus insistendum, vt sacrum baptisma reciperes, teque Christianae fidei titulis insignires, vt in conspectu Regis altissimi, qui virtutum omnium operator caelestia simul, et terrena disponit, gratus et acceptus occurreres, honor regius incrementa susciperet, et augeretur in populis gentium nomen tuum, tuque fama et viribus cresceres laudando Christianorum consortio copulatus. Cum autem noster huiusmodi circa te tuamque salutem affectus exuberet, teque ipsis fidei aggregari cultoribus cupiamus, Magnitudinem tuam, sicut iterum, sic attentius et instantius rogandam duximus et hortandam, tibi ex intimo cordis affectu nihilominus suadentes, quatenus diligenter considerans, et prudenter aduertens, quod cum dilectum filium nobilem virum* NICOLAVM *natum tuum, quem affectione sincera diligimus, et fauore prosequimur speciali, feceris non sine laudum amplo praeconio baptizari: dignum et decens fore dignoscitur, vt et ad tuae laudandae intentionis propositum apertius exprimendum praefatum baptisma sub mentis deuotione recipias, et Christianam fidem, quae humana illuminat pectora, et sine qua placere Deo nemo potest, submotis quibusuis obstaculis, et impedimentis quibuslibet eminus relegatis, promptus assumas constantibus animis obseruandam, ac vniuersos Christicolas in terris tui dominii consistentes, habens fauorabiliter commendatos, eisque te reddens in fauore munificum et benignum, ipsos tuae potentiae brachio tuearis, vt per bonorum exercitium operum, post vitae praesentis excursum, quae nullius certitudinem status habet, ad supernae beatitudinis patriam perducaris, aeternis gaudiis cum electis ceteris potiturus. Ceterum si ea, quae per eumdem Nuntium tibi postulasti transmitti, non mittimus, Celsitudo Regia non miretur, quoniam nos personae vti Ecclesiasticae vsum talem non habemus. Ad haec dilectos filios fratres* GVILLELMVM *de* CHERIO *Poenitentiarium nostrum, et* MATTHAEVM *de ciuitate Theatina Ordinis Minorum latores praesentium, quos ad praesentiam Regiam pro tua tuaeque gentis salute destinamus, pro Apostolicae Sedis et nostra reuerentia, benigne recipias, et fauorabiliter prosequaris, illosque diligenter au-*

*audias, et consiliis ipsorum salubribus efficaciter acquiescas. Dat. apud Vrbem veterem XII. Kal. Sept. an. IIII.*

## N. XXXVII.

ODOR. RAYNALDVS *vbi supra p. 443. n. 36.* LVCAS WADDINGVS *Tom. V. p. 256.*

Chariſſimae in CHRISTO filiae ANICHOHAMINI Reginae Tartarorum illuſtri.

*Gaudemus in Domino, a quo vniuersorum charismatum dona manant, quod tu, ſicut habet fide digna relatio, Christianae fidei radio illuſtrata, ipſam et intentis obſeruas ſtudiis, et ad eius agnitionem ac terminos ampliandos attenta et ſolicita exhibes opem et operam efficacem. Re verá, chariſſima filia per huiusmodi laudanda opera, et ſalubria ſtudia in conſpectu Regis aeterni grata redderis et accepta, et dilatantur* (1) *in ſeculo ſonora praeconia famae tuae. Excitamus igitur in Domino magnitudinem tuam, et hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis tuae oculis erectis ad Dominum, cuius obſequiis ſalubriter adhaeſiſti, praemiſſa de bono* (2) *in melius proſequaris, vt eo gratior, et praemiis digna maioribus occurras Domino Deo tuo, quo vberiores bonorum operum in eius horreum manipulos introduces. Caeterum cum nobiles viros* SARONEM *et* CASSIANVM *fratres, filios viri magnifici* ARGONIS *Regis Tartarorum illuſtris ad aſſumendam fidem Catholicam per noſtras exhortatorias literas excitemus, eos vt precibus noſtris animis promptis obtemperent, prudenter inducere ſtudeas, prout tibi Dominus miniſtrabit.* (3) *Cum autem dilectos filios Fratres* GVILLELMVM *de* CHERIO *Poenitentiarium noſtrum, et* MATTHAEVM *de ciuitate Theatina Ordinis Minorum latores praeſentium, ad partes ipſas pro ſalute gentis ipſorum fiducialiter deſtinemus, ipſos, pro noſtra et Apoſto-* licae,

(n) 3

---

(1) dilatabuntur, WADD. (2) ſemper, *Id.* (3) *Quae ſequuntur addit* WADDINGVS.

*licae sedis reuerentia, benigne recipias, et fauorabiliter prosequaris, eis super commissis sibi negotiis tuum fauorem, et auxilium, cum ab eis requisita fueris, impensura. Nos enim benedictionem nostram tibi tenore praesentium in tuorum remissionem dirigimus peccatorum. Datum apud Vrbem veterem Idibus Augusti anno IIII.*

## N. XXXVIII.

**Ex** *iisdem, locis citatis.*

Dilecto filio nobili viro NICOLAO, nato magnifici viri ARGONIS Regis Tartarorum illustris, salutem et apostolicam benedictionem.

*Exultat cor nostrum in Domino, a quo vniuersorum charismatum dona manant, quod sicut fide dignis aperitur affatibus, tu supernae claritatis radio illustratus, et caelestis gratiae benedictione praeuentus, ad fontem baptismatis non sine laudum sonoro praeconio promptis animis conuolasti. Quod eo acceptius et gratius nostris accidit affectibus, quo te syncerius gerimus in visceribus charitatis, tuaeque salutis et honoris augmentum votis feruentibus affectamus. Rogamus nobilitatem tuam, et hortamur in Filio Dei Patris, quatenus circa dona et laudabilia opera, et virtutes, per quae caelorum regnum acquiritur, tamquam benedictionis filius vigilantibus et continuis studiis te exercens, Christianam fidem, cuius praecelsis insigniis te salubriter decorasti, sub mentis constantiae et syncerae deuotionis affectu studeas obseruare, vt clara tuae professionis initia obseruationis continuae laudabilis commendet effectus, caeterique tuo salubri exemplo inducti, ad eiusdem assumptionem fidei propensius excitentur; tuque post vitae praesentis curricula, quae nullius certitudinem status habent, aeternae beatitudinis praemia, quae suis electis reseruauit Altissimus, consequaris. Caeterum tibi affectuose consulimus, et attentius suademus, quod in habitu seu vestibus vel in victu, ne inde materia*

*teria dissensionis, aut scandali contra te forsitan in gente tua valeat suboriri, nullam mutationem facias; sed in eis consuetudinem illam serues, quam ante baptismi lauacrum obseruasti. Vt autem ipsius fidei series tibi plenius innotescat, eam tibi annotatam inferius destinamus, quae talis est:* Credimus sanctam Trinitatem, cet. *Caeterum dilectos filios fratres* GVILLELMVM *de* CHERIO *poenitentiarium nostrum, et* MATTHAEVM *de ciuitate Theatina Ordinis Minorum, latores praesentium; quos ad tuam praesentiam, et etiam partes tuas pro gentis tuae salute dirigimus; pro Apostolicae sedis et nostra reuerentia benigne recipias, et fauorabiliter prosequaris, impendendo eisdem super commissis sibi negotiis, cum ab eis fueris requisitus, auxilium, consilium, et fauorem. Datum apud Vrbem veterem XII. Kal. Septembris anno IIII.*

## N. XXXVIIII.

Ex ODOR. RAYNALDO et LVCA WADDINGO *ubi supra.*

Nobili viro CASSIANO, nato magnifici viri ARGONIS Regis Tartarorum illustris, gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Pastoralis officii commissi nobis a Domino debitum exigit, vt te ad ea, quae tuae salutis profectus, et honoris incrementa respiciunt, tibique in orbe terrarum laudum titulos afferunt, solicitis inducamus studiis, et affectuosis exhortationibus excitemus. Sane tuae magnitudini cupimus aperiri, quod Saluator noster Dei Filius* IESVS CHRISTVS *de summis caelorum ad ima mundi, vt hominem, quem plasmarat, de nexibus seruitatis eriperet, in quos ipsum impegerat maligna suggestio, clementi dignatione descendens, vestem nostrae mortalitatis assumpsit, vt proprii aspersione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac suos, mortis aeternae tenebris obuolutos, vitae perennis efficeret possessores. Qui mundum salutaribus institutis informans, tandem post sanctae conuersationis et operationis exempla, post euangelicas in-*

*structionis eloquia, et* (1) *doctrinae salutaris effectum dirae mortis vltro supplicium subiit, et die tertia resurrexit a mortuis gloriosus. Qui priusquam pateretur, regni caelorum claues B.* PETRO *Apostolorum principi, et per eum suis duxit successoribus committendas, per hoc eis tam sublimis potestatis auctoritatem impendens, vt quodcumque super terram ligatum redderent, ligatum haberetur* (2) *in caelis; et quodcumque soluerent super terram, solutum existeret in eisdem. Vnde nos, licet insufficientibus meritis,* CHRISTI *vicarii et eiusdem* (3) PETRI *successores in terris, disponente Domino constiti, affectu desideramus eximio, vt fidei Christianae cultores salutaribus actibus immorentur; ac ii quos fides eadem non agnouit, ad rectitudinis semitam, auctore Domino reuocentur, eandemque solicite seruent fidem; cum ipsa sit vera fides et recta, sine cuius comitante suffragio placere Domino nemo potest; quae reatus expurgat, salutis commoda tribuit, quaeue corda mentesque purificat, et infidelitatis obscurum suae radiis expiat claritatis. Excitamus itaque nobilitatem tuam et attentius exhortamur, sano et syncero tibi consilio suadentes, quatenus sedula meditatione recogitans, quam sit fragilis et caduca humanae naturae conditio, quam plena periculis, quantis exposita casibus, quam instabilis status eius; considerans etiam quod magnifici principis* ARGONIS *Regis Tartarorum illustris tui patris affectio syncera dirigitur ad Christianam fidem, prout laetantes accepimus, assumendam; quodque dilectus filius nobilis vir* NICOLAVS *frater tuus, de sua salute solicitus, et diuinis beneplacitis se coaptans, sacrum baptisma suscepit; seduloque recogitans, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, cum omnino,* (4) *quod nascitur necessario moriatur; promptus assurgas, praesto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianae fidei, ac suscipiendum baptismatis sacramentum, ad laudem diuini nominis, tuae salutis profectum, et augmentum fidei supra dictae; vt lucis suae radio illustratus te solerter exerceas ad eius fines laudabiliter ampliandos, vt post vitae praesentis ergastulum a porta inferi libereris, et eius diris cruciatibus,*

(1) ad, WADD. (2) haberent, *Id.* (3) sancti, *Id.* (4) omne, *id.*

*ciatibus, poenisque grauissimis euitatis, aeternae beatitudinis praemia perpetuis duratura temporibus consequaris, et extollatur gloriose in saecula nomen tuum. Ad hoc (5) multae benignitatis affectum, quem Christianis in partibus ipsis morantibus fauorabiliter exhibes, vberibus gratiis prosequentes, petimus vt huiusmodi affectum tua nobilitas continuet circa illos. (6) Ceterum dilectos filios Fratres* GVILLELMVM *de* CHERIO *Poenitentiarium nostrum, et* MATTHAEVM *de ciuitate Theatina Ordinis Minorum latores praesentium, quos ad tuam praesentiam destinamus, pro tua, tuaeque gentis salute, pro Apostolicae Sedis, et nostra reuerentia, benigne recipias et fauorabiliter prosequaris, illosque diligenter audias, et salubribus ipsorum consiliis efficaciter acquiescas. Datum apud Vrbem veterem X. Kalend. Septembris anno IIII.*

## N. XXXX.

EX ODOR. RAYNALDO *Annal. T. XIIII. ann. 1291. n. 33. p. 442.*

OZOLO Pisano cet.

*Accidit gratum et acceptum quamplurimum votis nostris quod, sicut fide dignis aperitur affectibus, te gerens laudabiliter et prudenter ad dilatandos fidei Christianae terminos solerter intendis, ad agnitionem ipsius alios, qui nondum sunt eius lumine illustrati, solicite inducendo: de quo tuae solicitudinis studium tanto commendamus amplius, quanto magis salutem omnium affectamus. Nobilitatem itaque tuam excitandam attente duximus et hortandam, quatenus ob diuinam et Apostolicae sedis ac nostram reuerentiam circa huiusmodi salubres tuos actus et opera solerter intendas, et inuigiles diligenter, vt exinde tanto acceptior et gratior reddaris Altissimo, quanto plures ab erroris inuio ad veritatis semitam, et ab infidelitatis nubilo ad claritatem Catholicae fidei reuocabis, cet. Datum id. Augusti anno IIII.*



(5) hanc, *Id.* (6) *Sequentia addit Id.*

## N. XXXXI.

Ex L. WADDINGI *Annal. Minor. T. V. p. 345.*

Dilectis filiis vniuersis Fratribus Ordinis Minorum in Orientalium Tartarorum partibus constitutis.

*Inter cetera desideria cordis nostri, hoc praecipuum, et potissimum fore cognouimus, vt cunctorum infidelium mentes errorum tenebris profugatis, Catholicae fidei radio illustrentur, vt ipsi post vitae praesentis excursum, quae nullius certitudinem status habet, mereantur aeternae beatitudinis effici possessores. Cum itaque zelo fidei, et deuotionis accensi ad partes Orientalium Tartarorum vos personaliter duxeritis conferendos, non vitatis laboribus, et angustiis plurimis, quos tanti negotii prosecutio secum trahit, vt illos ad ipsius cultum fidei, superna vobis assistente clementia, conuertatis. Nos digne pieque volentes vos et alios Ordinis vestri Fratres, qui propter hoc ad partes easdem de voluntate, seu speciali mandato Apostolicae Sedis, vel Generalis Ministri Ordinis vestri praedicti accesserint, speciali prosequi gratia et fauore, vobis et eis negotium prosequentibus supra dictum illam peccatorum veniam indulgemus, quae transfretantibus in Terrae sanctae subsidium in generali Concilio est concessa. Nulli ergo cet. nostrae concessionis cet. Datum Romae apud sanctum* PETRVM *Idibus Maii, anno II.*

## N. XXXXII.

Ex ODOR. RAYNALDO *Tom. XIIII. ann. 1299. n. 39. p. 535. s.*

Dilectis filiis, fratribus SANCTIO de BOLEA, GVILLELMO BERNARDI, BERNARDO GVILLE cet. ordinis Praedicatorum ad terras Saracenorum, Paganorum, Bulgarorum, Cumanorum, Aethiopum, Syrorum, Hiberorum, Alanorum, Gazarorum, Gotorum, Zichorum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelitorum, Tartarorum, aliarumque terrarum orientalium, et Aquilonarium nationum proficiscentibus nuntiis nostris salutem cet.

*Im-*

*Immaculata lex Domini, verae lucis venientis in mundum claris irradiata fulgoribus, subuersas causas ab erroribus et peccatis sabatharii magistro per semitas rectas dirigens, vt de errorum inuio ad viam possint redire iustitiae, lumen eis ineffabilis veritatis ostendit. Haec siquidem primitus a patriarchis et prophetis praecognita, et apostolicis postmodum eloquiis mirabiliter diuulgata, tanto magis est euangelizantium praeconiis attollenda, quanto ex ipsius publicatione melliflua animarum fructibus gratiosius successione continua prodeunt facultates. Huiusmodi namque legis etsi praeconia sint longe lateque diffusa, per nos tamen, qui vices in terris singulas eius partes, super quas humilitatem nostram, prout sibi placuit, prouidentia diuina constituit, intenta solicitudine circuimus; occurrit sensibus nostris, non sine anxietatis multae molestiis, quemadmodum quaedam nationum gentes, diabolica fraude veri luminis claritate priuatae, in inuium perdentium tenebrarum miserabiliter deruentes,* IESVM CHRISTVM *dominum non cognoscunt; quodque nonnulli subtractionis filii sacrosanctae Romanae ecclesiae inobedientes existant. Propter quod mouetur pietatis paternae compassio, animi nostri zelus accenditur, et anxio quodam affectu sitiunt sensus nostri, dum ad memoriam nostram reducimus beneficia omnium Conditoris, qui vt hominem redimeret perditum, dominus noster* IESVS CHRISTVS *homo nasci, pati voluit, et occidi, quod gentes ipsae et subtractionis filii per illuminantis praedicationis antidotum ad ipsum, qui est lux vera, et omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, conuertantur; ita quod ignorantiarum et errorum huiusmodi nebulis et fraudibus profligatis, ipsius aeternae felici commercio participes lucis fiant. Quare nos, vt praedicitur,* CHRISTI *vicarius, et beati* PETRI, *disponente Domino, licet immeriti, successores effecti, haec in interna saepius, et debita meditatione pensantes, vt pro tantorum populorum procuranda salute seruitutis nostrae debitum exsoluamus; ad vos, quos nouimus viros religiosos claritate fulgentes, morum honestate conspicuos, et diuersarum virtutum titulo diuinitus insignitos, ac literarum scientia praeditos, propriam mentem*

*conuertimus, et oculos fiducialiter aperimus; vt vobis, de quorum studiosis operibus fructus vtiles, Deo placidos, et nobis acceptos speramus et credimus prouenturos, super hoc onus nostrae solicitudinis imponamus, vos ad gentes et filios subtractionis huiusmodi ac terras ipsorum pro huiusmodi prosecutione negotii de fratrum nostrorum consilio fiducialiter destinando. Quocirca discretionem vestram rogamus, monemus, et hortamur in* IESV CHRISTO, *in remissionem vobis peccaminum districtius iniungentes, quatenus accipientes deuotione, qua conuenit, officii salutaris onus vobis impositum, exurgatis accincti gladio verbi Dei libere ab onere carnalium voluptatum strenui bellatores, contra dolositates subdoli sathanae causam Domini vindicantes, pro qua mori est vitae perennis initium, transitoriae mortis finis, et retributionis aeternae inaestimabilis certitudo. Vt autem ministerium vestrum honoretur plenius, et honorabilius impleatur, praesentium vobis et cuilibet vestrum auctoritate concedimus, vt in terris, quae adhuc sedis Apostolicae magisterio non intendunt, proponere verbum Dei, et vt constitutis ibidem, non obstante si aliqua sint excommunicatione legati, in verbis, officio, et cibo, ac in aliis sacris communicare; et ipsos seu etiam alios, conuerti ad vnitatem Christianae fidei cupientes, recipere, baptizare, et aggregare ecclesiae filiis valeatis; et presbyteri ex vobis ipsos aggregatos possint insignire charactere clericali, et eos ad acolythatus ordinem promouere. Liceat etiam cuilibet vestrum, ibidem redeuntibus ad obedientiam sedis Apostol. qui sunt excommunicatione nodati, absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiae impertiri, et super eo dispensare cum ipsis, qui sacros forsitan ceperint ordines, et diuina celebrarunt officia sic ligati. Hoc ipsum vobis sit licitum circa illos de terris eisdem, qui temporibus indebitis, vel infra aetatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel superiores praetermissis inferioribus, conferre seu recipere ordines praesumpserunt; si tamen in hoc seruata talis forma extiterit, per quam ordines recepissent. Vobis praeterea dispensare liceat, vt illi ex nationibus vestrae praedicationi commissis, qui in casibus et gradibus a diuina minime lege prohibitis*

*ma-*

*matrimonia contraxerunt, remaneant in eisdem; et ii, qui ad ecclesiae catholicae redierint vnitatem, vt inter suos habitent, eisque communicent; nec non quod clerici nationum ipsarum, publice ad obedientiam sedis Apostolicae redeuntes, gaudeant priuilegio clericali. Sit etiam vobis licitum omnium fidelium in terris praedictis confessiones audire, ac ipsis iniungere poenitentias salutares, et excommunicatos a canone vel alio modo iuxta formam Ecclesiae absoluere, dummodo iniurias et damna passis satisfaciant competenter. Cum irregularibus insuper partium illarum in casibus, in quibus solent legati sedis Apostolicae dispensare, ac etiam cum clericis ipsarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non sint de adulterio, vel incestu, aut regularibus procreati, sit vobis dispensandi facultas: quam circa illos similiter habeatis, qui ab vnitate Ecclesiae catholicae, seu religione, vel clericali ordine discesserunt, si humiliter redire voluerint et digne satisfacere de commissis; ita quod ipsi religiosi ad sua loca salua disciplina ordinis resumantur, ac illos, qui ex iam dictis excommunicationis vinculo sunt adstricti, iuxta praemissam formam, et praedictae satisfactionis modum absoluere valeatis, et cum irregularibus, sicut est expressum superius, dispensare. Ad haec sit vobis absoluendi facultas occisores clericorum et religiosarum personarum, in praedictis partibus constitutos, fundandi ibidem de nouo ecclesias et reconciliandi ipsas, quae sunt casu aliquo profanatae, ac de nouo fundatis rectores idoneos prouidendi, et illis, qui de gentibus vel schismaticis nouiter sunt conuersi, dandi licentiam, vt vxores suas, cum quibus in gradibus lege diuina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere; de causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitime cognoscendi, et discordantes inter se ad inuicem, quod ad pacem et concordiam redeant; nec non quod inordinate viuentes de suis excessibus, sicut iustum fuerit, satisfactionem exhibeant compellendi per censuram ecclesiasticam; vobis libera sit facultas. Insuper in locis, in quibus vos contigerit hospitari, vel in locis partium earumdem, in quibus residentiam facietis, missam et cetera diuina ce-*

*celebrare officia, et in eisdem partibus coemeterio benedicere, ac dare indulgentias, commutare vota, ultramarinae peregrinationis, continentiae, et religionis exceptis, facultatem et licentiam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod a catholicis patriarchis, archiepiscopis, et episcopis possitis ordines et alia ecclesiastica sacramenta suscipere, et altaria portatilia more ipsorum a praefatis episcopis benedicta habere, et eis uti, si contingat vos aliquo casu vestra altariola non habere, ac vestes sacerdotales altaris, pallas et corporalia per eos, qui ex vobis sunt presbyteri, cum necesse vobis fuerit benedicere, ubi catholicorum episcoporum copia non habetur. Nulli ergo cet. Dat. Laterani IIII. id. aprilis anno V.*

## N. XXXXIII.

**ODOR. RAYNALDVS** *ubi supra ann. 1304. n. 23. p. 598.*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti Amen. Sanctissimo Patri nostro domino BENEDICTO aduena et peregrinus HYABALAHA, qui per gratiam domini nostri IESV CHRISTI factus fuit Ifalicus et Patriarcha totius orientis, petit a sanctitate vestra benedictionem, et inclinat vobis cum humili salutatione in charitate Domini nostri IESV CHRISTI.

*Superabundanti patri in sanctitate, et superexcellenti in spiritualibus donis vicario Domini nostri* IESV CHRISTI, *super totam fidem Christianam, sedenti super sedem beati* PETRI *Apostoli pastoris nostri et patroni, Patri patrum, Regi Regum, sanctissimo Papae* BENEDICTO, *quem Deus induit sanctissima ac dignissima veste. Custodiat Deus per vestram sanctam orationem ab omni aduersitate, et tribulatione omnes illos, qui signum sanctae crucis in suis frontibus susceperunt: et postquam inclinauimus humiliter, et dulciter salutando, quod praestantius est, oramus nos omnes continue pro vobis. Et nouit sanctitas vestra reuerenda, quod religiosus vir ac sanctus frater* IACOBVS *Ordinis Praedicatorum, quem Deus in via, quam assumpsit, dirigat*

et

*et confirmet, venit ad nos, et manifestauit nobis, quomodo sanctus pater* BONIFACIVS *Papa, cuius animam Deus habeat, de hac vita tenebrosa ad lucem perpetuam transmigrauit. Insinuauit insuper nobis quod istud donum permaximum, quod est maxima sedes throni apostolici, ac vniuersalis paternitas omnium fidelium, ac summus pontificatus omnium pontificum in omni Ecclesia Catholica et Apostolica Deus omnipotens et piissimus vestrae contulit sanctitati, quam Deus custodiat et conseruat. Insinuauit etiam nobis dictus frater, quod vos, Dei voluntate et dispositione, et Spiritus sancti gratia ordinante, sedem Romanam apostolicam obtinetis: et dixit nobis, quod in vobis relucet sanctitas, religio, sapientia, et feruor fidei cum deuotione, et habetis amorem caelestium cum desiderio exaltandi fidem* CHRISTI *plus satis, quam ipse sciret nobis exprimere. Quibus auditis, gaudium nostrum multum accreuit, et dolor et tristitia a nobis recessit, et laudauimus ac benediximus* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum, qui promisit nobis per suum Euangelium:* Non relinquam vos orphanos, *et postulauimus a misericordia eius, quod sit benedicta vestra paternitas, et dominatio super omnes generationes; et faciat Deus vos agnoscere in tota fide nostra Christiana, cui infideles inuident, pontificatus vestri benedictionem et clementiam; et exaltet verbum vestrum super vniuersum mundum, et corroboret conceptum animi vestri ad honorem suum, et faciat vestrum consilium benedictum: et postulamus a vestra sanctitate, quatenus dignemini recordari nostri, et omnium Christianorum in vestris sanctis orationibus, et postulamus etiam humiliter, quatenus omnium praelatorum, et religiosorum, et clericorum, ac caeterorum omnium fidelium, vestro regimini commissorum, orationibus et suffragiis, quibus valde indigemus, dignemini nos efficaciter commendare; et postulet a Deo, vt det suae Ecclesiae sanctae securitatem, consolationem, et pacem, et det populo suo felicitatem, et gratiam spiritualem et temporalem. Tota enim spes nostra pendens in vestris sanctis orationibus est, et in vestro regimine, ac gubernatione: nec habemus ad quem dirigamus oculos nostros*

*ſtros poſt Deum, niſi ad veſtram pietatem et miſericordiam, qui pater noſter eſtis loco Domini noſtri* IESV CHRISTI. *Deus omnipotens aperiat portas miſericordiae ſuae ſuper filios ſacro baptismate generatos in ſua benedictione, et dirigat eis vias ſaluationis per veſtras orationes. Quod ſi ſanctus pater noſter ſummus Pontifex, quem Deus cuſtodiat et conſeruet, fidem noſtram ſcire vel audire voluerit, haec eſt, quae ſequitur. Credimus in vnum Deum aeternum, ſumme ſapientem, viuum, omnium bonorum largitorem, omnipotentem: vnam ſubſtantiam, et tres perſonas Patrem, et Filium, et Spiritum ſanctum. Vnam deitatem, Patrem generantem, Filium genitum, Spiritum ſanctum procedentem. Vnum dominum: vnum adoratum Creatorem, rerum viſibilium et inuiſibilium: infigurabilem, incorporeum, et inimaginabilem ſuper omnem intellectum: immenſum, et incomprehenſibilem propter humani intellectus debilitatem. Quapropter ad aliquam fidelium manuductionem dicimus et confitemur ipſum Patrem generantem ſiue loquentem, Filium autem genitum ſiue verbum, Spiritum autem ſanctum tam verbi quam loquentis eſſe ſpiritum, ſiue vitam; et propter hoc ſcriptum eſt in principio Geneſis:* Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem et ſimilitudinem noſtram. *Sicut etiam videmus in ſole ipſum corpus ſolare, et radium ſiue lucem ab ipſo exeuntem, et calorem ab vtroque manantem: quae tria vnum ſolem dicimus, et non tres; ſic et tres perſonas vnum Deum. Confitemur etiam quod in fine ſeculorum vna perſona de tribus diuinis, illa ſcilicet, quam aſſimilauimus radio ſolari, vel verbo Dei, induit perfectam humanitatem de virgine* MARIA *propter ſalutem hominum, et vt oſtenderet nobis lucem veritatis: et fuit vnita diuinitas humanitati, et humanitas diuinitati inſeparabiliter, et ſine fine. Et iſta eſt fides noſtra in Dominum noſtrum* IESVM CHRISTVM *Deum noſtrum, qui eſt completus Deus, et completus homo in vna perſona: totus apud Patrem, et totus in matre. Et ab illa hora, qua per* GABRIELEM *archangelum ex parte Dei Virgini* MARIAE *annunciatio facta de Filio naſcituro, et dictum eſt ei,* Aue gratia ple-

plena, Dominus tecum cet. *ex tunc diuinitas non dimisit humanitatem, nec in cruce nec in sepulchro: ita tamen, quod diuinitas pati non potuit, nec mori, nec aliquam poenalitatem sustinere. Et confitemur nihilo minus, quod domina nostra, Virgo sancta* MARIA *genuit et peperit et Deum et Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *qui est homo perfectus, et vnitus Deo perfecto, sicut attestatur sanctum Euangelium, quando dixit Angelus ad pastores:* Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie saluator mundi, qui est CHRISTVS Dominus Deus in ciuitate DAVID. *Et nos etiam acceptamus et recipimus fidem, et dicta omnium illorum, quae ordinata sunt in Niceno concilio per sanctos patres CCCXVIII. quorum orationibus nos Deus custodiat. Illorum ordinationem, et dicta nos recipimus sicut dicta quatuor Euangelistarum, et sicut ordinationes Apostolorum, et sicut epistolas* PAVLI: *et elongamur et separamur ab omnibus, qui dictis sanctis patribus contradicunt. Profitemur insuper sanctum Romanum summum Pontificem, et patrem vniuersalem omnium fidelium* CHRISTI: *et confitemur, quod ipse est successor beati* PETRI *vniuersalis vicarii* IESV CHRISTI *super omnes filios Ecclesiae ab oriente vsque in occidentem; cuius amor et dilectio in nostris cordibus est firmata, et nos sub eius obedientia sumus; et requirimus et imploramus suam benedictionem, et sumus parati ad omne eius praeceptum; requirentes humiliter et implorantes eius auxilium in necessitatibus nostris, et tribulationibus, in quibus longo tempore iam fuimus, et permanemus: et ipse pius pater ne auertat a nobis faciem suam, cum simus omnes fratres in* CHRISTO, *et eius filii per veram fidem Catholicam: et dignetur corda nostra erigere in gaudium et consolationem per litteras suas, mandando nobis quae facere debeamus, quae accepta et grata sint suae sanctitati. Et insinuamus sanctitati vestrae reuerendae, quod nos imposuimus et commisimus verbotenus verba aliqua praedicto fratri* IACOBO *exhibitori praesentium, tanquam fideli et veraci nuntio, coram vobis proponenda, cui debeatis credere in omnibus tanquam nobis: et illa, quae loquetur de nobis, vera sunt, quia nos cognovimus*

*vimus firmiter in eo veritatem et fidelitatem. Inclinamus cum salutatione et oratione sanctis et electis dominis nostris Cardinalibus, et omnibus aliis praelatis, et Regibus, et sacerdotibus, et religiosis, et baronibus, et fidelibus omnibus, qui obedientes sunt fidei Romanae Ecclesiae. Det nobis Deus suam benedictionem, et sancti patris nostri summi Pontificis per merita et orationes Apostolorum* PETRI *et* PAVLI. *Omnes praelati orientis, qui circa nos sunt, archiepiscopi et episcopi, et sacerdotes et religiosi, et alii fideles supplicant vobis, et salutant cum orationibus, et petunt a vobis orationem, et benedictionem. Scriptum feria secunda in crastino Pentecostes XVIII. die Mensis Madii MDCXV. ab* ALEXANDRO *Rege in ciuitate Maraga regno Persarum.*

## N. XXXXIIII.

Ex L. WADDINGI *Annal. Minor. T. VI. p. 69. s.*

Deest initium.

*Ego frater* IOANNES *de* MONTE CORVINO *de Ordine Fratrum Minorum, recessi de Thaurisio ciuitate Persarum anno Domini MCCXCI. et intraui in Indiam, et fui in contrada Indiae ad Ecclesiam sancti* THOMAE *Apostoli mensibus XIII. et ibi baptizaui circa centum personas in diuersis locis, et socius fuit meae vitae frater* NICOLAVS *de* PISTORIO *de Ordine Fratrum Praedicatorum, qui mortuus est ibi et sepultus in eadem Ecclesia. Et ego vlterius procedens perueni in Katag regnum Imperatoris Tartarorum, qui dicitur Magnus Cham; ipsum vero cum litteris Domini Papae ad fidem Domini nostri* IESV CHRISTI *Catholicam inuitaui, qui tamen nimis inueteratus est idololatria, sed multa beneficia praestat Christianis, et ego sum apud eum iam ante duos annos. Nestoriani quidam Christianitatis titulum praeferentes, sed a Christiana religione plurimum deuiantes, tantum inualuerunt in partibus istis, quod non permittant quempiam Christianum alterius ritus habere, quantumlibet paruum oratorium,*

nec

*nec aliam, quam Nestorianam publicare doctrinam. Ad has siquidem terras nec aliquis Apostolus, nec Apostòlorum discipulus pervenit, et ideo praefati Nestoriani per se, et per alios pecunia corruptos, persecutiones mihi grauissimas intulerunt, asserentes quod non essem missus a Domino Papa, sed essem magnus explorator et dementator hominum, et facto aliquo interuallo temporis, produxerunt alios falsos testes dicentes, quod aliquis nuntius fuit missus, deferens Imperatori maximum thesaurum, et quod ego illum occiderim in India, et abstulerim quae portabat, et durauit haec machinatio circiter quinque annos. Ita persaepe ad iudicium fui tractus cum ignominia mortis. Tamdem per cuiusdam confessionem, Deo disponente, Imperator cognouit meam innocentiam et malitiam aemulorum, quos cum vxoribus et liberis exilio relegauit. Ego vero solus in hac peregrinatione fui sine socio annis vndecim, donec venit ad me frater* ARNOLDVS *Alemannus de prouincia Coloniae, nunc est annus secundus. Vnam Ecclesiam aedificaui in ciuitate Cambaliech, vbi est praecipua residentia Regis, quam ante sex annos compleui, vbi etiam feci campanile, et ibi tres campanas posúi. Baptizaui etiam ibidem vt existimo vsque hodie circa sex millia personarum, et nisi fuissent supradictae informationes, baptizassem vltra triginta millia, et sum frequenter in baptizando. Item emi successiue CL. pueros, filios paganorum aetatis infra VII. et XI. annorum, qui nullam adhuc cognoscebant legem, et baptizaui eos, informaui eos litteris Latinis, et Graecis ritu nostro, et scripsi pro eis psalteria, cum hymnariis XXX. et duo breuiaria, cum quibus XI. pueri iam sciunt officium nostrum, et tenent chorum et hebdomadas, sicut in Conuentibus fit, siue praesens sim, siue non, et plures ex eis scribunt psalteria, et alia opportuna; et dominus Imperator delectat multum in cantu eorum. Campanas ad omnes horas pulso, et cum conuentu infantium et lactentium diuinum officium facio, et secundum vsum cantamus, quia notatum officium non habemus. Quidam Rex illius regionis* GEORGIVS *de secta Nestorianorum Christianorum, qui erat de genere illustri Magni Regis, qui dictus fuit presbyter* IOANNES *de India, primo anno, quo huc ego veni, mihi adhaesit, et ad veritatem verae*

*fidei Catholicae per me conuersus, minores ordines suscepit, mihique celebranti regiis vestibus indutus ministrauit: sed quidam alii Nestoriani ipsum de Apostasia accusauerunt: tamen ipse magnam populi sui partem ad veram fidem Catholicam adduxit, et Ecclesiam pulchram secundum regiam magnificentiam construxit, ad honorem Dei nostri, sanctae Trinitatis et Domini Papae, vocans eam Ecclesiam Romanam. Qui Rex* GEORGIVS *ante sex annos migrauit ad Dominum verus Christianus, relicto filio haerede ferme in cunabilis, qui nunc est annorum nouem. Fratres tamen ipsius Regis* GEORGII, *cum essent perfidi in erroribus* NESTORII, *omnes quos ille conuerterat, post Regis obitum subuerterunt, ad schisma pristinum reducendo. Et quia ego fui solus, nec potui recedere ab Imperatore Cham, ire non potui ad illam Ecclesiam, quae distat ad XX. dietas: tamen si venerint aliqui boni coadiutores, et cooperatores, spero in Deo, quod totum poterit reformari; nam adhuc habeo priuilegium praedicti Regis* GEORGII *defuncti. Iterum dico, si non fuissent infamationes supra dictae, magnus fructus fuisset secutus. Si habuissem autem duos vel tres socios coadiutores meos, forte Imperator Cham fuisset baptizatus. Rogo ergo vt tales Fratres veniant, si venire aliqui volunt, qui studeant se in exemplum dare, et non suas fimbrias magnificare. De via notifico, quod per terram Gothorum Imperatoris Aquilonarium Tartarorum est via breuior, et securior; ita quod cum nunciis intra quinque vel sex menses poterunt peruenire. Via autem alia est longissima et periculosissima, habens duas nauigationes, quarum prima est secundum distantiam inter Achon et Prouinciam Prouinciae. Alia vero est secundum distantiam inter Achon et Angeliam; et posset contingere, quod in biennio vix perficiet viam illam, quia prima via facta non fuit a multo tempore propter guerras. Ideo sunt duodecim anni, quod de Curia Romana, et de nostro Ordine et statu Occidentis non suscepi noua. Iam sunt duo anni, quod venit quidam medicus chirurgicus Lombardus, qui de Romana Curia, et nostro Ordine, et statu Occidentis, istas partes incredibilibus blasphemiis infecit, propter quod multum desidero*

*per-*

*percipere veritatem. Rogo Fratres, ad quos haec littera peruenie, vt ita studeant, quod eius continentia possit peruenire ad notitiam Domini Papae, et Cardinalium et Procuratorum Ordinis nostri in Curia Romana. Ministro Generali Ordinis nostri supplico pro Antiphonario, Legenda Sanctorum, Graduali et Psalterio, cum nota pro exemplari, quia non habeo nisi Breuiarium portatile cum lectionibus breuibus, et paruum Missale; si habuero exemplar, pueri praedicti scribent: modo sum in actu aedificandi aliam Ecclesiam, ad diuidendum pueros in pluribus locis. Ego iam senui, et canus factus sum potius laboribus et tribulationibus, quam aetate; sum enim annorum quinquaginta octo. Didici competenter linguam et litteram Tartaricam, quae lingua vsualis Tartarorum est, et iam transtuli in linguam illam et litteram totum nouum Testamentum et Psalterium, quae feci scribi in pulcherrima littera eorum, et scribo et lego, et praedico in patenti et manifesto testimonium legis* CHRISTI. *Et tractaui cum supradicto Rege* GEORGIO, *si vixisset, totum officium latinum transferre, vt per totam terram cantaretur in dominio suo; et eo viuente, in ecclesia sua celebrabam missam secundum ritum latinum in littera et lingua illa legens tam verba canonis, quam praefationis. Et filius dicti Regis vocatur* IOANNES *propter nomen meum, et spero in Deo, quod ipse imitabitur vestigia patris sui. Secundum vero audita et visa credo, quod nullus Rex, nec Princeps in mundo possit aequari Domino Cham in latitudine terrae, et multitudine populi, et magnitudine diuitiarum. Finis. Data in ciuitate Cambaliech regni Catan, anno Domini MCCCV. die VIII. mensis Ianuarii.*

## N. XXXXV.

Ex *eodem loc. cit.*

Reuerendo in CHRISTO Patri Fratri NN. Vicario Generali Ministro Ordinis Fratrum Minorum, et Vicario Fratrum, et Magistro Ordinis Praedicatorum, et Fratribus Ordinis vtriusque in prouincia Persarum manentibus: frater IOANNES de MONTE CORVINO de Ordine Fratrum Minorum, inutilis CHRISTI seruus,

 prae-

praedicator fidei ſacrae Chriſtianae, Legatus et Nuncius Sedis Apoſtolicae Romanae, ſalutem et caritatem in eo qui eſt vera caritas et ſalus omnium,

*Ordo eximiae caritatis inuitat, vt longe lateque diſtantes, et maxime, qui peregrinantur pro lege* CHRISTI, *cum reuelata facie ſe inuicem videre non poſſunt, ſaltem verbis et litteris ſe inuicem conſolentur. Cogitaui, vos non ſine cauſa mirari, quod tot annis in Prouincia tam longinqua conſiſtentes, numquam meas litteras recipiſtis. Sed et ego miratus ſum, quod numquam niſi anno iſto recepi ab aliquo Fratre vel amico litteras, vel ſalutationem, nec videtur quod aliquis recordatus fuerit mei, et maxime, quando audiui, quod rumores ad vos perueniſſent, quod ego mortuus eſſem. Nunc autem notifico vobis, quod anno praeterito in principio Ianuarii, per quemdam amicum noſtrum, qui fuit ex ſociis Domini Kathan Chamis, qui venerat ad eumdem Dominum Chamem, ego miſi litteras patri Vicario, et Fratribus prouinciae Gazariae de ſtatu et conditione mea, paucis verbis exaratas, in quibus litteris rogaui eumdem Vicarium, quod exempla illarum vobis transmitteret, et iam intellexi per aliquas perſonas, quae nunc peruenerunt cum nunciis praedicti Domini de Kathan ad Dominum Chamem, quod meae litterae ad vos peruenerint, et quod ille idem nuncius, qui portauit litteras meas, poſtmodum de Sara ciuitate venerit Thauriſium, propter quod de factis et contentis in illis cogitaui non facere mentionem nec iterato ſcribere. Et primum eſt de perſecutione Neſtorianorum. Secundum de Eccleſia, et domibus completis. Sex picturas feci fieri veteris et noui teſtamenti ad doctrinam rudium, et ſculpta ſunt litteris Latinis et Tarſicis et Perſicis, vt omnes linguae legere valeant. Tertium eſt, quod ex pueris, quos emi et baptizaui, aliqui migrauerint ad Dominum. Quartum eſt quod a tempore, quo fui in Tartaria baptizaui vltra quinque millia. In iſto autem anno Domini MCCCV. ego incepi alium locum nouum coram oſtio Domini Chamis, et inter curiam et locum noſtrum via ſola eſt, diſtans per iactum lapidis a porta Do-*

*Domini Chamis. Dominus* PETRVS *de* LVCALONGO *fidelis Christianus et magnus mercator, qui fuit socius meus de Thaurisio, ipse emit terram pro loco quem dixi, et dedit mihi pro amore Dei. Et diuina gratia operante, puto quod vtilior et congruentior locus haberi non possit in toto Imperio Domini Chamis pro Ecclesia Catholica construenda. In principio Augusti locum accepi, et assistentibus benefactoribus et iuuantibus, vsque ad festum sancti* FRANCISCI *fuit completus cum muro in circuitu, et domibus, officinis, plateis, et oratorio, quod est capax ducentarum personarum. Sed propter hyemem Ecclesiam perficere non potui, sed habeo ligna congregata in domo, et per misericordiam Dei perficiam in aestate. Dico vobis, quod mirum quoddam visum est omnibus aduenientibus de Ciuitate, et aliunde, qui adhuc non audierunt quidpiam de hoc: videntes enim locum de nouo factum, et crucem rubeam desuper in sublimi positam, et nos in oratorio nostro secundum vsum (quia notas adhuc non habemus) officium cantantes solemniter, amplius admirati sunt. Quando cantamus: Dominus Cham in camera sua potest audire voces nostras; et hoc mirabile factum longe lateque diuulgatum est inter gentes, et pro magno erit sicut disponet et adimplebit diuina clementia. A prima Ecclesia, et loco nostro vsque ad Ecclesiam secundam, quam aedificaui postea, sunt duo milliaria, et dimidium intra Ciuitatem, quae valde magna est, et pueros diuisi et posui, partem in prima, partem in secunda constitui, et faciunt officium per se ipsos. Sed ego sicut Capellanus per hebdomadas celebro in vtraque, quia inter hos pueros non sunt Sacerdotes. De regionibus Orientalibus vobis significo, et praecipue de Imperio Domini Chamis, quod non sit eo maius in mundo; et ego habeo in curia sua locum, et viam ordinariam intrandi et sedendi sicut Legatus Domini Papae, et honorat me super omnes alios Praelatos, quocumque nomine censeantur. Et licet ipse Dominus Cham audierit multa de curia Romana, et statu Latinorum, desiderat tamen multum videre nuncios venientes de partibus illis. In istis partibus sunt multae sectae idololatrarum diuersa credentium, et sunt multi Religiosi de diuersis sectis diuersos habitus*

*ha-*

*habentes, et sunt maioris austeritatis et abstinentiae, quam Religiosi Latini. De India maiorem partem ego vidi, et quaesiui de aliis partibus Indiae, et esset magnus profectus praedicare eis Fidem* CHRISTI, *si Fratres venirent. Sed non essent mittendi nisi viri solidissimi; nam regiones sunt pulcherrimae, plenae aromatibus et lapidibus pretiosis; sed de fructibus nostris parum habent, et propter magnam temperantiam, et caliditatem aeris et regionis nudi vadunt, medio corpore, verenda cooperientes, et propter ea artibus nostris sartorum, et cordonum, et artificiis non indigent, quibus est semper aestas, et numquam hyems. Baptizaui ibi circa centum personas cet.* Deest finis.

# N. XXXXVI.

L. WADDINGI *Annal. Minor. T. VII. p. 53. s.*

Frater ANDREAS de PERVSIO de Ordine Minorum Fratrum diuina permissione vocatus Episcopus, R. P. Fratri Guardiano Perusini Conuentus salutem et pacem in Domino sempiternam.

*Nam propter immensam terrarum mariumque distantiam, inter me et vos interiectam, vix sperare possum, quod litterae ad vos per me transmissae ad manus vestras valeant peruenire.* Et infra sequitur. *Nouistis me itaque cum bonae memoriae fratre* PEREGRINO *Coepiscopo, et meae peregrinationis indiuiduo comite, praeter multos labores et languores, inedias, variaque tormenta atque pericula in terra pariter et in mari, vbi fuimus rebus omnibus etiam tunicis et habitibus spoliati, demum, Deo iuuante, ad Sambaliensem ciuitatem, quae sedes est Imperii Magni Chanis, anno Dominicae incarnationis MCCCVIII. vt credo peruenisse, vbi secundum mandatum a sede Apostolica nobis datum Archiepiscopo consecrato, moram ibi per quinquennium ferme contraximus; infra quod temporis spatium procurauimus Alafa ab Imperatore magnifico pro victu et vestitu octo personarum. Est autem* Alafa *impensa, quam Imperator tribuit nunciis Magnatum, Oratoribus, bellatori-*

*toribus, diuersarum artium artificibus, iaculatoribus, pauperibus, et diuersis diuersarum conditionum personis, quae impensae plurium Latinorum Regum introitus et expensas transcendunt. De diuitiis, magnificentia et gloria huius magni Imperatoris, de vastitate Imperii, multitudine populorum, numerositate Ciuitatum, et magnitudine earumdem, et de ordinatione Imperii, in quo nemo aduersus alium ausus est leuare gladium, transeo, quia longum foret scribere, et audientibus incredibilia viderentur; nam ego ipse qui praesens sum, talia audio, quae vix ipse credere possum, cet.* sequuntur infra. *Est quaedam magna ciuitas iuxta mare Oceanum, quae vocatur lingua Persica Cayton, in qua ciuitate vna diues domina Armena Ecclesiam erexit praeclaram satis et grandem, quam quidem de ipsius voluntate per Archiepiscopum in Cathedralem erectam, cum competentibus dotibus, fratri* GERARDO *Episcopo et fratribus, qui cum eo erant, donauit in vita, et in morte reliquit, qui primus eamdem Cathedram suscepit. Mortuo autem dicto Episcopo, inibique sepulto, voluit Archiepiscopus in eadem Ecclesia me facere successorem, sed huiusmodi locationi et successioni me non praebente assensum, ipsam contulit fratri* PEREGRINO *Episcopo memorato, qui illuc, habita opportunitate, se contulit, et postquam paucis annis rexit eamdem, anno Domini MCCCXXII. in crastino Octauae Apostolorum* PETRI *et* PAVLI *diem clausit extremum, ante cuius discessum per quatuor fere annos, ego qui in Cambaliech non eram, consolatus ex aliquibus causis, procuraui quod dicta* Alafa *seu eleemosyna Imperialis mihi daretur in praefata ciuitate Caytonis, quae distat a Cambaliech itinere hebbomadarum fere trium, vt dixi, solicite procurari, et cum octo equitibus, ab Imperatore mihi concessis, ad eamdem Ciuitatem cum magno honore perrexi, et applicui, adhuc fratre* PEREGRINO *praefato viuente, et in quodam nemore proximo ciuitati ad quartam partem vnius milliarii, Ecclesiam conuenientem et praeclaram aedificari feci, cum omnibus officinis sufficientibus pro XXII. Fratribus, et cum quatuor cameris, quarum quaelibet esset pro quocumque Praelato sufficiens. In quo quidem loco moram traho continuam,*

*tinuam, et victu de eleemosyna Regia memorata, quae iuxta mercatorum Ianuensium aestimationem, ascendere potest annuatim ad valorem centum florenorum aureorum vel circiter, et de hac eleemosyna magnam partem in aedificatione loci praedicti expendi, cui similem in Eremitoriis in tota nostra Prouincia nullum scio quoad pulchritudinem et omnem amoenitatem. Denique non longo elapso tempore post obitum fratris* PEREGRINI *recepi decretum Archiepiscopi de locatione nostra in memorata Ecclesia Cathedrali, cuius locationi adsensum praebui causa rationabili suadente, et nunc in loco vel Ecclesia ciuitatis, nunc in Eremitorio moram facio, iuxta meae libitum voluntatis, et sum sano corpore, et quantum longaeuitas vitae patitur, aliquibus adhuc annis in hac messe laborare potero, licet canitiem habeam ex defectibus naturalibus et proprietatibus senectutis. Sane in isto vasto Imperio sunt gentes de omni natione, quae sub coelo est, et de omni secta, et conceditur omnibus et singulis viuere secundum sectam suam. Est enim haec opinio apud eos, seu potius error, quod vnusquisque in sua secta saluatur, et nos praedicare possumus libere et secure: sed de Iudaeis et Sarracenis nemo conuertitur, de Idololatris baptizantur quamplurimi, sed multi ex baptizatis non recte incedunt per viam Christianitatis. Quatuor nostri Fratres martyrizati fuerunt in India a Sarracenis, quorum vnus bis in ignem copiosum iniectus illaesus euasit, et tamen ad tam stupendum miraculum nullus est a sua perfidia permutatus. Haec omnia supradicta sub breuitate vestrae Paternitati destinare curaui, vt per vos ad aliorum notitiam deuoluantur. Fratribus spiritualibus et amicis meis praecipuis non scribo, quia qui discesserint, et superfint ignoro, vnde rogo quod me habeant excusatum. Omnes saluto, meque omnibus recommendo intime quantum possum, et vos pater Guardiane recommendetis me Ministro et Custodi Perusino, et aliis Fratribus vniuersis. Omnes Episcopi suffraganei facti per Dominum Papam* CLEMENTEM *Cambaliensis Sedis migrarunt in pace ad Dominum, ego solus remansi. Frater* NICOLAVS *de* BANTHERA, *frater* ANDRVTIVS *de* ASSISIO, *et vnus alius Episcopus*

*mor-*

*mortui fuerunt in ingressu Indiae inferioris, in terra quadam crudelissima, vbi et plures alii mortui sunt et sepulti. Valeat in Domino vestra Paternitas nunc et semper. Data in Cayton anno Domini MCCCXXVI. in mense Ianuarii.*

## N. XXXXVII.

### Ex L. WADDINGI *Annal. Tom. VI. p. 147.*

Venerabili Fratri, fratri GVILLELMO de VILLA NOVA Ordinis Fratrum Minorum, per nos assumpto in Episcopum suffraganeum Archiepiscopalis Sedis Cambaliensis in dominio Tartarorum.

*Considerantes olim clara sanctae operationis studia, quae dilectus filius frater* IOANNES *de* MONTE CORVINO *in Archiepiscopum Cambalien. per nos assumptus, in partibus Tartarorum, secum Domini fauente virtute, operatus est hactenus, ac in partibus ipsis existens, assidue operatur, ipsum fratrem* IOANNEM, *Ordinem Fratrum Minorum professum, ac in dictis partibus existentem, de Fratrum nostrorum consilio, et Apostolicae plenitudine potestatis in ciuitate Cambalien. magna vtique et honorabili Regni magnifici Principis, Magni Cham Regis Tartarorum; in Archiepiscopum assumpsimus et praefecimus in pastorem, curam, et sollicitudinem animarum omnium existentium in toto dominio Tartarorum, sibi plenariam committentes; teque postmodum sufficienter in lege Domini eruditum, de praedictorum Fratrum nostrorum consilio, et Apostolicae potestatis plenitudine, in adiutorium commune dicto fratri* IOANNI *et in partem sollicitudinis pro maiori animarum salute specialiter duximus deputandum, ac in dicto dominio in Episcopum assumpsimus, et praefecimus in pastorem; ac demum tibi per venerabilem fratrem nostrum* PETRVM *Episcopum Sabinen. apud Sedem Apostolicam munus fecimus consecrationis impendi. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad partes praedictas, sine dilatione qualibet, cum gratia nostrae benedictionis accedens, commissam tibi in hac parte*

curam et sollicitudinem sic salubriter gerere studeas, quod praeter diuinae retributionis praemium, dignis possis exinde laudibus merito commendari. Datum Pitauis Kalen. Maii an. III.

## N. XXXXVIII.

L. WADDINGVS *Tom. VI. p. 93.*

Dilecto in CHRISTO filio fratri IOANNI de MONTE CORVINO, Ordinis Fratrum Minorum, per nos in Archiepiscopum Cambaliensem electo et constituto, salutem et Apostolicam benedictionem.

Infra sequitur. *Sane nuper ad notitiam nostram, et dictae Sedis Apostolicae fide digna relatione peruenit, quod tu olim zelo orthodoxae fidei Christianae accensus ex praemisso consensu, ac Ordinis tui Generalis Ministri licentia speciali, vt lucrifaceres animas infidelium Deo viuo, ad ipsas infidelium Orientalium partes te personaliter transtulisti, et interioris dominii Tartarorum partes ingressus, quod plures infidelium per lauacrum sacri baptismatis ad veram fidem* CHRISTI, *fauente tibi Spiritus sancti gratia, reduxisti fideliter et attente* cet. quae sequuntur. *Concedit autem Dominus Papa* CLEMENS *fratri* IOANNI *in priuilegio, seu dicta bulla, vt ipse factus Archiepiscopus Episcopos instituere et consecrare possit, et Sacerdotes et Clericos in Ciuitatibus et Prouinciis Orientalibus, et etiam auctoritate sua concedit ei, vt sicut Dominus Papa in Occidentali et Latina Ecclesia praesidet summus Pontifex super omnes Episcopos et Praelatos vti* CHRISTI *Vicarius, ita et frater* IOANNES *summus Archiepiscopus praesideat super omnes Episcopos et Praelatos in partibus illis, hoc pacto et titulo vt semper se subditum Romano Pontifici confiteatur, et ab eo vsum pallii recognoscat tam ipse frater* IOANNES, *quam omnes Archiepiscopi Cambalienses futuri per secula Romanae Ecclesiae subiaceant in his pactis. Commendat etiam Dominus Papa in eadem bulla fratrem* IOANNEM, *quod Ecclesias construxerit, et picturas noui et veteris Testamenti in eis depingi fecerit, in testimonium*

*monium mirabilium operum Dei nostri, vt rudes populi, quia numquam ista audiuerunt nec sciuerunt, per picturas ipsas discant Deum intelligere, et admiranda opera eius.*

## N. XXXXVIIII.

EX WADDINGO *l. c.*

Magno Regi omnium Tartarorum Deum colere et timere.

*Splendor Patris, lux mundi, veritas et vita saluator noster Dominus* IESVS CHRISTVS, *qui sua mundum illuxit ineffabili claritate, quique recti censura iudicii caelestia pariter et terrena disponit, et omnes redemptos eius pretioso sanguine volentes ad eum, reiectis tenebrarum periculis, perfecte conuerti, caritatiue recipit, et benigne miseretur eorum, quoniam multus est ad ignoscendum, ipsos quoque magnificis decorare honoribus, et caelestis beatitudinis efficere possessores, illos tamen vt dignis digna rependat, honoribus attollit, insigniis ac praemiorum vberiori retributione prosequitur, quod digniores agnoscit, et commendat ingentior excellentia meritorum. Sed benedictus Deus, et pater luminum, vbi vult, spirans potenter effecit quod tu, sicut digna fide relatione libenter accepimus, in amore virtutum, et piis operibus exercendis studiose intendens, ministros Christianae fidei sereno oculo pie respicis, et verba salutis libenter audiens, ipsos in conspectu tuae magnitudinis gratanter admittis, ex quo vobis super hoc Deo largitori bonorum omnium deuote laudes et gratias referentibus, firma spes salutis ingeritur, quod ipse Deus miserator, et multum misericos sic oculos tuae magnitudini aperiat clare luce: quod ex toto errorum tenebroso obiecto nubilo, ipsum Deum vnicum Dominum, et* IESVM CHRISTVM *Redemptorem tuum, perfecte cognosceres, et animum tuum pio et recto ordine perquires. Attende igitur, magnifice Princeps, et prudenter agnoscas, quod inter cetera, quae magnitudinem tuam exaltabunt, et dilatabunt potentiam tuam, et fulgorem tui diffundere poterunt principatus,*

*et potestatis, praecipue Catholicae fidei Sacramentum, felicitatem tuam ad perpetuae beatitudinis inaestimabilem gloriam promouebit, teque per illam* CHRISTVS *sol iustitiae, remunerator magnificus praemiorum inter sanctos et electos suos, feliciter in caelestibus collocabit, tuique facti recolendi memoriam posteritatis ad futuros transmittet* cet. Deest finis.

## N. L.

L. WADDINGVS *Tom. VI. p. 467. s.*

Venerabili fratri PETRO de FLORENTIA in Dominio Tartarorum, per nos assumpto salutem cet.

*Rex Regum, et Dominus dominantium, Saluator noster* IESVS CHRISTVS *inter alia caritatis opera, quae hominibus laborantibus, in hac valle miseriae magis necessaria, et in conspectu diuinae maiestatis plus accepta fore noscuntur, Euangelicae praedicationis officium, in quo fratres Ordinis Minorum, quem professus existis, habent incumbere assidue et sollicite, pastoribus Ecclesiae adiutores, maioris priuilegii voluit praerogatiua praeferri. Propterea, vt sermo Domini dignis progressibus promoueatur, oportet viros spirituales vitae munditiam et intelligentiae gratiam, cum* IOANNE *sortitos, qui populis, gentibus, linguis, Regibusque multis ipsum* CHRISTVM *Dominum praedicent, praesertim in partibus illis, vbi negotium Catholicae fidei patrocinium salutaris propagationis implorat, in partem huiusmodi pastoralis sollicitudinis deputari. Sane nuper considerantes attentius praeclara sanctae operationis studia, quae Venerabilis frater* IOANNES *de* MONTE CORVINO, *per nos in Archiepiscopum Cambalien. assumptus in partibus Tartarorum, secum faciente Domino virtutem, operatus est hactenus, ac in partibus ipsis existens assidue operatur, ipsum fratrem* IOANNEM, *Ordinem praedictum professum, et in dictis partibus existentem, de Fratrum nostrorum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis, in ciuitate Cambalien. magna vtique et honora-*

*norabili, Regni magnifici Principis, magni Regis Tartarorum, in Archiepiscopum assumpsimus, et praefecimus in pastorem, curam et sollicitudinem animarum omnium existentium in toto dominio Tartarorum sibi plenariam committentes, ibique exercendi omnia, quae ad iura Archiepiscopalia spectare noscuntur, prout permittunt canonicae sanctiones, eadem auctoritate concedentes plenam et liberam potestatem. Vt autem in eisdem partibus incrementum salutis animarum perfectius prouenire valeat, et fides Catholica semper de bono in melius per Euangelicae praedicationis doctrinam, auctore Domino, prosperetur; Nos summi Regis Magisterio eruditi, qui inclinata coelorum altitudine, vt hominem redimeret, factus homo, discipulos, quos elegit, in vniuersum mundum misit Euangelium praedicare, cupientes viros prouidos et discretos, scientes ad salutem incredulos populos erudire operibus et sermone, in partibus praemissae sollicitudinis euocare, qui rectas faciant semitas Dei nostri, populumque acceptabilem ei reddant, te dictum Ordinem professum, vt praemittitur, ac sufficienter in lege Domini eruditum, vita et religione conspicuum, morum honestate decorum, ac multarum virtutum titulis commendatum, de praedictorum Fratrum nostrorum consilio, et Apostolicae plenitudine potestatis, pro maiori animarum salute deputamus, ac in dicto dominio Tartarorum in Episcopum assumpsimus, et praefecimus in pastorem, tibique consequenter fecimus munus consecrationis impendi, constituentes te suffraganeum Archiepiscopi supradicti, tibi nihilominus, et successoribus tuis Episcopis in eodem dominio concedentes, vt omnibus et singulis gratiis, et concessionibus, quas nuper per litteras nostras fratribus dicti Ordinis in Terra Saracenorum, Paganorum, et aliorum infidelium proficiscentibus, auctoritate Apostolica duximus indulgendas, auctoritate nostra libere vti possis. Volumus itaque, et tibi in remissionem iniungimus peccatorum, quatenus huiusmodi tibi commissum pastorale officium in Dei, et Sedis Apostolicae honorem, nostro nomine deuote suscipiens, cum diuinae benedictionis gratia ad partes easdem te personaliter conferas, propositurus inibi verbum diuinum, prout Spiritus sancti*

gratia dabit tibi, et de nostra et dictae Sedis [illegible] ma-gis, dictam [illegible] [illegible] et [illegible] [illegible] tibi. [illegible] [illegible], ut [illegible] [illegible]. et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible], ac [illegible] CHRISTI Ecclesiae [illegible] [illegible] CHRISTI [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Ecclesiae gratiam, et [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] merearis. Datum Avenione XIII. Kal. Ianuarii anno V.

## N. LI.

Ex ODOR. RAYNALDI *Annal.* Tom. XV. an. 1336. n. 34. p. 37.

Magnifico viro OLEGETUCAS Regi Tartarorum veritatem agnoscere, et agnitam custodire.

*Dum ad recuperationem terrae transmarinae videlicet regni Ierusalem, quod Deus omnipotens sanctae Catholicae et Apostolicae Ecclesiae in personis antiquorum filiorum Israel promisit et dedit, et in plenitudinem temporum unigeniti Filii sui, Dei et Domini nostri* IESV CHRISTI *natiuitate, habitatione, praedicatione et sanguinis aspersione sanctificauit et consecrauit, eidemque Ecclesiae in vno corpore, cuius caput est idem Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *per vnitatem fidei constitutae firmauit; atque ad reprimendam Saracenorum hostilem inuasionem, qui regnum Ierusalem praelibatum et terram praedictam in praeiudicium et contemptum Christianae religionis iam dudum hostiliter inuaserunt et occupauerunt, ac velut de propria haereditate de regno et terra praedictis Christicolis expulerunt, inibi Christianae religionis cultum, quo Deus omnipotens secundum Euangelium unigeniti Filii sui Domini nostri* IESV CHRISTI *per viros Apostolicos diuulgatum a sanctis Patribus, qui ante nos terram praedictam tenuerant, colebatur,*

*batur, in sectam aliam, cultum etiam omnino diuersum, Deoque odibilem peruerterunt) dumque ad hanc iniuriam propulsandam praedecessorum nostrorum Rom. Pontificum inhaerentes vestigiis cum omni vigilantia vias exquirere, et exquisitas operi applicare operosa solicitudine studeremus;* THOMAM ILDVCI *nuntium tuum et literas, quas ipse nobis ex parte tua portauit, consueta sedi Apostolicae benignitate recepimus; et tam ea, quae ipsae literae continebant, quam ea, quae dictus nuntius coram nobis dicere, ac proponere pro tua parte similiter voluit, audiuimus diligenter. Profecto gratanter ex literarum inspectione et nuntii eiusdem relatione percepimus, quod ad terrae praefatae subsidium et recuperationem nos reddens attenta persuasione solicitos, ducenta millia equorum et ducenta millia salmarum bladi in Armeniae partibus statim, quod Christianorum exercitus erit ibi; et personam tuam insuper cum centum millibus equitum ad felicem, Deo dante, ipsorum Christianorum progressum, et ad profugandum de dicta terra Saracenorum hostilem potentiam te daturum et expositurum viriliter obtulisti. Huiusmodi quidem oblatione cum iucunditate suscepta, velut cibo quodam spiritualiter confortati, non alterius Angelum putauimus, quam illius, qui per Angelum suum tulit* ABACVC *cum cibo ad confortandum* DANIELEM *in lacu. Absque dubio dulciter nos cibasti, dum nobis tam magnifici subsidii spem dedisti. Huiusmodi autem subsidii et optatae recuperationis terrae praefatae negotio cum eisdem fratribus plena examinatione discusso, licet inter caetera nostra et fratrum nostrorum desideria hoc habeatur assidua meditatione praecipuum, vt terra, in qua steterunt pedes Domini, ad cultum Christianae religionis, dante Domino, redigatur; videndum tamen occurrit: et exactissima discussione pensandum, per quem modum tam pium sanctumque propositum felicem sortiatur effectum. Et idcirco nos et fratres iidem super iis diligentem deliberationem adhibere curabimus; et sperantes in Altissimi dextera cum seruis suis faciente virtutem, quod administrabit Dominus, quantum in nobis fuerit, exequemur: cumque transfretandi acceptabile tempus aduenerit, tibi per literas, seu nuntios significare*

*curabimus, vt ad ea perficienda, quae tua magnificentia pollicetur, inueniaris per operis efficaciam praeparatus. Tu vero ad eundem* CHRISTVM, *qui est via, veritas, et vita, cuique seruire regnare est, fide ac opere te conuertens, erga eandem terram in oblato proposito sic stabiliter perseueres, sicque in iis et aliis cures ipsius* CRRISTI *Redemptoris in terris beneplacita prosequi, quod ab eo in coelis delitiarum suarum, et gloriae amplam merearis consequi portionem, ac nos et Apostolica sedes in tuis honoribus et profectibus delectemur. Datum Pictauis, Kal. Martii, anno III.*

## N. LII.

ODOR. RAYNALDVS *Tom. XV. ann. 1318. n. 1. p. 168.*

Magnifico viro VSBEC Imperatori Tartarorum illustri diuinae inspirationis gratiam in praesenti, et fruitionis aeternae gloriam in futuro.

*Laetanter audiuimus, qud tu, non absque speciali motione diuina, ob reuerentiam* CHRISTI IESV *domini saluatoris, religionis Christianae cultores infra imperii tui terminos constitutos, benigno fauore prosequeris et pertractas; hoc in te per te agente illo, qui pro sua voluntate bona in nobis velle ac perficere operatur; quique vult omnes homines saluos fieri, et ad agnitionem pertingere veritatis. Nos igitur, qui principis Apastolorum* PETRI, *quem* CHRISTVS *coelum ascendens in terris suum vicarium dereliquit, regni coelestis traditis sibi clauibus, per quas ipse suique successores potestatem aperiendi omnibus et claudendi eiusdem regni ianuam obtinerent, successores sumus sola Dei potentia non nostris meritis constituti, animas Deo lucrifacere super omnia cupientes, et errantes in viam reritatis reducere; vt ipsum agnoscant Deum viuum et rerum omnium conditorem, qui de tenebris nos vocauit, atque vtinam te ac tibi subiectos populos vocare dignetur, in admirabile lumen suum; magnitudinem tuam rogamus et hortamur attentius, et per illius misericordiam obsecramus, qui te ad suam fecit imaginem se capacem; qui mortis et inferni claues obtinens, cui claudit, nemo aperit, et cui aperit, nemo claudit;*

*dit; quatenus prudenter confiderans, quod vita noftra vapor ad modicum parens effe dignofcitur, quodque dies noftri tranfeunt velut vmbra; faluberrimam fidei catholicae veritatem, quam facrofancta Romana feruat, praedicat, et docet ecclefia, fine qua creatori Deo eft impoffibile complacere, reuerenter amplectens cum fubiectis tibi populis per facratam ac facrantem vndam baptifmatis, per quam, vt filii fimus Dei accipimus poteftatem, fpiritualiter regenereris in* CHRISTO; *vt fic ab ipfo regni coeleftis coronam incorruptibilem vna cum ipfis populis confequi merearis. Verum quia ipfe* CHRISTVS, *qui eft veritas, fauores et bona, quae fuis exhibentur cultoribus, perfonae fuae exclamat et reputat effe facta; celfitudinem tuam in Domino deprecamur, quatenus ad Chriftianae fidei profeffores, qui dominationis tuae terram inhabitant, et maxime qui praedicant inibi verbum Dei, fic tuae benignitatis affectu continues, ipfos operofis fauoribus profequendo, quod tuae protecti defenfionis clypeo, cuiusquam offenfionis molimina non formident; quin potius affiduae fecuritatis dulcedine valeant gloriari. Caeterum cum, prout accepimus, ob diuini reuerentiam nominis Chriftianos praedictos campanas, ad quarum pulfationem ad diuina conuenire poffent officia, dudum per aliquod temporis fpatium habere ac pulfare libere permififfes, quamuis poftmodum inimicorum* CHRISTI, *qui, quantum poffunt licet fuperuacue, non definunt fuae iniquitatis iacula iacere contra ipfum, fraudulenta feductus inftantia campanas pulfandi praedictas eis interdici fecifti a tribus annis proximo praeteritis facultatem; rogamus denuo vt fuggeftiones huiusmodi, quae de ipforum fentina venenofa procedunt, omnino defpiciens,* CHRISTI *cultores eosdem praefatas habere ac pulfare campanas, pro diuini honore nominis, permittas fine difficultate aliqua et concedas. Speramus enim in Domino, quod ex hoc tibi vitae praefentis augmenta prouenient, noftrique Redemptoris immenfa benignitas, qui nunquam irremuneratum bonum aliquod praetermittit, ad fui nominis gloriam agnofcendam oculos tuae mentis facilius fuae lucis fplendoribus illuftrabit. Dat. Auinione V. Kal. aprilis anno II.*

# N. LIII.

ODOR. RAYNALDVS *l. cit.*

IOANNES cet. Dilecto filio fratri FRANCO PERVSINO ordinis fratrum Praedicatorum, electo Soltaniensi.

*Pridem gratis relatibus intellecto, quod in partibus Persidis, et terris aliis circumpositis, sub magni Imperatoris Tartarorum Persidis imperio constitutis, venusta fidelium et nouella plantatio, quam inibi plantasse dignoscitur misericordia Conditoris, regenerata vnda baptismatis, nomen veneratur Altissimi, et inspiciens lucem magnam, extollit laudibus nostri praeconia Redemptoris, ingentem suscepimus in corde laetitiam; votis feruentibus affectantes, vt viros, virtutis, honoris, et gratiae titulo refulgentes, ad cultum nouellae vineae verae vitis tanquam cultores industrios et operarios opportunos, quorum curiosa cultura eiusdem vineae palmites in illarum partium latitudinem vsque ad extremos orbis terminos Deo auxiliante succrescant, peropportunae solicitudinis et diligentiae studium poneremus. Propter quod villam Soltaniensem in eisdem partibus et dominio constitutam, inter alias villas dictarum partium, prout fide dignorum habet assertio, insignem, nobilem, et famosam, ac habentem populum copiosum, de fratrum nostrorum consilio, et apostolicae plenitudine potestatis, in ciuitatem metropolitanam duximus erigendam: ac ad personam tuam, euangelizantem in illis partibus verbum Dei, de cuius sanctitate vitae, literarum scientia, et aliis copiosis virtutum meritis magna nobis et eisdem fratribus fide digna testimonia sunt relata, oculos dirigentes, te Ordinis Praedicatorum professorem de ipsorum fratrum consilio, et dictae potestatis plenitudine, Ecclesiae dictae ciuitatis in Archiepiscopum praefecimus et pastorem; curam et administrationem, et solicitudinem animarum omnium existentium in eisdem partibus, quae subduntur praefati Imperatoris, nec non* CHAYDO *et Aethiopiae ac Indiae Regum seu Principum dominiis, tibi plenarie committentes; tibique exercendi omnia, quae ad iura Archiepiscopalia*

*palia spectare noscuntur, secundum quod est sacris canonibus diffinitum, concedentes plenam et liberam potestatem, prout haec et alia in nostris super hoc confectis literis plenius continentur. Volentes igitur, vt Catholicae fidei veritas semper de bono in melius, auctore Domino, in illarum partium latitudine expulsis tenebris elucescat, sex de fratribus dicti Ordinis, videlicet* GERARDVM CALVENSEM, GVILLELMVM ADAE, BARTHOLOMAEVM *de* PODIO, BERNARDINVM *de* PLACENTIA, BERNARDVM MORETI, *et* BARTHOLOMAEVM ABALIATI, *in lege Domini eruditos, vita et religione praeclaros, et multarum virtutum titulis commendatos, de dictorum fratrum consilio, et eiusdem plenitudine potestatis assumpsimus et praefecimus in Episcopos et pastores, ipsosque in adiutorium commissae tibi solicitudinis pro maiori animarum salute in praefatis partibus duximus deputandos, cet. Datum Auinione Kal. Maii anno II.*

## N. LIIII.

### Ex ODOR. RAYNALDO *T. XV. ann. 1321. n. 1. p. 211.* et WADDINGO *Tom. VI. p. 372.*

IOANNES cet. dilecto filio nobili viro ABVSCANO nato clarae memoriae COSOGANI Regis in partibus Tartariae.

*Considera, quaesumus fili, opus clementissimae pietatis, quod in te dignatus est Dominus misericorditer operari de sua inaccessibili luce, ne transirent dies tui et non videres bonum, nec excludereris a desiderio collium aeternorum, illuminans habitaculum mentis tuae. Profecto, fili, ecce quod nos et Romana mater ecclesia mater tua in laudem, benedictionem, et gloriam Dei ac Salvatoris nostri sponsi coelestis oculos nostros erigimus, et manus nostras leuamus in sancta eius, qui amorem suum in generis humani salute continua miseratione conseruans, te sicut venerabilis* (1) *nostri* HIERONYMI *episcopi Caphensis et sociorum eius assertione laeti*



(1) Fratris *addit* WADDINGVS

*laeti percepimus, ad sponsae suae thalamum, sancti Spiritus lumine illucescente, direxit: propterea Deum nostrum in salutari eius anima nostra magnificat, nosque in te iubilo cordis et spiritus exultamus. Verum vt super te tamquam dignum benedictionis filium perpetuae pacis fida tranquillitas requiescat, volumus te prudenter agnoscere, quod inter caetera, quae te dirigere possunt rectis gressibus ad salutem, haec recolenda facti memoria aetatis tuae tempora futuris seculis collaudanda mandabit, si subditi tui viuido ac indiuiduo ecclesiae catholicae corpori ad participationem vitalis spiritus tua prudentia iungerentur. Quare nobilitatem tuam paternis rogamus et hortamur affectibus, ac per (2) Dei misericordiam obsecramus, tibique in remissionem iniungimus peccatorum, quatenus inaestimabilis boni praemium pro eisdem subditis procurando, sic res felici ducatu dirigas ad salutem, quod tuo salutari consilio sacri baptismatis vnda renati Deo et angelis eius, in communione (3) sanctorum et communicatione (4) sancti Spiritus vniantur inseparabili foedere charitatis, idque te in sublimitatem gloriae celsioris adducat; et nostram deinde et dictae sedis benedictionem et gratiam plenius merearis. Caeterum cum dictus (5) episcopi et socii pro tua dictorumque populorum procuranda salute ad partes ipsas cum benedictionis nostrae gratia reuertantur ad praesens, quaesumus fili, vt tam eos, quam alios Christianos in eisdem partibus commorantes pro diuina et dictae sedis ac nostra reuerentia benigne pertractans, eos fauoribus munias opportunis, tuaeque protectionis auxiliis a molestiis tuearis, et in libertate plenae securitatis manuteneas et conserues. Dat. Auin. X. Kal. Decembris anno VI.*

## N. LV.

EX WADDINGO *vbi supra.*

Vniuersis per Tartarorum Imperium Aquilonare constitutis in obedientia perseuerantibus Apostolicae Sedis.

*Domi-*

(2) atque, *Id.* (3) communi. *Id.* (4) communitate, *Id.* (5) dicti, *Id*

*Dominum Deum nostrum anima nostra magnificat, et in deuotis laudibus reuerenter exaltat, quod ipse, qui neminem vult perire, vos per venerabilis Fratris nostri* HIERONYMI *Episcopi Caphensis et dilectorum filiorum Praedicatorum et Minorum Fratrum Ordinum, ministerio salutari, de mortis educens tenebris, ac vitae veteris coecitate in admirabile lumen suum, ad agnitionem sui gloriosissimi nominis reuocauit. Profecto, filii, inter sollicitudines alias nostris humeris incumbentes, hoc perpeti cura revoluimus, ad hoc ardentius nostra suspirat intentio, et hoc in solidae caritatis ardore crebris orationibus postulamus a Domino, vt ipse lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, suam sanctam Catholicam, et vniuersalem Ecclesiam in vnitate fidei Orthodoxae toto orbe terrarum dignanter adunet. Ideoque, filii, vniuersitatem vestram paternis rogamus et hortamur affectibus, et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus diligentius attendentes, quod coronam gloriae perseuerantia repromittit, in huiusmodi synceritate fidei, per quam mereamini consortium Angelorum, in nonnullis radicitus stabiliti, illam semper deuotis animis obseruare curetis, vt ipse cognitor secretorum omnipotens vota vestra percipiens, suis beneplacitis conformare, in vobis gratiae suae dona multiplicet, et post vitae praesentis excursum Regni sui faciat cohaeredes. Datum Auenione X. Kal. Dec. anno VI.*

## N. LVI.

RAYNALDVS *T. XV. ann. 1321. n. 3. p. 211.* WADDINGVS *T. VI. p. 368.*

Nobili viro ZOPAN BEGILAY Regi gratiam, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Larga Dei patris et copiosa clementia, qui neminem vult perire, ex eo tui cordis intima tetigisse videtur, quod fidei Christianae cultores, infra latitudinem degentes imperii Tartarorum, multae humanitatis (sicut dilecti filii* IACOBVS *et* PETRVS *ordinis*

*nis Minorum exhibitores praesentium quod laeti suscepimus, voce laudabilis commendationis attollunt) benignitate prosequeris et pertractas, et a tuae protectionis fauoribus non excludis: ex quo datur nobis spei gratae fiducia, quod nostri Redemptoris ineffabilis pietas, a quo charismatum omnium dona emanant, oculos mentis tuae splendoribus suae claritatis irradians, de vitae veteris coecitate ad agnitionem sui nominis misericorditer rouocabit. Quare prudentiam tuam rogamus et hortamur attentius, et per misericordiam eius, qui vult omnes saluos fieri, instantius obsecramus, quatenus quod circa fidei cultores eiusdem tibi dedit pietas inchoari, laudabili prosecutione continuans, praedictos fratres, qui pro tua et populorum imperii memorati salute procuranda ad eiusdem partes imperii cum nostrae benedictionis gratia reuertuntur; nec non et Christianos alios, in eodem degentes imperio, habens pro diuina et Apostolicae sedis ac nostra reuerentia propensius commendatos, eos tui fauoris ope confoueas, a quibusuis defendas molestiis, et tuae protectionis auxiliis tuearis. Dat. Auin. X. Kal. decembris anno VI.*

## N. LVII.

EX WADDINGO *loc. cit. p. 369.*

Dilectis filiis, VAITAN Sacristae Israel, et ABRAHAM, et aliis Monachis Monasterii sancti THADAEI Apostoli, ABRAHAM, GREGORIO et ANERFOT clericis, et COTHVLOTOGAS, SCYA, CHAZERIES VIARAM, SARCHII, SINOFOVR, LIVS, SVINSA, AMISSIA, et DAVID de Thaurisio Carin, ASTVAZADVR, BARAC, et ANETIS de Soldania, ARGON, AMIRFEK, et SARKIS de Maiaga, et DIACOREGAN et SARKIS de Salamastro, ABRAHAM, DAVID, SADAGA, ALDAMER, ZACHARIAE, et DAVID de Telefilic et aliis vniuersis et singulis ad Catholicam fidem conuersis per Tartarorum Imperium constitutis salutem.

*Cum sicut dilectus filius* IACOBVS *Ordinis Minorum lator praesentium nobis exposuit, vos pro nomine saluatoris Dei et Domini*

*Domini nostri* IESV CHRISTI, *contumelias tribulationum, et angustias persecutionum frequenter pati contingat: nos intendentes, vt in iis pro diuini nominis gloria, vestraeque salutis augmento eo libentius patientiam habeatis, quo potiora spiritualis gratiae dona inde vos perceperitis adipisci. Vobis vniuersis et singulis, et aliis de praefato Imperio, qui ad fidem Catholicam Orthodoxam conuertentur in posterum, singulis diebus, quibus vos aut dictos conuertendos contumelias aut tribulationes vel persecutionem pro eodem nomine pati contigerit, et omnibus, qui alios ad dictae fidei communionem inducent, singulis diebus, quibus super hoc fideliter laborabunt; nec non et illis, qui nomine eiusdem Domini nostri* IESV CHRISTI, *et beatissimae semper Virginis* MARIAE *genitricis eius, Dominae nostrae, reuerentiam deuotis animis exhibebunt, vere poenitentibus et confessis, singulis diebus, quibus reuerentiam huiusmodi facient, viginti dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Datum Auenione X. Kal. Decemb. anno VI.*

## N. LVIII.

LVCAS WADDINGVS *vbi supra.* RAYNALDVS *p. 214.*

Venerabilibus Fratribus de Aguemaz, et de Arthamar Archiepiscopis, ac ZACHARIAE ARGIS, IOANNI de Noraeuans, STEPHANO THAISAIR ac - - - de Pictriuiaco - - - de Astarat, de Carry, IACOBO de sancto BARTHOLOMAEO, ZACHARIAE de Naczoan, THADAEO de Paceuàn, NERSES de Wuanauaniz, SARBAS de Arepada - - - de Arteron, de Arzenga et de Cars, ac aliis Orientis Episcopis, nec non dilectis filiis Archipresbytero et filiis RISTAKES, ac STEPHANO de Soldania, AVET IK CONSTANT, IACOBO AVETIS TARPAT, PAPOY de Arzaron, IOANNI de Moraga, STEPHANO et ABRAHAM de Diacoregan, BARTHOLOMAEO de Tiraton, de Thefeliz, CHIRATOS VARCABET, ac vniuersis et singulis Varcabetibus Abbatibus, Monachis, et Sacerdotibus ac clero et populo fidelium per Imperium Tartarorum degentibus salutem cet.

*Saluator noster, qui verum est caput corporis mystici Ecclesiasticae vnitatis, iuxta illud Apostoli:* Omnes sumus vnum corpus in CHRISTO, *instante suae articulo passionis, quam subire dignatus est, pro nostra omniumque salute, signanter orasse legitur pro hac sibi perplacita vnitate:* Volo, *inquiens*, Pater, vt omnes sint vnum in nobis. *Et nos quidem, qui licet immeriti gerimus vices eius in terris, salutem animarum in cunctis nationibus diuinitus humilitatis nostrae curae commissis, accuratius exquirentes, ad vnitatem omnium in Orthodoxae fidei veritate, sine qua salus esse non potest, in Ecclesiasticorum consonantia rituum desideranter afficimur, et quanto in vnione huiusmodi sincerius delectamur, tanto nimirum intensius quamlibet in illa dissidentiam detestamur. Quapropter vehementer dolere cogimur et turbari, cum a capite suo membra quaedam videamus esse diuisa, suaeque diuisionis damnum tamquam mortificata non possumus non plangere, nec sentire. Nempe Orthodoxorum neminem credimus cet. Cui cum Dei gratia disponente, non nostris meritis, succedamus, nequaquam sine dolore possumus intueri a tanti capitis corpore membra quaedam esse diuisa, videlicet Armenorum Orientis Ecclesiam: seiuncta nempe per inobedientiam a suo capite spirituali corporis sanctificationem nequaquam participat, cum ab eius se subtraxerit vnitate. Haec est igitur doctrina quam tenet et praedicat sacrosancta Romana Ecclesia, quae iustos viuificat, labentes stabilit, corda purgat. Haec est vere pugnanti clypeus, arra sponsae, praemium et triumphus. Docet insuper baptismum non esse aliquatenus iterandum, et eos qui post baptismum in peccata relabuntur non baptizandos, sed per veram poenitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum. Quod si vere poenitentes in caritate discesserunt, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animas poenis purgatorii post mortem purgari, et ad poenas huiusmodi releuandas prodesse eis fidelium viuorum suffragia, scilicet sacrificia, eleemosynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesiae instituta. Illorum vero animas qui post Sacramentum baptismatis nullam omnino peccati*

peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, sunt purgatae, in coelum mox recipi. Illorum autem animas, qui in mortali peccato, vel cum solo originali discedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen ac locis disparibus puniendas. Tenet etiam et docet sacrosancta Romana Ecclesia septem esse Ecclesiastica Sacramenta, scilicet Baptisma, de quo dictum est, aliud esse Sacramentum Confirmationis, quod per manus impositionem Episcopi confertur, chrismando renatos chrismate, in coena Domini per solum Episcopum, vel Superiorem ipso Antistite, consecrato. Aliud est Extrema vnctio, quae de oleo, per Episcopum, vel Superiorem vt praedicitur, benedicto, infirmantibus secundum doctrinam beati IACOBI, per presbyteros exhibetur. Aliud est Eucharistae, quod ex azimo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens quod in ipso Sacramento panis verus transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI, in quo sacrificio in calice aquae modicum vino apponitur ad consecrationem Dominici sanguinis celebrandam; ita quod nec aquam sine vino, nec vinum sine aqua afferri debere eadem Ecclesia sancta docet; quodque per sumptionem huius Sacramenti sanctissimi non frangitur ieiunium a sumente. De matrimonio vero tenet, quod nec vnus vir insimul plures vxores, nec vna mulier habere permittatur plures viros. Contracta vero matrimonia inter coniunctos vsque ad quartum consanguinitatis gradum inclusiue citra dispensationem Romani Pontificis, per sanctam Romanam Ecclesiam nullatenus rata seu legitima reputantur; soluta vero lege matrimonii per mortem alterius coniugum secundas et tertias et deinceps, nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat. Aliud est Sacramentum Poenitentiae, quo secundum institutionem eiusdem Ecclesiae, fidelis quilibet Christianus omnia peccata sua semel ad minus in anno debet Sacerdoti proprio confiteri. Septimum vero Sacramentum est sacer Ordo. Eadem quippe Romana Ecclesia quatuor agnoscit Minores Ordines, quorum primus est, ordo Ostiarii, secundus Lectoris, tertius Exor-

*ristae, et quartus Acolyti; nec non et tres maiores, Subdiaconatus videlicet, Diaconatus et Presbyteratus Ordines, quos statutis a iure temporibus in eadem confert Ecclesia ordinatis. Quia vero debitores omnium, ac seruus seruorum illius sumus effecti, qui neminem vult perire, non immerito circa vos et subditos vestros misericordiae visceribus affluentes,* PAVLI *gentium Doctoris affectu inducimur, qui sciens omnium Creatorem acceptationem non facere personarum, conformatur infirmis, et omnibus omnia factus est vt omnes Domino lucraretur. Nos enim vestra nequaquam requirimus, sed animarum vestrarum in Domino* IESV CHRISTO *lucra sitimus, nil de facultatibus vestris subtrahere quaerimus, vel minuere de honore, sed quantum cum Deo possumus vos iuste provehere et ampliare potius affectamus. Quare vniuersitatem vestram rogamus, et obsecramus in filio Dei Patris, quatenus praemissis in scrutinio rectae considerationis adductis, in eiusdem Ecclesiae Catholicae vnitate, praemissa deuotis animis obseruando perseuerare curetis, ad hoc subiectos vobis populos inducendo, vt in Ecclesia Catholica, verae fidei induta decore, sedeatis sicut olivarum nouellae in circuitu mensae suae, et cum electis Dei assequi valeatis haereditatem incorruptibilem, incontaminatam et immarcescibilem conseruatam in coelis. Ceterum vt larga Dei Patris, et copiosa clementia in laudem et benedictionem et gloriam sui beatissimi nominis, suorum veneratione Sanctorum vos deuotis percipiens studiis delectari, in vobis gratiae suae dona multiplicet, quaesumus vt gloriosissimae Natiuitatis Dei et Saluatoris Nostri Domini* IESV CHRISTI, *Annunciationis beatissimae, et praecelsae genitricis eius semper Virginis* MARIAE, *Dominae nostrae, sancti* IOANNIS *Baptistae, beatorum Apostolorum* PETRI *et* PAVLI, *et aliorum Sanctorum festiuitates iuxta ritum, quem praedicta Romana tenet Ecclesia, vobis per dilectos filios fratrem* IACOBVM *et* PETRVM *de Ordine Minorum, exhibitores praesentium, peritos in lege diuina, tradendum cum omni deuotione, vt multiplicatis intercessionibus apud Deum, eius misericordiam valeatis abundantius promereri, colere studeatis, et per eosdem*

*dem subditos vestros coli reuerentibus animis faciatis, rogantes vt eosdem Fratres pro diuina et Apostolicae Sedis reuerentia benigne recipere et honeste tractare curetis, et eis, in iis, quae ad documenta praedictae fidei, et ritus eiusdem Ecclesiae pertinere noscuntur, firmiter et sine dubitatione credatis. Datum Auenione X. Kal. Septembris, anno VI.*

## N. LVIIII.

EX ODOR. RAYNALDI *Annal. Eccles. T. XV. ann. 1321. n. 8. p. 213.*

IOANNES cet. GEORGIO Regi Georgianorum illustri, eiusque baronibus, et baroni PORCELLI cet. ac vniuersis populis per regna, prouincias, et terras imperii Tartarorum constitutis Deum diligere et timere.

*Cum simus super sedis Apostolicae speculam constituti,* et infra, *orthodoxorum neminem iam credimus latere, vnum in terris caput esse tantummodo, ex quo totum corpus contexitur militantis ecclesiae, rerum id exigente natura, quae corpus si habuerit duo capita, iudicat monstruosum. Probat hoc idem ratio exemplaris aeterni, iuxta quod militantem ecclesiam sub vtroque tempore disponendam per instructionem euangelicam didicit legislator,* PAVLO *Apostolo referente:* Vide, facito omnia iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratum est; *vbi diuina dispositione hierarchiae per media vltima, ipsaque per primam mediatori omnium connectuntur, quod imitandum fore necessario peregrinanti ecclesiae scriptura sacra tam figuris, quam testimoniis asserit atque probat. Vnus* ADAM *deputatus ad custodiam paradisi, vnam est sortitus vxorem: vnum dominum* IESVM CHRISTVM *in iustitia et veritatis sinceritate eiusdemque vnum in terris vicarium; et vnicam eius sponsam ecclesiam praefigurans, doctore gentium attestante;* Sacramentum hoc, *inquit*, magnum est: ego autem dico in CHRISTO et ecclesia. LAMECH *vero, quod humiliatum significat. dum vxorem vnam diuisit in duas, sanguina-*

*rius est effectus, et virum in vulnus suum occidit: ad instar cuius qui ecclesiam scindunt, occidunt animas paruulorum. Deinde salutis arcam tantum vnam fuisse legimus, quae cuncta vastante diluuio, super vnius patriarchae remigis potentatu paucas animas sub perfectionis numero reseruauit; facti cuius mysterium pastor ecclesiae* PETRVS *Apostolus tangens ait:* In arca NOE pauci, id est octo animae saluae factae sunt per aquam: quod et nos nunc similis formae saluos facit baptisma. *Ipsa etiam Veritas, gentium vocationem praedicens, asseruit quod in ouili suo vnus tantum debeat esse pastor:* Fiet, *inquiens*, vnum ouile et vnus pastor. *Ad hoc ouile* PAVLVS *ipse diuina clementia revocatus docet et praedicat, vnum caput esse tenendum fide pariter et amore; vnde schismaticos, et ab vnitate corporis ecclesiae per inobedientiam recedentes notans, vitandosque insinuans ait:* Nemo vos seducat volens in humilitate et religione, quam non vidit, angelorum ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae, non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei. *Nulli fideli venit in dubium, quin ipse* CHRISTVS *sit pastor ecclesiae, atque caput non tantum militantis, sed etiam triumphantis: qui secundum carnis assumptae naturam mortem pro suis ouibus subiturus; et post resurrectionem ad patris dexteram ascensurus, vt quo caput ibat, membra se vire sperarent; ne corpus peregrinantis ecclesiae propter corporalem ipsius absentiam videretur acephalum, remanere sibi successorem substituit vicarium specialem; non quidem* IACOBVM *aut* IOANNEM, *qui columnae videbantur, non* PAVLVM *legis scientia praeditum et doctrina, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius; sed* SIMONEM, *quem et* PETRVM *cognominauit. Hunc itaque suarum ouium pastorem substituens vniuersalem in terris, earundem pascendarum curam indistincte commisit, eidem tertio dicens:* Pasce oues meas; *cui ex praerogatiua speciali, vt nobis ipsum caput post se fore totius ecclesiae demonstraret, promiserat dicens:* Tu vocaberis Cephas; *quod interpretatur caput, vt sicut in capite*

*sensuum*

*sensuum plenitudo consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte riuulus deriuatur; sic tres fidelium ordines in ecclesia*, NOE, DANIEL, *et* IOB, *praelati videlicet, continentes, et coniugati: quos* EZECHIEL *vidisse legitur in visione saluandos a* PETRO. *Petra super quam non domum saltus Libani, non porticum columnarum, non domum filiae* PHARAONIS; *sed ecclesiam suam aedificauit Dominus, fidelibus videlicet de omni genere piscium in eius rete conclusis, tanquam a primate primatum, qui de fonte dominici pectoris fluenta potauit; et suae salutis debent postulare remedia, et cum omni patientia et doctrina, non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suae tenebris dubietatis scrupulos remoueri. Nam etsi* PAVLVS *ex verbo Domini,* PETRO *caeterisque Apostolis vniuersaliter sic dicentis:* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis retenta sunt; *cum* PETRO *fuit, ministerium dignitatis exercens; fuit etiam ex verbis eiusdem auctoritatis regulariter* PETRO *propositis:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; *in* PETRO *auctoritatis officium recognoscens: et ideo ad eum tanquam primatem, et euangelii dominici fontem venit Ierosolymam, et postmodum cum ipso et aliis secundum reuelationem contulit euangelium, ne in vacuum curreret vel etiam cucurrisset. Quae* PETRI *auctoritas ex eiusdem Domini verbis expressius roboratur, cum sibi soli dicitur ab eodem:* Duc in altum; *et postea subinfertur:* Laxate retia in capturam. *Si ergo* PETRVS *per excellentiam fidei, quae in vno* CHRISTO *duas naturas diuinitus recognoscens, cum dixit:* Tu es CHRISTVS filius Dei viui; *claues regni caelestis in terris solus accepit, cum vnum sit caput ecclesiae militantis; restat vt ad regimen generalis ecclesiae, quam ipse cum* PAVLO *et ceteris de gentibus congregauit, caput eiusdem, suumque Dominus per ea, quae praemissa sunt, manifeste ostenderit successorem. Praeuidens autem Dominus, quod ecclesia sua conculcaretur a tyrannis, laniaretur ab haereticis, et a schismaticis scinderetur, ait:* Ego pro te oraui PETRE, vt non deficiat fides tua et tu

ali-

*secutores et hostes impendes subsidii fulcimentum, quo dictorum progenitorum exempla te ad id merito debent inducere potioris efficacia rationis. Cum igitur, sicut nosti, memorati persecutores et hostes, ad eiusdem inuasionem regni suos ardentes exponendo conatus, aliqua nunc ipsius regni loca nequiter inuasisse dicantur, et ad inuadendum alia ardenter aspirent; magnitudinem tuam rogamus et hortamur attentius, et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus huiusmodi progenitorum ipsorum inhaerendo vestigiis, dicto Regi contra persecutores et hostes eosdem pro diuina et apostolicae sedis ac nostra reuerentia sic potenter assurgas, sicque illum tuae virtute potentiae tuearis, quod persecutores et hostes ipsi, tuo potenti brachio superati, cogantur occupata dimittere, et ab ipsorum Regis et regni persecutionibus resilire; teque diuina clementia, percipiens vota tua suis super hoc beneplacitis conformare, ad agnitionem sui gloriosissimi nominis, sine qua salus esse non potest, dignetur misericorditer reuocare, et per suorum dirigere semitam mandatorum; et tibi, post vitae praesentis excursum, in coelesti patria praeparare feliciter mansionem. Datum Auin. III. non. Iulii anno VI.*

## N. LXI.

RAYNALDVS *vbi supra.*

Magnifico viro BOYSSETHAM Imperatori Tartarorum gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Inter solicitudines alias nostris humeris incumbentes hoc perpeti vera reuoluimus, et in hoc solidae charitatis ardore crebris orationibus a Domino postulamus, vt ipse lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, suam sanctam, Catholicam, et vniuersalem Ecclesiam toto orbe terrarum in vnitate fidei orthodoxae dignanter adiuuet, cunctis mundum purget erroribus, et diffundat in mentibus ignorantium nomen eius suae radios claritatis, vt ipsum cognoscant Deum viuum et verum omnium conditorem. Propterea iubilum copiosae laetitiae desideriis nostris accresceret, si te dignum filium*

aliquando conuerſus confirma fratres tuos, *Ex quo colligitur euidenter, quod ad ſedem* PETRI *omnis ſit quaeſtio referenda cet.* Subdit, ſe officii religione ad promouendam omnium ſalutem deuinciri; ac magno teneri dolore, Georgionos a Romanae ecelefiae coniunctione diuulſos, atque ad eos illius gremio reſtituendos ſumma ardere cupiditate: initurum in id omnem conſentaneam rationem: paratum ſe pro re perficienda indicere concilium, ſi ita flagitarit; regii quidem muneris eſſe populos ad ſalutem adducere, coniunctisque mutuo foedere omnibus fidelibus eccleſiam magno afficiendam gaudio, remque Chriſtianam confirmatum iri. Commendat demum Minoritas, qui ad Tartaros pro inferenda euangelii luce mittuntur, vtque iis per Georgiam libere commeare permittat hortatur. *Dat. Auinion. id. octobris anno VI.*

## N. LX.

RAYNALDVS *T. XV. ann. 1322. n. 41. p. 239.*

Magnifico viro BOYSSETHAN Imperatori Tartarorum gratiam in praeſenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Refert progenitorum tuorum memoria, quod ipſi nominis Chriſtiani non absque inſpirationis diuinae conſilio, vt pia credulitas ſuggerit, ſe reddentes beneuolos amatores cum Regibus Armeniae, qui fuerant pro tempore, foedus amicitiae ſtabilis obſeruarunt; eis contra Turcos, et alios eorum perſecutores et hoſtes prompti iuuaminis impendentes auxilium, et in eorum ac regni et ſubditorum ſuorum defenſionem ſolicitam potentiae ſuae dexteram extendendo, laudandae imitationis exemplum tibi et aliis eorum poſteris relinquendo. Propter quod indubitata nobis fiducia repromittit, quod tu a dictorum progenitorum in hac parte veſtigiis, velut germen proprium, non declinans, eo maioris chariſſimo in* CHRISTO *filio noſtro Regi Armeniae illuſtri aduerſus eosdem perſecutores*

*secutores et hostes impendes subsidii fulcimentum, quo dictorum progenitorum exempla te ad id merito debent inducere potioris efficacia rationis. Cum igitur, sicut nosti, memorati persecutores et hostes, ad eiusdem inuasionem regni suos ardentes exponendo conatus, aliqua nunc ipsius regni loca nequiter inuasisse dicantur, et ad inuadendum alia ardenter aspirent; magnitudinem tuam rogamus et hortamur attentius, et per Dei misericordiam obsecramus, quatenus huiusmodi progenitorum ipsorum inhaerendo vestigiis, dicto Regi contra persecutores et hostes eosdem pro diuina et apostolicae sedis ac nostra reuerentia sic potenter assurgas; sicque illum tuae virtute potentiae tuearis, quod persecutores et hostes ipsi, tuo potenti brachio superati, cogantur occupata dimittere, et ab ipsorum Regis et regni persecutionibus resilire; teque diuina clementia, percipiens vota tua suis super hoc beneplacitis conformare, ad agnitionem sui gloriosissimi nominis, sine qua salus esse non potest, dignetur misericorditer reuocare, et per suorum dirigere semitam mandatorum; et tibi, post vitae praesentis excursum, in coelesti patria praeparare feliciter mansionem. Datum Auin. III. non. Iulii anno VI.*

# N. LXI.

RAYNALDVS *vbi supra.*

Magnifico viro BOYSSETHAM Imperatori Tartarorum gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Inter solicitudines alias nostris humeris incumbentes hoc perpeti vera reuoluimus, et in hoc solidae charitatis ardore crebris orationibus a Domino postulamus, vt ipse lapis angularis, qui fecit vtraque vnum, suam sanctam, Catholicam, et vniuersalem Ecclesiam toto orbe terrarum in vnitate fidei orthodoxae dignanter adiuuet, cunctis mundum purget erroribus, et diffundat in mentibus ignorantium nomen eius suae radios claritatis, vt ipsum cognoscant Deum viuum et verum omnium conditorem. Propterea iubilum copiosae laetitiae desideriis nostris accresceret, si te dignum filium*

*benedictionis constituens, viuido ac indiuiduo eiusdem Ecclesiae Catholicae corpori ad participationem vitalis spiritus iungereris inseparabilis foedere charitatis. Ideoque magnitudinem tuam rogamus, et hortamus attentius, et per illius, qui mortificat et viuificat, deducit ad inferos et reducit, misericordiam obsecramus, quatenus eiusdem fidei saluberrimam vnitatem, quam primo sancti Apostoli de fideli* CHRISTI *pectore susceperunt, et quam sacrosancta Romana seruat, praedicat, et docet Ecclesia, sine qua nemo vnquam Deum videre poterit, reuerenter amplectens et deuote considerans, quod omnis homo eo ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere illum, qui eum condidit, esse Deum; in ipsius lumen et regimen, omnis vetustate peccati et caecitatis errore depositis, per baptismatis transeat sacramentum, fidem huiusmodi constanter et fortiter obseruando; vt per illam gratia Domini saluatus, cum electis assequi valeas haereditatem incorruptibilem, incontaminatam, et immarcessibilem conseruatam in coelis. Caeterum frequenter audiuisse meminimus, quod memorati progenitores tui tanquam viri magnanimitate sublimes, vt Rom. Pontificibus praedecessoribus nostris et Apostolicae sedi deuotam reuerentiam exhiberent, ad ipsos interdum propter hoc mittebant nuntios speciales; et nihilominus cum Francorum Regibus, qui tunc erant, amicitiam contrahentes, illos per eosdem nuntios et literas visitabant: quos praedecessores ac Reges ipsi recipientes honorificentia, qua decebat, eorum gratis aspectibus laetabantur, se hinc inde progenitoribus ac Regibus ipsis donis et muneribus honorando. Ex quibus potes plene colligere, quod tibi et imperio tuo ad laudis cumulum et honoris accresceret, si progenitorum ipsorum imitatus exemplum, per similes nuntios nos et dictam visitares sedem, et cum charissimo in* CHRISTO *filio nostro Rege Francorum illustri amicitiam renouares: nos enim ex hoc specialiter laetaremur in Domino, qui tibi libenter in omnibus, cum secundum Deum grata procederent, placeremus. Dat. Auin. IIII. non. Iulii anno VI.*

**N. LXII.**

# N. LXII.

**ODOR. RAYNALDVS** *loco cit.*

Dilecto filio nobili viro ABVSCANO nato clarae memoriae COTOGANI Regis in partibus Tartariae.

*Ingentem, nec mirum, materiam gaudiorum suscepimus, quod summus ille lapis angularis Dominus* IESVS CHRISTVS, *in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino; quodque quos saluos vult fieri, ad cognitionem sui non desinit semper abundantissimo beneficio erudire, per inenarrabilem gratiam suam toto orbe diffusam augens continue familiam Christianam, te sicut venerabilis fratris nostri* HIERONYMI *Episcopi Caphensis et socii eius relatione iucunda percepimus, verae fidei luce perfusum et sacri baptismatis fonte renatum ac imbutum doctrina Apostolicae et Euangelicae veritatis, vnitati sanctae Romanae ac Apostolicae et Catholicae Ecclesiae aggregauit. Quia igitur Deo Patri aeterno, et Apostolicis votis ad gaudium cedit immensum, si Redemptoris nostri familia in ipsis partibus, quas dudum coecitas errorum obduxerat, dilatetur; nobilitatem tuam rogamus et hortamur in eodem nostro piissimo Redemptore, quatenus prudenter attendens, quod inter caetera, quae de recto calle dirigere poterunt ad vitae gaudia sempiterna, hoc est praecipuum, si subditos tuos viuido et indiuiduo eiusdem Catholicae Ecclesiae corpori et cognitioni verae fidei aggregabis; ad hoc praestes opem, et ad hoc totis studiis elabores, vt eius obtentu, qui fidelibus suis iter aeternae vitae demonstrans, paradisi ianuas, quas primi parentis inobedientia clauserat, ineffabili misericordia reserauit, eosdem subditos per te et alios cognitione fidei Catholicae illustratos vnitati eiusdem fidei studeas aggregare. Vt autem, fili, tuae deuotionis integritas eo promptius piis operibus intendere studeat, quo maiorem indulgentiam per Apostolicae sedis gratiam fuerit consecuta; deuotioni tuae, dummodo vere fueris poenitens et confessus, qualibet die, in qua ob reuerentiam eiusdem Domini nostri* IESV CHRI-

STI *et beatissimae matris eius Missam audieris; vel ad Ecclesiam causa orandi te deuote contuleris, viginti dies de iniunctis tibi poenitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo, cet. Datum Auin. II. Kal. Martii, anno VI.*

## N. LXIII.

EX ODOR. RAYNALDO *Tom. XV. ann. 1323. n. 2. p. 249. s.*

Magnifico viro VSBEK, Imperatori Tartarorum illustri, diuinae inspirationis gratiam in praesenti, et fruitionis aeternae gloriam in futuro.

*Laetanter audiuimus, quod tu, non absque speciali motione divina*, cet. vt supra N. LII. vsque ad verba: *et concedas. Demum quia in Christianorum angustiis, tribulationibus et pressuris non possumus anxie non torqueri, dolenter audiuimus, Christianos in ciuitate Soldaye nouiter degentes, esse nouiter de ciuitate ipsa per Saracenos eiectos, et campanis de Ecclesiis ipsorum depositis, Ecclesias ipsas factas esse mesquitas. Nos autem ad Christianos ipsos, tanquam pater ad filios praecordialis habentes compassionis affectum, adhuc preces adiicimus precibus, et a celsitudine tua, quam per huiusmodi pietatis opera penes Deum et homines crescere cupimus, petimus; et ob reuerentiam eius, qui bona vniuscuiusque opera cum mercede compensat opima, praelibatos Christianos, vt praefertur, eiectos facias in dictam ciuitatem ad inhabitandum inibi regredi, et restitutis eis dictis Ecclesiis et campanis, ipsos Domino nostro* IESV CHRISTO, *quem colimus, intrepide obsequi et seruire permittas; sciturus indubie, quod quanto per plura pietatis et charitatis opera ad Christianos ipsos oculos tuae propitiationis extendes, tanto suauiores intentiones turificabis Domino, et gratiora sibi offeres holocausta. Speramus enim in Domino, quod ex hoc tibi vitae praesentis augmenta prouenient, nostrique Redemtoris immensa benignitas, qui nunquam irremuneratum bonum aliquod praetermittit, ad sui nominis gloriam agnoscendum oculos tuae mentis facilius suae lucis splendoribus illustrabit. Dat. Auin. X. Kal. Octobris anno VIII.*

N. LXIIII.

# N. LXIIII.

EX ODOR. RAYNALDO *Tom. XV. ann. 1329. n. 97. p. 397.*

Magnifico viro ELCHIGADAM Imperatori Tartarorum Corasſan, Turqueſtan ac Indoſtan, gratiam in praeſenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Paſtoralis officii commiſſi nobis a Domino debitum exigit, vt excellentiam tuam ad ea, quae tuae ſalutis profectus reſpiciunt, tibique titulos laudum adſcribunt, ſolicitis inducamus ſtudiis, et affectuoſis exhortationibus excitemus. Licet igitur verbum crucis, ac vniuerſalis redemptionis humanae ſalutiferum venerandumque praeconium per apoſtolicam tubam in ſalutem vniuerſitatis exiuerit, et ad vniuerſos orbis fines doctrinae peruenerit ſalutaris; tamen perſonam tuam eo ſpecialius lucrifacere Domino cupimus, mentisque tuae oculos cognitione verae et Catholicae fidei illuſtrare, quo propter beneficia et multa ſolamina, quae in terris dominio tuo ſubiectis exhibes Chriſtianis, te magis praecipua affectione proſequimur, tuosque ſpirituales prouentus ardentius affectamus; quoue etiam ſpes certa nobis impenditur, quod ad fidem catholicam, faciente illo, in cuius manu corda ſunt hominum omnium, facilius conuertaris. Non enim procedit, niſi ex ſuperni luminis gratia, quae ſicut credimus, oculos tuae mentis aperuit ad exercendum erga renatos fonte baptiſmatis pietatem, quod tu dilectos filios fratres Praedicatorum et Minorum ordinum, fideles operarios* IESV CHRISTI, *in partibus orientis euangelizantes in feruore ſpiritus verbum Dei, benigne ſuſcipis, deuote pertractas, et officium eis hilaris hoſpitalitatis impendis. Colligimus etiam ex aliis tuorum laudabilium operum floribus tuae deuotionis inſignia; qui nuper duos fratres eiusdem ordinis Praedicatorum, venerabilem fratrem noſtrum* THOMAM *nunc epiſcopum Seniſcatenſem cum vno ſocio eiusdem ordinis ſpeciales nuncios tuos ad Apoſtolicam ſedem deuote et humiliter deſtinaſti, petens et cupiens tibi per literas apoſtolicas benedici, ac etiam de fide catholica informari. Laudabi-*

*lia igitur vota tua gratis affectibus complectentes, eundem* THOMAM *ad statum proueximus pastoralem, curam animarum, quas ad gregem suum in ciuitate Seniscatensi caelestis pietas iam vocauit, vel vocabit in posterum, eidem* THOMAE *episcopo auctoritate apostolica committentes. Et vt catholicae fidei series tibi plenius innotescat, eam tibi annotatam praesentibus destinamus, quae talis est. Et quidem credimus sanctam Trinitatem Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum cet. Ideoque magnificentiam tuam rogamus et hortamur attente, quatenus sedula meditatione recogitans, quod fragilis est et caduca humanae naturae conditio, plena periculis, exposita casibus, instabilis status eius; considerans etiam, quod a lege mortis, mordentis omnia, nullus excluditur, promptus assurgas, praesto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianae fidei, et suscipiendum baptismatis sacramentum ad laudem diuini nominis, tuae salutis profectum, et augmentum fidei supradictae, vt lucis suae radio illustratus, te solerter exerceas ad eius fines laudabiliter ampliandos, vt post vitae praesentis excursum a porta inferi libeerris, et eius diris cruciatibus, poenisque grauissimis euitatis, aeternae beatitudinis praemia perpetuis duratura temporibus consequaris. Ad haec multae benignitatis affectum, quem, sicut praediximus, Latinis Christianis, in partibus illis morantibus et illuc accedentibus, fauorabiliter exhibes, vberibus gratiis prosequentes petimus, vt affectum huiusmodi tua nobilitas continuet circa illos et caeteros alios, qui fide imbuti fuerint orthodoxa. Caeterum instanter rogamus, vt eundem* THOMAM *episcopum, et omnes catholicos antistites, in dictis partibus commorantes, et qui illuc accedent in posterum; nec non praefatos Praedicatorum et Minorum ordinum professores ad dictas partes non alicuius commodi temporalis obtentu, sed solum pro lucrifaciendis Domino animabus non absque grauibus laboribus et periculis accedentes, benigne pertractes, iucunde recipias, praedicationes ipsorum aure cordis efficaciter audias, ipsosque per tuos subditos similiter facias benigne suscipi et tractari; vt bonorum omnium Retributor mentem tuam aperiat, te beneplacitis suis coaptet, tuosque labores in eius*

*obse-*

*obsequium praestitos non solum temporalibus sed etiam spiritualibus praemiis recompenset. Datum Auin. IIII. nonas nouembris anno XIIII.*

## N. LXV.

ODOR. RAYNALDVS *Tom. XV. ann. 1330. n. 55. p. 415. s.*

Vniuersis conuersis ad fidem catholicam, et catholicis Christianis habitantibus inter infideles et schismaticas nationes in partibus Aquilonis et etiam orientis, et specialiter in imperio VSBECH et ELCHIGADAY salutem, cet.

*Gratias agimus Deo nostro, quia, sicut grata et exultabili relatione percepimus, gratia Dei illuminati estis, diuites facti in reuelatione domini nostri* IESV CHRISTI, *qui et confirmabit vos vsque in finem ambulare in semitis mandatorum ipsius: fecit enim Dominus in cordibus vestris lucem splendere ad illuminationem scientiae claritatis suae, vt habeatis thesaurum spiritualem in vasis fictilibus, vt sciatis quod licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem; quoniam id, quod in praesenti est momentaneum et leue tribulationis humanae, supra modum in sublimitate aeternum gloriae pondus operatur in nobis, non contemplantibus temporalia, quae videntur, sed quae non videntur, aeterna. Amplexantes igitur tempus acceptabile vocationis vestrae ad catholicam veritatem, nemini dantes vllam offensionem in omnibus exhibeatis vosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in castitate, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris, non ducentes iugum cum infidelibus, eorum imitantes errores; sed impietates de ipsorum cordibus euellere studeatis, illuminantes eos in agnitionem catholicae veritatis: quae enim participatio iustitiae cum iniquitate? aut quae societas lucis ad tenebras? aut quae conuentio* CHRISTI *ad Belial? aut quae pars fidelis cum infideli? studeatis ergo vos esse templum Dei viui,*

*mun-*

*mundantes vos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, perseuerantes in bono vsque in finem cet.* Commendat iisdem fidelibus THOMAM MANCASOLAM episcopum Semiscatensem, ac Praedicatorii ordinis religiosos viros, qui in eas oras ad euangelium disseminandum excurrunt. *Dat. Auin. Kal. februarii anno XIIII.*

## N. LXVI.

ODOR. RAYNALDVS vbi supra.

Vniuersis Christianis habitantibus in montibus de Albor gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Patri luminum et perennis gloriae largitori corde deuoto gratiam referimus, quantas possumus, actiones, qui sicut cum ingenti mentis exultatione percepimus, vobis dudum in tenebris ambulantibus reuelauit verae catholicae fidei lucem magnam, et nebula gentilis erroris eductos ad veritatem catholicam misericorditer euocauit, et traxit in agnitionem filii sui domini nostri* IESV CHRISTI, *qui per lauacrum regenerationis abluti, et mundati ab inquinamento pristinae vetustatis, in nouitate vitae domino complacetis parati, sicut laetanter audiuimus, doctrina verae catholicae fidei, quam tenet, docet, et praedicat sancta Romana ecclesia, doceri et instrui, si vobis magistri et directores in fide ab eadem sacrosancta Romana ecclesia destinentur. Ecce igitur vestris in hac parte desideriis annuentes, vosque gerentes in visceribus charitatis, ac confidentes, quod qui coepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem domini nostri* IESV CHRISTI, *venerabilem fratrem nostrum* GVILLELMVM *de* CIGIIS *episcopum Taurisiensem, et dilectos filios fratres ordinis Praedicatorum, viros vtique magnae religionis, et vitae, et in lege Domini eruditos, ad vos prouidimus destinandos; rogantes et obsecrantes vos in eodem Domino nostro* IESV CHRISTO, *quatenus attendentes, quod per tam longas maris terraeque distantias praefatus episcopus et fratres, non absque magnis laboribus et periculis, pro sola coopera-*

*peratione et promotione diuinorum obsequiorum ad partes ipsas accedunt, eos ob diuinam et Apostolicae sedis reuerentiam benigne recipere, gratanter amplecti, instructionem eorum in fide, et euangelicae eruditionis doctrinam aure audire, eorumque praedicationibus firmam credulitatem impendere, fidem auditam et creditam vestris operibus comprobare, gratia Dei ad vos praeueniente et subsequente, efficaciter studeatis. Vt autem ipsius fidei series vobis plenius innotescat, eam vobis annotatam praesentibus destinamus, quae talis est. Et quidem credimus sanctam Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum sanctum, cet. Ideoque vniuersitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus meditatione sedula cogitantes, quod fragilis est et caduca humanae naturae conditio, plena periculis, exposita casibus, instabilis status eius; considerantes etiam, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, prompti assurgite, praesto vos offerte, et parati accedite ad agnitionem Christianae fidei et salutis, quae prouenit ex baptismatis sacramento, ad laudem diuini nominis, vestraeque salutis profectum, et augmentnm fidei supradictae, vt lucis suae radio illustrati vos solerter exerceatis ad eius fines laudabiliter ampliandos; vt post vitae praesentis excursum a porta inferi liberati eius diros cruciatus poenasque grauissimas euitetis, aeternae beatitudinis praemia perpetuis duratura temporibus adepturi. Dat. Auin. X. Kal. februarii anno XIIII.*

## N. LXVII.

**Ex ODOR. RAYNALDO** *l. c.*

IOANNES, cet. Marforiano Iacobitarum gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Circumspectionem tuam monemus, rogamus, et hortamur attente, te in domino* IESV CHRISTO *per aspersionem sui pretiosi sanguinis obsecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi crescet ad meritum, accedet ad gloriam atque famam, si datum tibi desuper fuerit, vt tu et populus tibi subditus directionis tuae studio ad vnitatem eiusdem catholicae et vniuersalis ecclesiae reuertamini*

*tamini, extra quam non est gratia neque salus, te et praedictum populum habilitare et reducere studeas ad eiusdem catholicae et sacrosanctae Romanae ecclesiae perpetuam et inuiolabilem vnionem, ac dilectos filios fratres Praedicatorum et Minorum ordinum ad partes ipsas venientes, vel morantes in eis, vel per illas transitum facientes charitatiue recipias, et benigne pertractes; et maxime venerabilem fratrem nostrum* GVILLELMVM *de* CIGIIS *episcopum Taurisiensem, quem ad Dei laudem et gloriam, et pascendum gregem fidelium in partibus illis praedicationis verbo pariter exemplo ecclesiae Tauriensi praefecimus in pastorem, cet. Dat. Auin. X. Kal. febr. anno XIIII.*

## N. LXVIII.

Ex ODOR. RAYNALDO *T. XV. ann. 1333. n. 32. p. 456.* et L. WADDINGO *Tom. VII. p. 138. s.*

Magnifico viro magno Cano regi Tartarorum Deum diligere ac timere.

*Accedit ad tuae magnitudinis laudem, gloriam, et honorem, quod, sicut famae praeconium et fide dignorum relationis affectus ad Apostolatus nostri audientiam perduxerunt, tu iactans tuum in Domino cogitatum, et promereri cupiens apud eum, Christianis in regno, et terra tui dominii commorantibus, et aliis indigenis ad fidem orthodoxam conuersis, et in ea neophytis mansuetudinem fauoris impendis, et benignitate fauorabili tractos illos. Ad nos quoque, qui, licet immeriti, Domini nostri* IESV CHRISTI *vicariatus officium in orbe terrarum gerimus, habes et ostendis admodum affectum reuerentiae filialis, ex quibus nomini et statui tuis titulus amplae et dignae commendatonis attribuitur, tuque tibi proinde Creatoris coeli et terrae gratiam vendicabis, per quam in praesentis vitae cursu dominii altitudo suscipiat firmitatem; et postquam carne solutus fueris, sicut naturaliter soluitur omnis caro, apud maiestatem Regis Regum aeternam, qui potens est saluare rationalium et mortalium animas vniuersas, si credideris in eum*

et

*et baptizatus fueris, legemque susceperis Christianam, requiem impetrabis sempiternam. Ecce igitur nos, tuam et totius regni tui salutem perpetuam sincera in Domino dilectione zelamus, eiusque fructum salutiferum et perennem tibi et ipsi regno cupimus prouenire, vt haec feliciter et efficaciter valeant per misericordiam summi Patris succedere, venerabilem fratrem nostrum* NICOLAVM *Archiepiscopum Cambaliensem ordinis fratrum Minorum professorem, virum quidem in deuotione ac fide Catholica feruidum, eminenter in sacra scriptura peritum, et expertum in opere ac sermone, virtutum comitiua stipatum, fama praeclarum, a nobis ex multis bonis et idoneis religiosis electum, et ad Cambaliensem Archiepiscopatum de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotum, praesentium exhibitorem, cum decenti et sufficienti, honesta, et virtuosa comitiua fratrum dicti ordinis ad Ecclesiam suam Cambaliensem, tuamque praesentiam, ac partes, et loca, et terras tui dominii prouidimus salubriter destinandum: vt ipse ac dicti fratres collaterales eidem more SS. Apostolorum (qui dispartiti ore Dominico, et Spiritus S. gratia illustrati, serendo verbum Dominicum, cuncta mundi climata, prout eis adscripta fuerant, peragrarunt) coniunctim et separatim, prout eidem Achiepiscopo et fratribus visum fuerit salubrius expedire, regnum et terram praedicta, aliasque regiones adiacentes circumeant et frequentent, ac iuxta datam eis a Domino prudentiam verbum Dei euangelizare studeant cum diligentia operosa, medela praedicationis salutiferae linientes illorum oculos, qui adhuc gloriam Domini non viderunt, eosque ad dictam fidem perfectam et lucidam,* CHRISTI, *Sanctorum, et Sanctarum miraculis certissimis comprobatam, dulciter conuertentes; et tam ipsos quam alios ad fidem ipsam iam feliciter conuersos, et neophytos in eadem pascentes eruditionis salutiferae nutrimento, etiam in fide praedicta cum infusione coelestis miserationis et gratiae roborando. Haec est enim fides recta, meritoria, et salubris, quam coelicus agricola seminauit et irrigauit, ad fructus copiosos perduxit, diffudit, et diuulgauit vsque ad terminos orbis terrae mundialis, et quam dicta Romana Eccle-*

*Ecclesia mater cunctorum* CHRISTI *fidelium et magistra docet, praedicat, atque credit; extra quam non est penitus vlla salus: per istam innocens anima Christiana, quam fore pretiosiorem corruptibili corpore perpetuam ambiguum non existit, inter agmina collocatur ciuium coelicorum. Cum ergo sit thesaurus incomparabilis praemium beatorum, felix qui per temporalia sic pertransit, quod aeternae felicitatis brauium assequatur; hoc siquidem brauium per susceptionem et obseruationem dictae fidei, bonorumque operum executionem acquiritur. Et quamuis per ipsius fidei callem recte incedere difficile videatur, mentalis tamen oculus, fide ipsa Catholica media, dum eam credit, intellectualiter intuetur diuinam omnipotentiam et gloriam supernorum, sicut luce videt materiali carneus oculus mediante. Magnitudinem itaque tuam attente rogamus et hortamur in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus pro eius reuerentia et honore, qui te produxit ad esse, conseruat in esse, tibique imperanti super tam gloriosum, quamquam transitorium et pompale fastigium subiecit tantam et tam diffusam multitudinem populorum; praelibatos Archiepiscopum et fratres, cum ad regnum et terram tuam iam dicta tuumque conspectum peruenerint, vultu sereno recipias, et a tuis subditis recipi iubeas, sincero et mansueto affectu pertractes, et facias pertractari; habeasque tam illos quam eandem Ecclesiam Cambaliensem, cunctosque Christianos in regno et terra praedictis manentes, nec non conuersos, et, Deo propitio, conuertendos ad fidem eandem infra tuum dominium constitutos, cum piae humilitntis dulcedine affluente favorabiliter commendatos; eis in iis, quae circa suscipiendam per te, Deo viuo et vero inspirante, sacri baptismatis gratiam, legemque* CHRISTI, *et alia tuae salutis commoda duxerint exprimenda, praedicanda et consulenda, benignum aditum aperiens, et attentum exhibens intellectum: illaque recipiens tanquam donum divinitus missum, tenaciter in tabulis memoriae tuae scribas, credas firmiter, operose, fideliter, et perpetuo exequaris, sisque aliis tuis subditis salutis exemplar, vt vna tecum tuique ad instar ad Dominum conuertantur, dictamque legem* CHRISTI *suscipiant et obser-*

*obseruent, tecumque glorientur nomine Christiano, et salui fiant, nec pereant in aeternum. Itaque misericordiarum Dominus, atque pater tui abundanter misereri dignetur, conferatque tibi iugiter in huius vitae stadio plenitudinem pacis et gaudii, et post tui dissolutionem carneam ad aeternae iucunditatis ferias te perducat, et glorianter collocet in excelsis. Nos nempe, ac eadem Rom. ecclesia tibi copiam benedictionis vberimae pollicemur omni tempore prouenturam, et deuotis affectibus exorabimus miserantem clementiam summi patris, vt nunquam in te deficiat fides sua, quam in tuis praecordiis duxerit inserendam; sed pro bonis, quae feceris, centuplum de polorum altitudine in terris percipias, et supernis. Dat. Auin. Kal. octobris anno XVIII.*

## N. LXVIIII.

Ex *iisdem l. citt.*

Magnifico viro SECB (1) de CHIGISTA Regi Corum, (2) Deum diligere et timere.

*Deo viuo et vero Regi Regum, et dominantium Domino gratum praestas obsequium, cum Christianos siue antiquos siue nouellos, in fide* CHRISTI *commorantes in regno tuo, benigna humanitate prosequeris, et fauoris mansuetudine tractas illos; quod quidem laetanter audiuimus te fecisse. Vnde cum hoc nomini tuo bonam famam adiiciat et honorem, tu leuans tuae mentis oculos ad diuinae omnipotentiam maiestatis, circa id benigne continues in posterum, quod hucusque laudabiliter effecisti: nam ab hoc in gloria firmabiter tuum solium dicti regni, et si credideris in dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *et fueris baptizatus, legemque Christianam, sine qua nullus saluatur, susceperis et impleveris, saluus eris.* (3) *Quare nos, qui licet immeriti, beato* PETRO *principi sanctorum Apostolorum succedimus, Vicariatus officium*

(V) 3

(1) SOCHO, WADDING. (2) *Alii* Acorum. (3) *Quae sequuntur, habet* WADDINGVS.

*cium pro eodem Domino nostro* IESV CHRISTO, *eo disponente, gerimus super terram, tuam, et ipsius Regni salutem zelantes in Domino, qui te omnesque alios extra Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam existentes, et in tenebris ambulantes, ad conuersionem, suamque veram lucem expectat, ad te dictumque Regnum aliasque circumpositas regiones et partes ad praedicandum tibi et gentibus earum verbum Dominicum, teque et gentes ipsas ad Deum suamque fidem orthodoxam salubriter per ipsius infusionem gratiae convertendum, venerabilem fratrem nostrum* NICOLAVM *Archiepiscopum Cambaliensem, Ordinis Fratrum Minorum professorem, virum quidem in dicta fide feruidum, deuotione sincerum, plene in sacra pagina eruditum, in praedicatione ipsius Dominici verbi expertum, et alias potentem in opere et sermone, famaque praeclarum cum sufficienti et honesta comitiua dicti Ordinis, Deum diligentium, et timentium, sufficienter in sacra pagina litterarum, et in diuinis laudibus expertorum; quem quidem* NICOLAVM, *ob suorum exigentiam laudabilium meritorum, ad Archiepiscopatum Cambalien. de Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio promouimus, quique ad Ecclesiam etiam suam Cambaliensem accedit, salubriter prouidimus destinandum, vt tibi et eisdem gentibus Archiepiscopus et Fratres praedicti euangelizare satagant Legem* CHRISTI. *Eapropter magnitudinem tuam attente rogamus et hortamur in Domino Deo nostro, per quem viuis et regnas, quatenus pro eius reuerentia et honore, qui te ad imaginem suam creauit, et permittit multitudini gentium imperare, et ad cuius imperium soluitur omnis caro, praefatos Archiepiscopum et Fratres cum ad te idemque regnum peruenerint, vultu sereno recipias, et a subditis tuis recipi facias, et iubeas, benigno affectu pertractes, et ab illis facias pertractari, et tam eos, quam alios Christianos indigenas, in praedicto regno morantes ad eandem fidem Christianam conuersos, et propitiante Domino, conuertendos, cum humanitatis dulcedine affluente habeas fauorabiliter commendatos, ipsis Archiepiscopo, et Fratribus in illis, quae circa suscipiendam per te de beneplacito ipsius Domini nostri* IESV

CHRI-

CHRISTI, *eaque inspirante ac tuae mentis praecordia inflammante, sacri baptismatis gratiam, dictamque legem Christianam conuersos et alia tuae ipsorumque subditorum salutis commoda exprimenda, et praedicanda duxerint, benignum auditum aperiens, et attentum exhibens intellectum, illaque recipiens, tamquam donum diuinitus tibi missum, credas in eumdem Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *baptismum et fidem suscipias supradicta, ipsamque fidem semper colas, teque in operibus bonis exerceas, quia per illa peruenies ad gloriam sempiternam, vbi post mundanam et transitoriam gloriam, quam conspicis, atque palpas, succedet tibi gloriosa suauitas sine fine. Nos enim Altissimum Saluatorem nostrum deuote, et suppliciter exoramus, vt sua clementia miserans tuum illuminet intellectum, ab eo errorum tenebris profugatis, vt viam suae videas veritatis, ipsamque legem Christianam suscipias et obserues, per quas videre suam ineffabilem gloriam merearis. Datum vt supra.*

## N. LXX.

L. WADDINGVS *T. VII. p. 143.*

Clarissimo in CHRISTO filio LEONI Regi Armeniae Illustri salutem.

*Ad salutem cunctorum* CHRISTI *fidelium, et etiam aliorum, qui extra Catholicam et Apostolicam Ecclesiam infeliciter esse noscuntur, paternis et sollicitis studiis intendentes, opem et operam opportunas libenter impendimus, vt debemus, qualiter ii qui per fidem rectam et operationem bonam adhuc Domino misericordiae non placuerunt, connectantur eiusdem Ecclesiae veritati, et alii, qui a dictae fidei semitis deuiarunt, ad caulam gregis Domini reducantur. Habet nempe fide digna relatio, veritatis suffulta suffragiis, notumque tuae Celsitudini esse potest, quod in terra Tartarorum iam dudum per diuinae miserationis gratiam et ministerium praedicationis verbi Dominici, quod nonnulli Fratres Ordinis Minorum in terra praedicta exercuerunt, et non desinunt exer-*

*exercere, multitudo indigenarum ad veram eiusdem fidei lucem de suorum errorum tenebris, est conuersa, et multi alii, qui ab ipsius fidei rectitudine declinabant, ad eiusdem Ecclesiae gremium sunt reuersi, et sicut deuote creditur, et verisimiliter speratur in Domino, terrae praefatae hominum nec dum conuersorum diffusionis multitudinis conuersio, Deo largiente, succedet. Ecce igitur Venerabilis frater noster* NICOLAVS *Archiepiscopus Cambaliensis dicti Ordinis Minorum professor, deuotione, fide, Thelogica scientia, experientia, et fama praeclarus, quem de Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Ecclesiae Cambalien. tunc vacanti, nuper in Archiepiscopum praefecimus et pastorem, ad eamdem Cambaliensem Ecclesiam sponsam suam cum decenti, et honesta, et virtuosa Comitiua Fratrum dicti Ordinis, nec non ad alias terrae iam dictae partes cum gratia nostrae benedictionis accedit, vt ipsi verbum Dominici dogmatis Euangelica grana serant, et eos, quos ad legem* CHRISTI *conuerterint, pascant dulciter verbo Dei, ac ipsos doceant normam fidei memoratae, aliosque iam conuersos in obseruantia ipsius fidei suauiter foueant, et confirment. Cum itaque dictis Archiepiscopo et Fratribus sit tui culminis fauoris praesidium opportunum serenitatem regiam attente rogamus, et hortamur in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus pra diuina et Apostolicae Sedis reuerentia, et pro eiusdem fidei honore, ac nostrae hortationis huiusmodi obtentu, ipsos cum ad tuum conspectum, et loca tui regni peruenerint regalis benignitatis affectu recipias, atque tractes, et recipi facias, ac tractari, eosque habeas fauorabiliter et efficaciter commendatos, vt regalis deuotionis sinceritas exinde assequatur titulum humanae laudis, ac diuinae misericordiae fructum percipere mereatur. Datum Auenione II. Kal. Nouembris anno XVIII.*

## N. LXXI.

EX WADDINGO *vbi supra. p. 141.*

Vniuerso populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

*Saluator noster summus Pontifex in aeternum, Rex Regum, Dominus dominantium, Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *beato*

*beato* PETRO *sanctorum Apostolorum Principi, claues regni coelorum tribuit, eique ligandi atque soluendi contulit potestatem, ut quodcumque per ipsum super terram ligatum et solutum foret, in coelis ligatum existeret et solutum. Hanc siquidem potestatem transfudit in Romanum Pontificem, suosque posteros Romanos Pontifices, eiusdem beati* PETRI *usque in finem seculi successores, constituens illos in sede ipsius beati* PETRI *successiue sessuros suos Vicarios super machinam mundialem. Vnde nos, qui licet immeriti, praefato beato* PETRO *succedimus, et in regno mundi vice fungimur coelestis pastoris, et Domini animarum, exigente officii nostri debito, tenemur, et totis desideriis affectamus, omnem humanam creaturam extra sanctam Romanam Ecclesiam existentem, fideique Christianae insciam et deuiam ab eadem, Dominici gregis inducere ac reducere in ouile, vnire et reconciliare penitus Ecclesiae praelibatae. Ceterum quia haec poscunt ex gratia diuina praeambula, et eius infundente misericordia efficaciter prouenire, si talibus fidei iam dictae insciis, et ab ipsa deuiis verbi Dominici sanctimonia praedicetur, ipsique praefatae fidei articulis et regulis dulciter informentur, vt ex hoc Deo lucrifaciamus animas eorumdem, ipsisque salutis aeternae praemium procuremus. Nos diligentia paterna prouidimus ad vos, et partes vestras personas religiosas, spe, fide, caritateque placidas, sufficienter in sacra pagina eruditas et expertas, Deo gratas, et vobis acceptas, pro salutis vestrae, quam feruenter optamus, impetrandis a Domino commodis destinare. Ad euangelizandum itaque vobis salutifera verba* CHRISTI, *vosque ad supernae maiestatis miserantem gratiam, suamque fidem rectissimam suauiter conuertendos et fouendos in illa, venerabilem fratrem nostrum* NICOLAVM, *Archiepiscopum Cambalien. Ordinis Fratrum Minorum professorem, Deum diligentem et timentem, in diuina et humana sapientia et scientia illustratum, facundum, et probatum, et a nobis ex multis viris religiosis, deuotis, et virtuosis, electum, et de fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, ad Archiepiscopatum Cambalien. promotum, cum decenti comitiua Fratrum dicti Ordinis jamdiu*

*in diuinis obsequiis expertorum, sufficienter in sacra scriptura litteratorum, aliarumque virtutum muneribus dotatorum ad vos et partes transmittentes easdem, vt vobis et sibi ipsis proficiant ad salutem; Vniuersitatem vestram attente requirimus, monemus, rogamus, et hortamur in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus diligenter vestram memoriam excitantes et reducentes ad illam, qua Protoplastus, ex quo genus humanum descendit, extitit diuinae manus operatione formatus, in paradisi terrestris deliciis collocatus, sibique boni et mali cognitio data fuit, et quod homines estis ad imaginem Dei facti, quodque creatura non possit suo Creatori pro meritis respondere, leuetis ad Deum vestrae intelligentiae oculos, et consideretis quod ipse vos creavit, et pascit assidue, ac viuitis per eumdem, et quod cum vult, omnis carnis figmenta dissoluit, quodque sacrae scripturae attestatione inducitur, quod omnis spiritus Deum laudet, omniaque animantia et inaminata Dominum benedicunt, pro ipsius Creatoris reuerentia et honore, et vt sibi reddatis humanae gratitudinis holocaustum, et contemplatione nostri, qui vos Deo viuo et vero iungere cupimus, et etiam laboramus; eosdem Archiepiscopum, et Fratres recipere curetis, quotiens ad vos peruenerint, reuerenter, humiliter et laetanter, eorumque praedicationibus et verbis salubribus vestrum attentum patefaciatis auditum, aperiatis sollicitum intellectum, et quae pro vestrae perfectione salutis, vobis expresserint, in memoriae vestrae tabulis tenaciter inscribatis, corda vestra omnimode disponentes ad suscipiendam sacri baptismatis gratiam, legemque* CHRISTI, *doctrinam Euangelicam, et fidem Catholicam Domini nostri* IESV CHRISTI, *quam dicta Romana Ecclesia docet, praedicat, atque credit, et cum fidem ipsam susceperitis, eam firmiter, et perpetuo custodite, vt cum aliis Christianis efficiamini de cetero fortia membra* CHRISTI, *et quibuslibet Satanae, quibus decipimini erroribus, procul pulsis, ab eius fuis vinculis penitus liberati, et mereamini post vitae praesentis exilium in aeterna Domini tabernacula introire, cum aliis coelestibus ciuibus glorianter, et feliciter collocandi. Et quia coeli et terra plena sunt diuina gloria, ipse manum aperit, suaque benedi-*

*diction animal omne implet, dum in hac luce manebitis, et per dictam fidem* IESV CHRISTI *eritis coniuncti, abundabitis in bonis temporalibus, per suam gratiam copiosam. Nos insuper omnipotentiam Altissimi, qui essentialiter in coelis, et potentialiter in terris permanet, quique regnat et principatur omnipotenter et aeternaliter in vtrisque, deuotis affectibus exoramus, vt illuminet corda vestra, et intelligentias vestras ad suscipiendum eiusdem baptismatis gratiam, ipsamque* CHRISTI *legem, et eam credendum firmiter, ac perpetuo adimplendum, quia sine illis nullus saluatur, ac per illas salui eritis, et peruenietis ad sempiternam gloriam beatorum, praedictos quoque Archiepiscopum, et Fratres habeatis cum humanae suauitate dulcedinis fauorabiliter ac efficaciter commendatos, consideratis humaniter et exacte omnibus et singulis praenarratis, vt exinde apud ineffabilem gloriam Dei Patris, Filii et Spiritus sancti, cum multiplicato fructu aeternae messis manipulos colligere valeatis. Datum Auenione Kal. Octobris anno XVIII.*

## N. LXXII.

ODOR. RAYNALDVS *Tom. XV. ann.* 1333. *n.* 38. *p.* 457. *s.*

IOANNES cet. charissimo in CHRISTO filio VERSACHT Regi Ziccorum illustri salutem.

*Tam per literas tuas, quam ex relatione grata dilectorum filiorum* FRANCISCI *de* CAMERINO *et* RICHARDI *Anglici ordinis Praedicatorum, de ipsis partibus ad nos et sedem Apostolicam venientium, coram nobis et fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus factis iucunde percepimus, quod ipsis olim in loco de Vospro in praesentia dilecti filii, nobilis viri* MILLENI, *domini dicti loci euangelizantibus verbum Dei et errores et schismata, quibus Graeci ab vnitate sanctae Romanae ecclesiae, matris ecclesiarum omnium et magistrae, fuerunt hactenus separati, et quorum schismata tu et subditi tui sectabamini et errores, eidem* MILLENO *ac tibi consiliariis tuis ostendentibus euidenter; tan-*

*dem dictus* MILLENVS *cum suis primo, et deinde tu cum consiliariis antedictis illuminati a Deo, apertis mentis oculis, qui erant hactenus variis tenebrositatibus obcoecati, et veritatę agnita fidei orthodoxae, omnibus Graecorum erroribus coram populi multitudine copiosa renunciastis, et abnegastis eosdem, ac veram fidem catholicam, quam praefata sancta Romana ecclesia tenet, docet, et praedicat, veraciter agnouistis, et rediistis ad eiusdem sanctae Romanae ecclesiae vnitatem: tuque alios partium vicinarum in similium errorum prolapsos deuium, vt errores abnegarent eosdem, ac veram et catholicam fidem agnoscerent, et ad vnitatem redirent eandem, per tuas efficaces literas induxisti. De quibus gratias agimus largitori omnium gratiarum, qui sua misericordia et virtute per ministerium euangelizantium praedictorum te et dictos consiliarios de variis errorum tenebris in lumen verae fidei aduocauit, vt in agnitione et obseruatione catholicae fidei a tantis errorum deuiis liberati, vias vitae certissimae ambulando, possitis in adoptione filiorum Dei merito gloriari, haereditatis aeternae praemium accepturi. Et quia personam tuam gerimus in visceribus charitatis* IESV CHRISTI, *et speramus quod ipse, qui illuminauit oculos tuae mentis, dabit tibi, veritatem catholicae fidei agnoscenti, veram perseuerantiam, et in perfectione crescere charitatis; excellentiam tuam monemus et hortamur in domino* IESV CHRISTO, *eam per ipsius pretiosi aspersionem sanguinis obsecrantes, quatenus illuminatus per veram fidem, et vnitatem eiusdem ecclesiae in via mandatorum Domini sicut lucis filius ambules; ac illuminationibus huiusmodi te dignum per effectum operis exhibens, cum omni timore Domini in agnitione verae fidei eiusque obseruatione, ac errorum praedictorum abnegatione perpetua, constanti, et immutabili proposito perseueres; dictorumque* FRANCISCI *et* RICHARDI *aliorumque fratrum eiusdem ordinis, ad partes ipsas proficiscentium, salubribus monitis in iis, quae corroborationem catholicae fidei, ac tuae et subditorum tuorum salutem sapiant animarum intendas: et nihilominus subditos tuos et alios de partibus ipsis, a veritate ipsius catholicae fidei et vnitate sanctae Romanae ecclesiae aber-*

*aberrantes, ad abnegationem errorum et schismatum praedictorum, et suscipiendum, cognoscendum, et tenendum veritatem fidei orthodoxae, et ad vnitatem veram sanctae Romanae ecclesiae, cui dominus noster* IESVS CHRISTVS *caput esse dignoscitur, veraciter redeundum horteris pariter et inducas: ita quod tu, per huiusmodi exhortationis et inductionis studium salutare lucrifaciens animas multas Deo, coronam potiorem gloriae in excelsis percipere merearis. Nos enim te gratiose prosequi tanquam benedictionis alumnum intendimus, et more patris beneuoli fauorabiliter confouere, vt tu ei, cui seruire regnare est, liberius, familiarius, constantius ipsius beneplacito te coaptes. Datum Auin. VI. non. Iulii anno XVIII.*

## N. LXXIII.

### Ex ODOR. RAYNALDO *vbi supra.*

IOANNES cet. venerabili fratri FRANCISCO de CAMERINO archiepiscopo Vosprensi.

*Nuper ex certis rationabilibus caussis locum, vocatum Vosprum, situm in terra Gazariae, quae in terrae Tartarorum vastitate consistit, populosum, insignem, aptum et accommodum, rerumque temporalium vbertate faecundum, ad divini nominis laudem et gloriam, honorem ipsius ecclesiae militantis, et exaltationem fidei supradictae de fratrum nostrorum consilio, et apostolicae plenitudine potestatis in metropolim ereximus, et metropolis vocabulo curauimus insignire; auctoritate apostolica ordinantes, vt in dicta metropoli sub vocabulo* MICHAELIS *archangeli fundari et construi deberet ecclesia cathedralis; quodque metropolis ipsa ciuitas Vosprensis et dicta ecclesia metropolitana perpetuis futuris temporibus censerentur, nuncuparentur, et etiam haberentur, prout in nostris literis inde confectis plenius continetur. Verum qui, sicut habet relatio fide digna nobis ac fratribus nostris exposita, et cum gaudio intellecta, in eadem terra Gazariae multi schismaticorum et infidelium nationum ipsius terrae praedicatione verbi diuini fratrum*

*Praedicatorum et Minorum ordinum, qui circa conuersionem eorum ad fidem* CHRISTI *diutino tempore laborarunt fideliter et feruenter, fidem susceperant eandem, et in ea informati sunt et proficiunt per temporum incrementa, et quorumdam supponit deuota credulitas, multorum aliorum ad fidem ipsam processu temporis ibidem conuersio subsequetur; nos plenis desideriis cupientes pro salute animarum et ampliatione fidei praelibatae dare operam efficacem, vt tanti boni commodum valeat feliciter prouenire; considerantes quoque ad prosecutionem et promotionem eiusdem boni fore vtilem, quinimmo necessariam personam eruditam in sacra pagina et expertam, in te dicti Praedicatorum ordinis professorem, in sacerdotio constitutum, sufficienter instructum in dicta pagina, prout didicimus, et expertum; qui, sicut habet relatio supra dicta, in nostris et eorundem fratrum nostrorum auribus instillata, in dicta terra Gazariae aliisque adiacentibus partibus vna cum eisdem dictorum Praedicatorum et Minorum ordinum fratribus in conuersione schismaticorum, et aliorum infidelium praedictorum magno interstitio temporis indefesse ac solicite laborasti, et in eorum conuersione huiusmodi profecisti etiam fructuose; quique partes frequentasti praefatas, illorum hominum nosti mores, et qualitates atque conditiones partium earundem, aciem direximus nostrae mentis. Quibus omnibus attenta meditatione pensatis, de persona tua nobis et dictis fratribus nostris, consideratis praemissis, accepta dictae Vosprensi ecclesiae de fratrum nostrorum consilio praedictorum auctoritate apostolica prouidimus, teque illi praeficimus, cet. Dat. Auin. Kal. augusti anno XVII.*

## N. LXXIIII.

EX ODOR. RAYNALDI *Annal. T. XVI. ann.* 1338. *n.* 74. *p.* 80. *et* I. WADDINGI *Tom. VII. p.* 209.

In fortitudine omnipotentis Dei Imperatoris Imperatorum praeceptum.

N*os mittimus nuntium nostrum* ANDREAM *Francum cum quindecim*

*decim sociis ad Papam Dominum Christianum* (1) *in Franciam ultra septem maria, vbi sol occidit, ad operiendum viam, nuntiis saepe mittendis per nos ad Papam, et per Papam ad nos: et ad rogandum ipsum Papam, vt mittat nobis suam benedictionem, et in orationibus suis sanctis semper memoriam faciat de nobis, et quod Alanos seruitores nostros, filios suos Christianos habeat recommendatos. Item quod adducant nobis ab occasu solis equos et alia mirabilia. Scripta in Cambalec in anno Rati, mense sexto, tertia die lunationis.*

## N. LXXV.

### Ex *iisdem, locis citatis.*

In fortitudine omnipotentis Dei, et in honore Imperatoris Domini nostri.

N*os* FVTIM IOENS, (1) CHATICEN TVNGY, (2) GEMBOGA EVENZI, IOANNES IVKOY *sanctum patrem dominum Papam nostrum, capitibus ad terram positis pedes osculantes salutamus, petentes benedictionem suam et gratiam, et quod in orationibus suis sanctis faciat de nobis memoriam, et nunquam obliuiscatur nostri. Hoc autem Sanctitati vestrae sit notum, quod longo tempore fuimus informati in fide catholica, et salubriter gubernati, et consolati plurimum per legatum vestrum fratrem* IOANNEM, *valentem, sanctum et sufficientem virum, qui tamen mortuus est ante octo annos, in quibus fuimus sine gubernatore et sine spirituali consolatione, licet audiuerimus, quod prouidistis de alio legato: ille tamen nondum venit. Quare supplicamus sanctitati vestrae, quod mittatis nobis bonum, sufficientem, et sapientem legatum, qui curam habeat de animabus nostris, et quod cito veniat, quia ouile* (3) *stamus sine capite, sine informa-*

---

(1) Christianorum, WADDING.

(1) IVENS, WADD. (2) CATICEN TVNGII, *Id.* (3) Male, *Id.*

*matione, et fine consolatione. Supplicamus etiam sapientiae vestrae, quod Domino nostro Imperatori respondeatis gratiose; ita quod aperiatur via, sicut et ipse petit, expedita et apta nuntiis saepe mittendis a vobis ad ipsum, et ab ipso ad vos, et ad conferendam inter vos et ipsum amicitiam; quia si hoc feceritis, magnum bonum sequetur* (4) *pro salute animarum, et pro exaltatione fidei Christianae, quia fauor eius in imperio suo facere potest innumera bona: et ideo recommendetis nos sibi filios vestros et fratres, et fideles alios, qui sunt in imperio eius, quia si ita feceritis, bona maxima facietis. Cum ita factum fuerit, quod ex parte vestra diuersis temporibus tres vel quatuor nuntii venerint* (5) *ad praefatum Imperatorem dominum nostrum, a quo gratiose recepti fuerunt, et honorati et remunerati, et ex tunc dictus Imperator nullum a vobis vel a sede Apostolica responsum accepit, licet singuli promiserint se a vobis responsa ad praefatum dominum reportare. Quare prouideat sanctitas vestra, quod hac vice, et deinceps habeat certum a vobis responsum et nuntium, sicut decet sanctitatem vestram, quia magna verecundia est Christianis in partibus istis, quando mendacia inueniuntur in ipsis. Scripta in Cambalec in anno Rati, mense sexto tertia die lunationis.*

## N. LXXVI.

**Ex** ***iisdem ll. cc.***

Magnifico principi - - Imperatori Imperatorum omnium Tartarorum illustri gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Celsitudinis tuae nuntios ad nostram nuper praesentiam venientes, vultu sereno, et laeta mente recepimus, eosque fauorabiliter audiuimus et benigne. Sane quia tam ex his, quae proposuerunt ipsi nuntii coram nobis per fidelem interpretem ad hoc adhibitum intellecta, quam ex tenore literarum tuae magnificentiae nobis*

(4) Subsequetur, *Id.* (5) Non iuerunt, *Id.*

*bis exhibitarum per ipsos, percepimus et collegimus manifeste, quod tu ad sanctam Romanam, catholicam, et apostolicam ecclesiam, nostro commissam regimini, et ad nos qui, licet immeriti, locum Dei tenemus in terris, deuotionem magnam gerens, teque nostris humiliter orationibus recommendans, ob nostram, et eiusdem ecclesiae reuerentiam, dilectos filios nobiles viros* FODIM IOVENS, CHYANSAM TONGI, CHEMBOGAM VENSII, IOANNEM IOCHOY, *et* RVBEVM PINZANVM *principes Alanorum, et alios Alanos Christicolas, in tuo degentes imperio, beneuolis fauoribus, et opportunis gratiis pertractasti hactenus et pertractas; nos tam ex his, quam de missione nuntiorum ipsorum, admodum nobis grata, tibi referentes gratiarum vberes actiones, magnitudinem tuam rogamus attentius, et hortamur, quatenus beneuolentiam et fauores huiusmodi, erga praefatos Alanorum principes, et alios Christicolas in eodem imperio commorantes, continuare pro nostra et ecclesiae praedictae reuerentia velit tua sublimitas, et augere: et vt antistites, et Religiosi catholici et Christiani alii ecclesias, basilicas, et oratoria, in quibus iuxta ritum et morem supradictae Romanae ecclesiae diuinae laudibus* (1) *peragantur officia, et offeratur pro delictis et peccatis populi hostia salutaris, per dictum imperium habere libere, fundare, construere valeant, et tenere; possitque vbique ibidem ab eisdem antistitibus, religiosis, et aliis Christicolis auctoritatem habentibus, super iis verbum Dei, et veritas fidei catholicae sine qua nemo potest saluus fieri, praedicari, placeat tuae magnitudini licentiam elargiri. Nos autem pro te, tuaque salute, et vt ille, qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, sic illustrare dignetur suae charitatis et gratiae lumine mentem tuam, quod eum congnoscas veraciter, et lumen recipias fidei, per quam in praesenti abundanter replearis gratia et in futura vita aeternae beatitudinis assequaris praemium, oramus et orabimus humiliter et deuote. Porro cum tua sublimitas affectu sincero sicut credimus, nobis amicitias offerens, et illas a*

 *nobis*

(1) Laudis, WADD.

*nobis postulans petieris, quod tui ad nos, et nostri ad te nuntii super iis destinentur; scire magnitudinem tuam volumus, quod haec nobis placibilia sunt et accepta et nuntios tuos, quandocunque ad nos transmissi venerint, recipiemus fauorabiliter et laetanter: nostros vero nuntios seu legatos ad tuam praesentiam et partes illas mittere disponimus, qui te de nostra beneuolentia, et aliis quae tuae salutem animae respiciunt, plenius informabunt. Quaesumus igitur vt eosdem nuntios nostros, cum ad te venerint, placide suscipias sicque patienter audias et benigne, quod spargenda in agro cordis tui vitae semina fructus producant vberes, quorum dulcedinem tandem, connumeratus inter redemptos pretioso* CHRISTI *sanguine, in caelesti degustes patria, et eis aeternaliter satieris. Dat. Auin. id. Iunii anno IIII.*

## N. LXXVII.

### Ex WADDINGO *T. VII. p.* 211. *s.*

Dilecto filio nobili viro FODIM IOVENS Principi Alanorum.

V*enientes nuper ad praesentiam nostram tui, et dilectorum filiorum nobilium virorum* CHYANSAM TONGI CHEMBOGAVENSII *et* IOANNIS YOCHOY *Comprincipum tuorum Nuncii, per nos fauorabiliter et benigne recepti, nobis sinceritatem magnae deuotionis et fidei, quas ad nos, et sanctam Romanam Ecclesiam gerere dignosceris, explicare seriosius curauerunt. Nos igitur his et aliis, per eosdem Nuncios prudenter et eleganter propositis, exultanter auditis, et plenarie intellectis, te fili super eis Deo, ac nobis, et Apostolicae Sedi gratis admodum et acceptis multipliciter in Domino commendantes, nobilitatem tuam rogamus, et hortamur attente, quatenus in fide ac deuotione praedictis, vt tibi augeatur a Deo meritum, ac nostram et dictae Sedis gratiam et benedictionem acquiras vberius, solida continuatione persistens, Alanos, et alios Christicolas partium illarum opportunis*

*fa-*

*fauoribus prosequaris, et vt erga vos beneuolentia magnifici Principis Imperatoris Imperatorum omnium Tartarorum crescat iugiter, et cultus diuinus amplietur in eis partibus, fidesque Catholica dilatetur erga eumdem Imperatorem, cui nos etiam super hoc scribimus, vna cum praefatis Comprincipibus tuis studeas, sicut erit commodius, interponere partes tuas insistendo, et laborando quantum poteris, quod praefati Christicolae vbique per Imperium illud Ecclesias, Basilicas, et Oratoria, in quibus iuxta ritum et morem eiusdem Romanae Ecclesiae diuina peragantur officia, et immoletur hostia salutaris pro peccatis populi, habere, libere fundare, ac construere valeant et tenere, possitque per dictum Imperium ab Antistitibus, et Religiosis, ac aliis Christianis auctoritatem, et potestatem super hoc habentibus, praedicari verbum Dei, et veritas fidei Christianae. Porro de nobis et Ecclesia Romana praedicta certam potes habere fiduciam, et tenere, quod nos super tuis opportunitatibus propitios reperies quantum cum Deo poterimus, et benignos. Datum Auen. Idibus Iunii anno IIII.*

## N. LXXVIII.

ODOR. RAYNALDVS *Tom. XVI. p. 80. s.*

Dilectis filiis nobilibus viris FODIN IOVENS, CHYAVSAM TONGI, CHEMBOGA VENSZ, et IOANNI YOTHOY, et RVBEO PVISANO Alanorum principibus, ac aliis vniuersis et singulis Christicolis in partibus orientalibus constitutis salutem, cet.

*Serena facie, laetoque animo vestros, filii principes nuntios ad nostram nuper praesentiam venientes, recepimus, et eis super omnibus, quae voluerunt coram nobis proponere, audientia benigna concessa, per interpretem fidelem adhibitum ea, quae ipsi proposuerunt, intelleximus: et ipsi etiam responsionem nostram et alia, quae ipsis explicauimus, plenarie perceperunt. Sane quia tam per li-*

*literas nobis per eosdem nuntios praesentatas, quarum seriem exponi fecimus, quam per ea, quae proposuerunt, vt praemittitur, vestram et aliorum Alanorum Christicolarum illarum partim magnam deuotionem, quam ad nos et sacrosanctam Romanam ecclesiam, matrem omnium fidelium et magistram, fidemque catholicam, sine qua salus non est alicui, geritis, quodque in eadem fide, prout eam dicta Romana ecclesia tenet et praedicat, desideratis instrui et confirmari, percepimus euidenter; nos, qui velut pastor vniuersalis gregis dominici salutem omnium* CHRISTI *sanguine redemptorum quaerimus, grandi persusi gaudio, ei qui vobis dedit spiritum, et illustrare dignatus est suae charitatis et gratiae lumine mentes vestras, in laudis iubilum assurgimus, ac de iis, dictorumque missione nuntiorum sanctum et salubre deuotionis vestrae propositum cum gratiarum actionibus multipliciter in Deo commendamus; nobilitatem et vniuersitatem vestram exhortantes attentius et rogantes, quatenus in eodem proposito, per quod ad brauium caelestis et aeterni praemii poteritis attingere, cum augmento deuotionis et fidei persistatis; nos equidem pro vobis oramus, et orabimus incessanter. Et vt eadem fides catholica, quam nos et ecclesia Romana cum toto coelu Christianorum fidelium profitemur, praedicamus firmiter, et tenemus, vobis et caeteris partium praedictarum Christicolis clarius innotescat, vosque illam sequi, profiteri, et tenere firmius valeatis, eam clarius et apertius tenore praesentium explicamus. Et quidem credimus sanctam Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum sanctum vnum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coessentialem et consubstantialem, coaeternam et coomnipotentem, vnius voluntatis, potestatis, et maiestatis: creatorem omnium creaturarum, a quo omnia per quem omnia, in quo omnia, quae sunt in caelo et in terra, visibilia, corporalia et spiritualia. Credimus singularem quamque in Trinitate personam, vnum verum Deum plenum et perfectum. Credimus ipsum Filium Dei, Verbum Dei aeternaliter natum de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, et coaequalem per omnia Patri in diuinitate; temporaliter de Spiritu sancto conceptum, ac natum ex*

*ex Maria ſemper Virgine cum anima rationali ; duas habentem natiuitates, vnam de Patre aeternam, alteram ex matre temporalem : Deum verum, et hominem verum, proprium in vtraque natura atque perfectum ; non adoptiuum neque phantaſticum; ſed verum et vnicum Filium Dei in duabus et ex duabus, diuina ſcilicet et humana naturis, ſed in vnius perſonae ſingularitate: impaſſibilem et immortalem diuinitate ; ſed in humanitate pro nobis et pro ſalute noſtra paſſum vera carnis paſſione, mortuum, et ſepultum, et deſcendiſſe ad interos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis vera carnis reſurrectione, die XXXX. poſt reſurrectionem cum carne, qua reſurrexit, et anima aſcendiſſe in coelum, et ſedere ad dexteram Patris: inde venturum iudicare viuos et mortuos, et redditurum vnicuique ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint ſiue mala. Credimus etiam Spiritum ſanctum plenum et perfectum, verumque Deum ex Patre et Filio procedentem, coaequalem, et coeſſentialem, coomnipotentem, aeternum, inuiſibilem, et incommutabilem. Credimus ſanctam catholicam et apoſtolicam vnam veram eſſe eccleſiam, in qua vnum datur baptiſma et vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem eiusdem carnis, quam nunc geſtamus, et vitam aeternam. Credimus etiam noui et veteris teſtamenti legis, ac prophetarum, et Apoſtolorum vnum eſſe auctorem Deum ac dominum omnipotentem. Haec eſt vera fides catholica, et hanc ſuper dictis articulis tenet et praedicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed et propter diuerſos errores a quibusdam ex ignorantia, et ab aliis ex malitia introductos, dicit et praedicat eos, qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos ; ſed per veram poenitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum : quodſi vere poenitentes in charitate deceſſerint, antequam dignae poenitentiae fructibus de commiſſis ſatisfecerint et omiſſis, eorum animas poenis purgatorii poſt mortem purgari, et ad poenas huiusmodi releuandas prodeſſe eis fidelium virorum ſuffragia, miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, eleemoſynas, et alia pietatis officia, quae a fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſeuerint ſecundum Eccleſiae inſtituta : illorum*

insuper animas, qui post sacrum baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quae post peccati contractam maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutae, prout superius dictum est, sunt purgatae confitemur in coelum mox recipi, et essentiae diuinae beatifica perfrui visione. Illorum autem animas, qui in mortali peccato vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas, eadem sancta Romana ecclesia credit, et firmiter asseuerat: et quod nihilominus in die iudicii omnes homines ante tribunal CHRISTI cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem. Tenet etiam et docet Romana Ecclesia septem esse ecclesiastica sacramenta. Vnum scilicet baptisma, de quo dictum est supra. Aliud est sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos. Aliud est poenitentia. Aliud est Eucharistia. Aliud est sacramentum ordinis. Aliud est matrimonium. Aliud est extrema vnctio, quae secundum doctrinam B. IACOBI infirmantibus exhibetur. Sacramentum eucharistiae ex azymo conficit eadem Romana Ecclesia, tenens et docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus, et vinum in sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI. De matrimonio tenet, quod nec vnus vir simul plures vxores, nec una mulier simul habere permittitur plures viros: soluta vero lege matrimonii per mortem alterius coniugum, secundas, et tertias, et deinceps nuptias successiue licitas esse dicit, si impedimentum canonicum ex causa alia non obsistat: Nec omittimus, quod ipsa sacrosancta Romana ecclesia summum et plenum primatum super vniuersam catholicam ecclesiam obtineat, quem se ab ipso Domino in B. PETRO Apostolorum principe seu vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debet iudicio definire; ad quam potest grauatus quilibet in negotiis, ad forum ecclesiasticum pertinentibus, appellare. Sed et in omnibus causis,

ad

ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri iudicium, et eidem omnes Ecclesiae sunt subiectae, ipsarumque praelati et obedientiam et reuerentiam sibi debent: apud quam sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias caeteras ad solicitudinis partem admittit, quarum multas, et patriarchales praecipue, diuersis priuilegiis eadem Romana Ecclesia honorauit: sua tamen praerogatiua tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salua. Porro cum praescriptam purissimam et fidelissimam orthodoxae fidei veritatem, euangelicae doctrinae consonam a sanctis patribus traditam, et Romanorum Pontificum in suis synodis diffinitione firmatam, in vobis confirmari et augeri, fidemque ipsam vbique ampliari, vt ad laudem diuini numinis populus Deo seruiens et in numero et merito nostris augeatur temporibus, et animae diabolica fraude deceptae, agnita et suscepta huiusmodi fidei veritate, de faucibus eripiantur daemonum, summis desideriis affectemus; certos nuntios seu legatos nostros, qui vos et alios Christicolas partium illarum consolentur, et in fide ipsa instruant, consolident, et confirment; et ad eam errantes attrahant, ad partes easdem proponimus, diuina suffragante gratia, destinare. Dat. Auin. id. Iunii anno 1111.

## N. LXXVIIII.

### Ex L. Waddingo *T. VII. p.* 212.

Magnifico Principi Chansi Imperatori Tartarorum de medio Imperio gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam futuro.

*Laeti rumores Deo et nobis, qui locum eius, licet immeriti, tenemus in terris, multum placabiles, et accepti ad nostram notitiam perduxerunt, quod tu, qui magnus Princeps existere dignosceris, ex solita benignitate, quam tibi dedit Altissimus, a quo cuncta bona procedunt, erga Christianos in tuo degentes Imperio, et ad illud etiam venientes, fauorabiliter et benigne pertractasti hacte-*

*hactenus, et pertractas, eis fauores, gratias, et priuilegia, prout occurrit opportunitas, largiendo, et nihilominus sicut animo percepimus exultanti, venerabilem fratrem nostrum* NICOLAVM *Archiepiscopum, et dilectos filios Fratres Ordinis Minorum, dudum ad partes illas per filicis recordationis* IOANNEM *Papam XXII. praedecessorem nostrum transmissos recepisti fauorabiliter et benigne, ad ipsos manum liberalem et munificam extendendo, et etiam pro Dei reuerentia concedendo licentiam reparandi destructas Ecclesias, et nouas etiam construendi, et praedicandi libere audire volentibus verbum Dei, super quibus tuae Celsitudini gratiarum referimus actiones, Imperialem magnificentiam attentius deprecantes, quatenus huiusmodi fauores, et gratias continuare velit tua sublimitas, et etiam ampliare. Nos autem, qui tamquam Pastor vniuersalis gregis Dominici, tuam et omnium salutem quaerimus et zelamus, et cupimus eos, qui extra oiule Dominicum sunt, in illud introduci, ne faucibus diaboli, quaerentis semper quos deuoret, deuorandi quomodolibet exponantur, libentes et amicabiliter recipiemus tuos Nuntios, si ad nostram praesentiam mittentur, vt in eis personam tuam dulciter possimus alloqui, et eis efficaciter ostendere, quae tuae saluti animae necessaria existere dignoscuntur, et nihilominus nostros Legatos, vel Nuncios ad tuam praesentiam partesque illas ad propalandam viam salutis celerius proponimus, diuina suffragante gratia, destinare, ipsos tuae celsitudinis beneuolentiae propensius commendantes. Datum vt supra.*

## N. LXXX.

L. WADDINGVS *vbi supra.*

Dilectis filiis nobilibus viris CARASMON, et IOHANAN, Magni Principis CHANSI Imperatoris Tartarorum de medio Imperio, familiaribus.

*Laetanter de vobis audiuimus, filii, quod vos, qui iuxta magnificum Principem* CHANSI *Imperatorem Tartarorum de medio*

*dio Imperio familiaritatis, et potestatis auctoritate fulgetis, vt intelleximus, aliis Christianis in Imperio illo degentibus fauores, auxilia et consilia opportuna libenter impenditis, et apud Imperatorem eumdem pro gratiis, et priuilegiis eis necessariis et opportunis interponitis sollicitudinis vestrae partes, quodque pleni zelo Dei, et feruore fidei Christianae feruentes, volentesque temporalia pro spiritualibus, et terrena pro caelestibus felici commercio commutare, vnum fundum vestrum optimum cuidam Episcopo de Ordine Fratrum Minorum in ciuitate Armalech deputato, pro consolatione vestra, et Christianorum ibidem degentium, donatione libera concessistis, in quo ad laudem diuini nominis talis pulchra Ecclesia est constructa. Nos autem vos super tot et tantis operibus meritoriis multipliciter in Domino commendantes, et ei, qui sic suae gratiae lumine illustrare dignatus est mentes vestras, in humilitate spiritus gratias referentes, nobilitatem vestram rogamus attentius, et hortamur, quatenus haec vestra sincera deuotio et opera laudabilia, et meritoria non minuantur in nobis, sed crescant, vt per ea, quae in praesenti vita feceritis, aeternae valeatis felicitatis beatitudinem adipisci. Ceterum pro consolatione vestra, et aliorum fidelium partium illarum, et ad ostendendam clarius Christianae fidei veritatem ad partes easdem intendimus nostros Legatos, seu Nuncios, Diuina suffragante gratia, destinare. Datum vt supra.*

## N. LXXXI.

### Ex L. WADDINGO *l. c.*

Magnifico Principi VSBECH, Imperatori Tartarorum, et magno filio CHYISCANI gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Exultanti percepimus animo, quod tua Magnificentia operibus pietatis intenta, Christianos fideles in tuo degentes imperio fauoribus et gratiis pro diuina reuentia prosequeris opportunis, quodque Fratribus Minoribus in Imperio praedicto morantibus, certum*

*locum aptum et idoneum in quadam Ciuitate, quae de nouo aedificatur fauorabiliter concesseris; super quibus gratiarum actiones tuae Celsitudini referentes, eamdem Celsitudinem deprecamur, quatenus fauores et gratias huiusmodi erga Christianos eosdem continuare velit Imperialis magnificentia, et etiam ampliare; nihilominus Ecclesias reparandi, construendi libere, in quibus iuxta ritum et morem Ecclesiae Romanae diuina peragantur officia, et immoletur pro peccatis populi hostia salutaris, praedicarique etiam valeat verbum Dei, licentiam concedendo. Nos autem, qui tamquam Pastor vniuersalis gregis Dominici*, cet. vt supra N. LXXVIIII.

## N. LXXXII.

L. WADDINGVS *T. VII. p.* 214. *f.*

Dilectis filiis NICOLAO BONETI sacrae Theologiae Professori, NICOLAO de MOLANO, IOANNI de FLORENTIA, et GREGORIO de HVNGARIA Ordinis Fratrum Minorum.

*Votis zelantes feruentibus in terris Tartarorum, et aliis circumpositis regionibus Orientis, in quibus multorum hominum corda sic Benedictus Dominus, a quo manant omnium charismata gratiarum, illustrare dignatus est, fugatis eorum tenebris, in eorum mentibus verae fidei Catholicae lumen licet corrobrari, et dilatari fidem ipsam, sine qua non est alicui gratia, neque salus; et attendentes, quod diuina clementia vobis thesaurum scientiae contulit, vosque multis virtutibus edotauit, ita quod potestis proficere vobis per vitae meritum, et aliis per doctrinam; vos ad terras et partes easdem propterea prouidimus destinandos, firma spe repromissa de vobis, fiduciaque concepta, quod cum zelum habere vos asseratis ad praemissa; feruidum per vestrum, et aliorum Catholicorum tam Religiosorum, quam ceterornm Ecclesiasticorum virorum ministerium terris et partibus supradictis, vomere sanctae praedicationis excultis, et imbre diuinae gratiae irrigatis, iactoque in eis, per manum coele-*

*coelestis agricolae salutifero semine verbi Dei, fructiferam producent segetem, ex qua tamdem multiplicata messis in horrea Dominica inferretur. Quocirca discretionem vestram monemus, et hortamur in Domino, vobisque in remissionem peccaminum districtius iniungimus, et mandamus, quatenus vos, cum diuino auxilio, ad terras et partes conferentes praedictas, tamquam fideles ministri, tam per praedicationem verbi Dei, quam alia virtuosa et exemplaria opera, sicut vobis Dominus ministrabit, corroborare in fide orthodoxa credentes, et non credentes ad eam attrahere, ac inducere, in luce sermonis, et rectitudine operis taliter studeatis, quod denum commissa vobis talenta cum multiplicato fructu possitis reddere Domino; et tamquam serui fideles, in retributione iustorum mereamini super multa constitui, et intrare in gaudium, cum gloria talibus repromissum. Vt autem ministerium huiusmodi eo plenius, vtilius, et fructuosius valeatis implere, quo maiori fueritis auctoritate suffulti, proponendi vbi, quando, quoties, ac quibus, in eisdem partibus, pro eiusdem corroboratione et dilatatione fidei, expediens videritis, verbum Dei, et constitutis ibidem, non obstante si aliqui maiori excommunicatione ligati fuerint, in verbo, officio, et cibo, aliisque honestis et licitis communicandi securi in ipsis partibus, nec non illos, qui Sedis Apostolicae magisterio non intendunt, quos conuerti ad vnitatem eiusdem fidei cupimus ad eam recipiendi, baptizandi, et ouili fidelium aggregandi, vt per regenerationis gratiam de longinquo ad suum reuertentes auctorem, liberi efficiantur ex seruis, de extraneis prouehantur in filios, ex corruptibili carne nati Dei spiritu renascantur, et obtineant per gratiam, quod non obtinent per naturam. Rursus et in locis partium praedictarum, in quibus vos hospitari, vel residentiam facere continget, Missas et diuina officia, seruata tamen honestate debita, celebrandi, ac ibidem fidelium confessiones audiendi, et iniungendi eisdem poenitentias salutares. In Ecclesiarum quoque partium praedictarum dedicationibus, et Sanctorum, quorum altaria in Ecclesiis ipsis fuerint, festiuitatibus, seu cum vos continget proponere, in supradictis partibus verbum Dei, absentibus tamen Patriarchis, Ar-*

*chiepiscopis et Episcopis, omnibus fidelibus tunc ibidem praesentibus, vere poenitentibus, et confessis, quadraginta dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxandi, vobis et aliis Ordinis vestri Fratribus, in sacerdotio constitutis, qui vobiscum proficiscentur ad partes praedictas, ac vestrum, et ipsorum singulis plenam concedimus tenore praesentium facultatem. Praeterea volumus, et concedimus; quod Fratres eiusdem Ordinis proficiscentes vna vobiscum ad partes easdem, vel morantes ibidem, qui fuerint ad omnes, vel ad aliquos Ordines promouendi, a quibusuis Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis Catholicis, gratiam et communionem Apostolicae Sedis obtinentibus, possint, rite tam, ad huiusmodi Ordines statutis a iure temporibus promoueri, et alia Ecclesiastica recipere Sacramenta. Et vt fructum vberem de vestris laboribus reportetis, et sentiatis ex eis aeternae salutis vobis commoda vberius prouentura, de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum* PETRI *et* PAVLI *Apostolorum auctoritate confisi, vobis, et dictis Fratribus vobiscum ad dictas partes proficiscentibus, vt praefertur, et vestrum singulis, vere poenitentibus, et confessis, illam indulgentiam praesentium auctoritate concedimus, quam proficiscentibus in Terrae sanctae subsidium Sedes praedicta concedere consueuit. Ac nihilominus, vt* CHRISTI *fideles quasi per proemia salubriter inuitemus ad merita, omnibus vere poenitentibus et confessis qui Ecclesias et loca Ecclesiastica fidelium partium earumdem inibi constructa, vel imposterum construenda, causa deuotionis visitauerint, vel fabricas Ecclesiarum, et locorum ipsorum, vt Ministris et seruitoribus fidelibus eorum caritatiua duxerint subsidia eroganda, singulis diebus, quibus id vere poenitentes, et confessi fecerint, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Et quia vos, et Fratres alii ad partes praedictos pro ampliatione fidei Orthodoxae proficiscentes vobiscum in eundo, morando, et redeundo fidelium caritatiuo noscimini subsidio, et securo conductu egere, omnibus vere poenitentibus, et confessis, qui vobis prosecutioni tam pii operis instantibus subsidium et securum conductum gratis praestiterint, et circa hoc auxilium et consilium impenderint opportunum, iuxta quan-*

*quantitatem subsidii et deuotionis affectum illius indulgentiae, quae vobis, et eisdem Fratribus ad dictas partes accedentibus est concessa, participationem concedimus, vt eis proficiat ad salutem. Vobis insuper, et cuilibet vestrum, auctoritate Apostolica concedimus, vt in ciuitatibus, Castris, vel Villis, seu locis quibuscumque ad habitandum, domos, et loca quaecumque pro Fratribus Ordinis vestri de nouo recipere, seu hactenus recepta mutare; vel ea permutationis, donationis aut cuiusuis alterius alienationis titulo in alios transferre; dummodo de his, quae ex causa permutationis, aut cuiusuis alterius alienationis praedictae titulos vos contingeret forte recipere, in acquisitione, constructione, vel ampliatione locorum aliorum Deo dicatorum, vtilius in eisdem partibus expendantur, et loca semel Deo dicata profanis vsibus nullatenus applicentur, in permutatione et donatione huiusmodi locorum Dioecesanorum, petita nihilominus licentia, et obtenta de nostra, et dictae Sedis speciali licentia, constitutionibus felicis recordationis* BONIFACII *Papae VIII. praedecessoris nostri, et aliorum Pontificum Romanorum praedecessorum nostrorum, in contrarium editis, etiamsi de illis plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, in praesentibus oporteat fieri mentionem, nequaquam obstantibus, valeatis; dummodo loca seu domus huiusmodi, quas recipietis de nouo, in Ciuitatibus, Castris, vel Villis, partium earumdem, in quibus domus, seu loca aliorum Ordinum mendicantium extiterint a praedictis domibus, seu locis per spatium triginta cannarum mensurandarum per aerem, vbi alias mensurari loci dispositio non permitteret, distare noscantur. Praesentibus vsque ad decennium tantummodo valituris. Auenione II. Kal. Nouembris anno IIII.*

## N. LXXXIII.

### EX L. WADDINGO *T. VII. p.* 216.

Magnifico Principi, Imperatori Imperatorum omnium Tartarorum gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Q*uamuis commissa nobis desuper vniuersi cura gregis Dominici*

 *nos*

*nos circa multa diuersa distrahat incessanter, hoc tamen praecipue votis feruentibus exquirimus, et assiduis orationibus a Domino postulamus, vt ipse, qui est lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, eos qui extra sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam regimini nostro commissam, ambulant in tenebris sic lumine suae claritatis irradiet, et largissime praeueniat gratia pietatis, quod de cordibus ipsorum profligata errorum caligine, ac in eis verae fidei rutilante fulgore, Deum cognoscant veraciter, et adorent, tamdemque per gratiam diuinam in ouili Dominico, extra quod non est alicui gratia neque salus, inclusi, aeternae beatitudinis gloriam, quam humanus intellectus capere non sufficit, consequantur. Ideoque dudum iucunda mente, facieque serena missos ad praesentiam nostram tuae celsitudinis Nuncios, et litteras ab eis nostro Apostolatui praesentates recepimus exultanter: et quia per eosdem Nuncios, et litteras percepimus euidenter, te ad nos et ad eandem Ecclesiam magnam habere deuotionem, velleque nobiscum amicitiarum inire foedera; et propter hoc tuos solenniores ad nos destinare Nuncios, et nostros ad te mittendos fauorabiliter, et benigne recipere intendebas, nec non quod ob nostram, et Ecclesiae memoratae reuerentiam, Christicolas in tuo degentes Imperio fauoribus opportunis pertractaueras, et etiam pertractabas: Nos inspiratum tibi ab illo, a quo vniuersorum charismatum dona manant, propositum multipliciter in Domino cum gratiarum actionibus commendantes, Magnitudini tuae inter cetera recolimus rescripsisse, quod praemissa nobis placabilia sunt admodum et accepta, mittendosque ad nos tuos Nuncios reciperemus, et audiremus fauorabiliter et benigne: quodque nostros Nuncios, vel Legatos ad tuam praesentiam, et partes illas proponebamus, auxiliante gratia diuina, mittere, qui te de nostra beneuolentia, et aliis animae tuae salutem concernentibus plenius informarent. Nunc igitur oppertunitate captata, adimplere quod super missione Nunciorum seu legatorum nostrorum spopondimus, cupientes dilectos filios* NICOLAVM BONETI *sacrae Theologiae Professorem,* NICOLAVM *de* MOLANO, IOANNEM *de* FLORENTIA,

*et*

*et* GREGORIVM *de* HVNGARIA, *Ordinis Fratrum Minorum viros vtique magnae conſcientiae, quique ſcient et volent, vt ſperamus in Domino, verbo proficere pariter et exemplo, ad tuae Magnificentiae praeſentiam, tuique partes Imperii prouidimus deſtinandos; rogantes Imperialem celſitudinem, et attentius in Domino exhortantes, quatenus tam ipſos, quam Fratres alios, nec non ſocios, et familiares eorum pro diuino et Apoſtolicae Sedis reuerentia benigne recipias, et caritatiue pertractes, eisdem Fratribus nihilominus, quod per ſe, ac alios religioſos, et ſeculares Chriſtianos Catholicos et fideles praedicare valeant vbique in partibus eiusdem Imperii verbum Dei, miniſtrareque Chriſtianis, et aliis volentibus recipere pabulum ſalutiferum animarum, et Sacramenta Eccleſiaſtica libere permittendo, vt in retributione iuſtorum ab aeterno retributore, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, mercedem condignam percipere tandemque diuina illuminatus gratia, inter redemptos* CHRISTI *pretioſo ſanguine connumerari, et perfrui luce perenni, quae nullo fine clauditur, in coeleſti patria feliciter merearis. Datum Auenione II. Kal. Nouembris anno IIII.*

## N. LXXXIIII.

L. WADDINGVS *vbi ſupra.*

Magnifico Principi CHANSI Imperatori Tartarorum de medio Imperio, gratiam in praeſenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Dudum ad notitiam noſtram placida relatione perducto, quod tu inſpiratus a Domino, qui numquam a benedictionibus gratiarum, Chriſtianos in tuo degentes Imperio, et ad illud etiam accedentes, fauore benignitatis et manſuetudinis pertractabas, multos eis impendendo fauores nihilominus, et opportuna priuilegia concedendo. Nos haec et alia bona, per te eisdem Chriſtianis gratioſe impenſa, regratiando tuae celſitudini, et ad ea continuanda exhortando attentius, per litteras noſtras magnificentiae tuae ſcripſiſſe*

*psisse meminimus, et in eisdem litteris adiecisse, quod tuae zelemus salutem animae teque promereri, vt tibi aperiretur aeternae vitae ianua, optaremus, gratum haberemus admodum et acceptum, te ad nostram praesentiam tuos Nuncios quos reciperemus et audiremus fauorabiliter, super his destinares. Verum cum in litteris nostris praedictis inseruissemus expresse, quod ad tuam praesentiam, et partes illas nostros legatos, vel nuncios proponebamus mittere, diuina gratia praeeunte, nuncque dilectos filios* NICOLAVM BONETI *Sacrae Theologiae Professorem,* NICOLAVM *de* MOLANO, IOANNEM *de* FLORENTIA, *et* GREGORIVM *de* HVNGARIA, *Ordinis Fratrum Minorum exhibitores praesentium, ad partes destinemus easdem, ipsos tuae sublimitatis beneuolentiae propensius commendantes; rogamus in Domino, et hortamur eamdem, quatenus ipsos benigne recipias, et fauorabililer et caritatiue pertractes. Et vt ipsi per se, ac Fratres alios, quos ad id duxerint deputandos, possint praedicare verbum Dei, et diuinum officium exequi vbicumque per tuum Imperium, in Ecclesiis et locis Ecclesiasticis ad hoc ordinatis, vel ordinandis, libere pro reuerentia Dei, ac nostrae, et Apostolicae Sedis permittas; vt in retrubutione iustorum ab aeterno retributore, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, mercedem condignam recipere, tamdemque diuina illustratus gratia, inter redemptos pretioso* CHRISTI *sanguine connnumerari, et perfrui luce perenni, quae nullo fine clauditur, in coelesti patria feliciter merearis. Datum vt supra.*

## N. LXXXV.

Ex L. WADDINGO *l. c.*

Spectabili viro TYNYBECH primogenito magnifici Principis VSBECH Imperatoris Tartarorum et magni filii CHYSICAM, gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Laetamur in Domino, et eidem laudes exoluimus puro corde, quia sicut intelleximus, inter multas virtutes, quibus te ipse largi-*

largitor bonorum omnium adornabit, tibi benignitatis et clementiae spiritum contulit, vt omnibus tam Christianis, quam aliis in Imperio genitoris tui degentibus, adeo te propitium exhibeas et benignum, quod non solum te ratione principatus terreni, quam super eos habere dignosceris, venerantur; quin imo magis caritatis et amoris feruore beneficiorum tuorum sentientes dulcedinem, student iugiter attollere nomen tuum. Nos igitur, qui fauores, quos impendisti, et impendere non cessas, vt praemittitur, continue Christianis eisdem, gratos habemus admodum et acceptos, tuamque exinde beneuolentiam multipliciter in Domino cum gratiarum actionibus commendamus, excellentiam tuam rogantes attentius, et hortantes, quatenus consideranter attendens, et spe firma certaque fiducia gerens in mente, quod nullum bonum irremuneratum remanet apud Deum, fauores huiusmodi erga Christianos praedictos continuare et exuberare non cesses iugiter, vt maius meritum tibi exinde acquirere valeas apud Deum, de nobis et Apostolica Sede fiduciam habiturus, quod super his, quae pro te tuaque salute secundum Deum et decentiam nostram, poterimus facere, propitios reperies et benignos. Datum Auenione II. Kal. Octobris anno IIII.

## N. LXXXVI.

L. WADDINGVS *vbi supra*.

Dilecto filio ELIAE Hungaro Ordinis Fratrum Minorum.

*Fide dignorum placito relatu percepimus, quod tu familiaribus spectabilis viri* TYNYBECH, *primogeniti magnifici Principis* VSBECH, *Imperatoris Tartarorum, et magni filii* CHYSCAM *insistens obsequiis, eidem primogenito, quantum potes commode, viam salutis ostendis, et ipsum ad fauores Christianis in partibus illis commorantibus impendendos, et alia pia opera exercenda, diligentibus studiis, et solicitis curis inducis, super quibus Deo et nobis gratis, tibique meritoriis tuam prudentiam multipliciter in*

*Domino commendantes, te attentius exhortamur, et sollicitamus attente, quatenus habens, dilectos filios* NICOLAVM BONETI *sacrae Theologiae professorem*, NICOLAVM *de* MOLANO, IOANNEM *de* FLORENTIA, *et* GREGORIVM *de* HVNGARIA *tui Ordinis, Nuncios nostros, quos ad illas partes mittimus, fauorabiliter commendatos, et eos dilecto primogenito cordialiter recommendans, non tepescat super praedictis tua diligentia, sed sic potius ferueat et augeatur, vt praeter cumulum meritorum, quae inde poteris acquirere apud Deum, nostram et Apostolicae Sedis gratiam vberius consequaris. Volumus autem, quod praefato primogenito, cui nos etiam scribimus, explicare pro parte nostra procures, quod nos et Sedem praedictam, circa illa quae pro salute et honore ipsius secundum Deum et decentiam nostram facere poterimus, propitios reperiet et benignos, tuque nobis super his et aliis quae de partibus illis occurrerint, scribere poteris confidenter. Datum vt supra.*

## N. LXXXVII.

EX WADDINGO *vbi supra.*

Dilecto filio nobili viro FODIM IOVENS, Principi Alanorum fidelium, in Imperio Tartarorum consistentium.

*Inter ceteras sollicitudines, quae nobis ex debito commissi desuper officii Pastoralis incumbunt, hoc diuinae maiestatis oculis gratum fore credimus et acceptum, si redemptis pretioso* CHRISTI *sanguine fidem Catholicam profitentibus praesertim inter exteras nationes consolationis impendamus auxilium, et alienos a fide ipsa, sine qua non est alicui gratia, neque salus, vt eam suscipiant et teneant, inuitari et induci rectitudine sermonis et operis faciamus. Ideoque tam tuorum, quam aliorum principum Alanorum fidelium in Imperio Tartarorum consistentium, dudum transmissorum ad nostram praesentiam Nunciorum relatibus intellectis, quod licet sint in illis partibus Antistites et Religiosi multi, olim illuc per Sedem Apostolicam destinati, circa praemissa fidelibus et diligentibus studiis*

aliis intendentes; quia tamen respectu messis quae multa esse ibidem noscitur, sunt operarii pauci, foret vt alii mitterentur multipliciter opportunum, tibi et eisdem Principibus per diuersas nostras litteras meminimus rescripsisse, quod opportunitate captata, intendebamus viros alios doctos in lege Domini, per quos vna cum aliis, alias illuc missis, vt praemittitur, exerceri valeret salubriter opus ministerii huiusmodi, ad partes illas, praeuia diuina gratia, destinare. Cum autem nos in effectum producere intentionem nostram huiusmodi cupientes, dilectos filios NICOLAVM BONETI Sacrae Theologiae professorem, NICOLAVM de MOLANO, IOANNEM de FLORENTIA, et GREGORIVM de HVNGARIA Ordinis Fratrum Minorum ad partes praedictas pro exercendo huiusmodi ministerio prouiderimus destinandos. Nobilitatem tuam rogamus, et in Domino attentius exhortamur, quatenus tum ipsos quam Fratres alios, ac socios et familiares eorum, quos secum duxerint, seu habuerint, habere velit tua nobilitas pro nostra et eiusdem Sedis reuerentia propensius commendatos. Et vt ipsi et alii religiosi deputandi per eos, vel alios, ad id a nobis vel superioribus suis, potestatem habentes, praedicare libere verbum Dei, et alia quae ad diuinum cultum pertinent, agere in partibus ipsis valeant, partes tuae sollicitudinis interponas, et exinde apud retributorem bonorum omnium aeternae mercedis praemium vberius assequeris. Datum vt supra.

## N. LXXXVIII.

### EX OD. RAYNALDO *T. XVI. ann.* 1340. *n.* 15. *p.* 132. *et* L. WADDINGO *T. VII. p.* 227. *s.*

Magnifico principi VSBECH Imperatori Tartarorum gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

Laetanter et benigne recepimus dilectos filios nobiles viros PETRANVM de LORTO olim dominum de Capha, et ALBERTVM eius socium fidei catholicae professores, magnificentiae

tuae nuntios, vna cum dilecto filio HELYM de VNGARIA ordinis fratrum Minorum nuntio viri egregii ducis THYNIBECH primogeniti tui ad nostram praesentiam destinatos: et ea, quae ipsi coram nobis pro parte tuae celsitudinis curauerunt proponere, patienter et clementer audiuimus, et intelleximus diligenter. Cum autem nuntii praefati tuam magnificentiam et potentiam, nec non deuotionem et reuerentiam, quas ad nos et sanctam sedem Apostolicam geris et gessisti hactenus, multae laudis et commendationis praemiis attollentes, narratione subiecta placabili explicarunt, quod tu huiusmodi deuotionem et reuerentiam in laudabilium effectum operum perducendo, nuntios nostros, quos dudum ad partes Cathayensis imperii mittebamus, ad tuam praesentiam accedentes, ob diuinam et nostram ac dictae sedis honorem et reuerentiam fauore benigno suscipiens, eis charitatiue fecisti de necessariis et expensis, ac vsque ad partes praedictas de conductu non modico, quin potius sumtuoso et magnifico prouideri, et vlterius exhortationibus et precibus nostris, quibus Christianos catholicos et Romanae obedientes ecclesiae in tuo degentes imperio beneuolentiae tuae commendauimus, fauorabiliter annuens, erga Christianos eosdem tuae magnitudinis liberalitates et gratias ampliasti; eis reparandi nihilominus et aedificandi ecclesias et loca ecclesiastica nec non antistitibus et religiosis catholicis praedicandi verbum Dei, et sacramenta ecclesiastica iuxta ritum et morem S. R. E. matris omnium fidelium et magistrae, ministrandi licentiam liberalem concessisti; profecto quidem speramus et credimus, quod prouidentia diuina, quae in suis dispositione non fallitur, praemissa et alia pia opera, circa quae, vt gaudenter percepimus, te liberaliter exerces, inspirauit et inspirare non desinit menti tuae, vt tandem agnita veritate, quae CHRISTVS est, illuminatusque fidei catholicae claritate et per susceptionem eiusdem fidei, sine qua non est salus alicui, ouile Dominicum, cuius est vnus pastor, ingressus aeternae societatis pascuis post vitae praesentis exitum non frauderis. Nos igitur, qui licet insufficientibus meritis, locum Dei tenemus in terris, haec pro tuae salute animae feruentibus desideriis peroptantes, rogamus magnitudinem

tuam

*tuam, et in Domino attentius exhortamur, quatenus intra tui pectoris claustra consideranter reuoluens, quam breuis est vita hominis, et quam incertus mundi huius exitus, quam frequenter fit etiam repentinus, quodcumque potest manus tua, vt choris possis adiungi caelestibus, instanter studeas operari: super quibus et aliis salutem tuam huiusmodi concernentibus, deuotis insistimus et insistemus precibus apud Deum. Porro super fauoribus et gratiis a tua clementia Christianis praedictis catholicis, vt praefertur, exhibitis; nec non de encaeniis pro parte tua et eiusdem inclyti primogeniti, ac illustris Imperatricis consortis tuae nobis per memoratos nuntios praesentatis, et a nobis gratanter mittentium consideratione receptis, excellentiae tuae referimus gratiarum vberes actiones; nostris praedictis precibus et exhortationibus subiungentes, vt gratiae fauor imperialis erga Christianos praedictos catholicos, et praefatae Romanae ecclesiae obedientes, vt praemittitur, semper exuberet et accrescat. Et insuper cum, sicut intelleximus, inter tuos ac charissimornm in* CHRISTO *filiorum nostrorum Vngariae et Poloniae Regum illustrium officiales et subditos in confiniis imperii tui et regnorum Regum praedictorum quandoque suscitari contingat dissensiones et guerras, ex quibus strages hominum, lapsus rerum, et animarum amarius deploranda pericula subsequuntur; velit tua sublimitas ab inuasione regnorum praedictorum desistere, quia si Reges praedicti inferent tibi vel tuis iniurias indebitas vel offensas, et id nobis duxeris intimandum, haec per Reges ipsos procurabimus facere, quantum cum Deo poterimus, tibi et tuis rationabiliter emendari. Dat. Auin. XVI. Kal. Septembris anno VI.*

## N. LXXXVIIII.

L. WADDINGVS *T. VII. p.* 229.

Egregio viro Duci TYNYBEK, primogenito Magnifici Principis VSBECH, Imperatoris Tartarorum illustris, gratiam in praesenti quae perducat ad gloriam in futuro.

V*enientem nuper ad praesentiam nostram dilectum filium* ELIAM *de*

*de* HVNGARIA *Ordinis Fratrum Minorum, tuae nobilitatis Nuncium, benigne tam tuae considerationis obtentu, quam ipsius probitatis intuitu recepimus, et ea quae pro parte tua coram nobis exponere voluit, fauorabiliter audiuimus, et intelleximus diligenter. Sane licet deuotionem tuam inspiratam tibi a Domino, quam habes et habuisti hactenus ad sanctam sedem Apostolicam, et Romanam Ecclesiam, matrem omnium Christianorum fidelium et magistram, nec non beneuolentiam, et fauores, quos erga Christianos Catholicos, et Romanae obedientes Ecclesiae, degentes in Imperio patris tui, ob pietatem diuinam, ac nostram, et dictae Sedis reverentiam et honorem geris, et gerere continue non desistis, iamdudum relatibus placidis audissemus, dictus tamen Nuncius te super his, et aliis piis et deuotis operibus, multae commendationis et laudis praeconiis apud nos magnificans, et attollens, de te nobis super multis donis virtutum, quibus te largitor bonorum omnium edotauit, extitit placabiliter collocutus. Cum autem de his tuis virtuosis actibus, in Domino exultantes, tuam salutem, teque illa operari et perficere quibus in hac vita praesenti gratiam, et in futura beatitudinis aeternae merearis gloriam, cupiamus; nobilitatem tuam rogamus attentius, et in Domino exhortamur, quatenus circa haec et alia tuae saluti animae vtilia vigilanter intendens, praefati* ELIAE *Nuncii tui, qui te sincere, vt intelleximus, diligit, salutaribus monitis, et persuasionibus salubribus acquiescas, deuotionis huiusmodi spiritum, quem dedit tibi virtutum Dominus, non extinguens; Christianos vero praedictos opportunis fauoribus, et beneuolentiis habeas commendatos, vt ipse Deus, a quo bona cuncta procedunt, quique nullum bonum irremuneratum relinquit, te oculo pietatis irradiando, verae fidei lumine mentem tuam respiciat, et ad ea, quae sibi sunt placita, tuaeque salulti vtilia, dirigat actus tuos. Rursus de misso a te nobis encoenio, et per dictum Nuncium praesentato, nec non fauoribus memoratis Christianis per te, vt praefertur exhibitis, gratiarum tibi referimus vberes actiones. Datum Auenione XXVI. Kalend. Septembris anno VI.*

N. LXXXX.

## N. LXXXX.

**Ex WADDINGO** ***vbi supra.***

Egregiae Principissae TAYDOLAE, Imperatrici Tartariae partium Aquilonarium, gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

*Pridem ad nostram venientes proesentiam dilecti filii* ELIAS *de Hungaria Ordinis Fratrum Minorum, et nobiles viri* PETRANVS *de* LORTO, *olim Dominus de Capha, et* ALBERTVS *eius socius , Nuncii magnifici Principis* VSBECH *Imperatoris Tartarorum, viri tui, exponere nobis inter cetera curauerunt, qualiter tu spiritu deuotionis, et benignitatis imbuta, sinceram deuotionem ad nos, et sanctam Sedem Apostolicam corde gerens, Christianos, Catholicos, sacrosanctae Romanae Ecclesiae obedientes, in illis degentes partibus, piis tractas affectibus, ac fauoribus et gratiis prosequeris opportunis, te libenter in his et aliis misericordiosis operibus exercendo. Nos igitur Nunciorum praedictorum famam, et nomen tuum, super his et aliis multis commendabilibus actibus attollentium, placabili relatione audita, gaudemus admodum et referimus gratias Altissimo, qui huiusmodi spiritum tibi dedit; sperantes in Domino, a quo cuncta bona procedunt, quod haec et alia bona quae agis, vt praemittitur, tibi ad hoc inspirare dignatur, vt tandem veritate, quae* CHRISTVS *est, agnita et suscepta, aeternae vitae gaudiis, post huius vitae miserabilis, et instabilis transitum non fraudaris. Ideoque tuam rogamus magnificentiam, et in Domino attentius exhortamur, quatenus in huiusmodi, et aliis bonis operibus continuatione laudabili perseuerans, et ad obtinendam benedictionem diuinae gratiae per susceptionem verae fidei Catholicae, sine qua nemo potest saluus fieri, te coaptans, Christianos praedictos Catholicos Ecclesiae Romanae obedientes praedictae, habeas fauorabiliter commendatos. Nos autem pro tua, tuorumque viri, et liberorum spirituali et corporali salute deuotis insistimus et insistemus precibus apud Deum.*

*Porro*

*Porro de fauoribus, per te dictis Christianis, vt praefertur, exhibitis, et misso nobis pro parte tua encoenio, quod gratanter tui recepimus consideratione, gratiarum tibi referimus vberes actiones. Datum vt supra.*

## N. LXXXXI.

EX ODOR. RAYNALDO *T. XVI. ann.* 1340. *n.* 74. *p.* 131. *et* L. WADDINGO *l. c.*

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, caeterisque personis ecclesiasticis regularibus, religiosis, et secularibus, ac vniuersis CHRISTI fidelibus in Tartarorum imperiis, et partibus orientalibus et occidentalibus constitutis.

*Supra gregem dominicum tamquam pastor vniuersalis, disponente Domino, constituti, de subditorum salute profundis meditationibus cogitamus: inter quas illa solicitudo quotidiana nos angit praecipue, vt per vestrae cooperationis ministerium puritas catholicae fidei, sine qua nemo potest saluus fieri, colatur et obseruetur vbique ad diuini nominis laudem et gloriam, fideliumque animarum salutem, semper felicia suscipiens incrementa. Etsi splendorem huiusmodi fidei orthodoxae, in illis mundi regionibus, in quibus plenarie ipsius cultus viget, resplendere cupimus, cuiusuis obfuscationis erroneae caligine profugata; summis tamen desideriis peroptamus, vt in vobis, inter nationes exteras constitutis, non extinguatur eiusdem lucerna fidei, sed vehementius accendatur, vt quanto maioribus pressuris et tribulationibus vos contingit subiici propter eam, tanto si constantes et perseuerantes in ea fideliter fueritis, ampliora et vberiora merita vobis exinde proueniant apud Deum. Ideoque vniuersitatem vestram rogamus, monemus, et hortamur attente in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus spem vestram figentes in Domino, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis,*

*poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione, prouentum; pro fide ipſa, quae vos cum operibus bonis ad aeternae quietis perducet beatitudinem, ſtetis viriliter, et eam firmiter et tenaciter obſeruetis: vosque, fratres archiepiſcopi et epiſcopi, ac filii electi abbates et alii religioſi ac ſeculares, quibus ex officio vel alias praedicare congruit verbum Dei, circa dilatationem eiusdem fidei verbis et exemplis ſalutaribus fideliter et ſedule tamquam operarii veri et idonei laboretis, metentes meſſis manipulos in agro Domini, quos in eius horrea reportetis cum gaudio, vocem illam dulciſſimam:* Euge ſerue bone et fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui, *poſt vitae miſerabilis tranſitum audituri. Vt autem fides eadem catholica, quam nos et eccleſia Romana, cum vniuerſo coetu Chriſtianorum fidelium profitemur, praedicamus, et tenemus firmiter, vobis clarius et apertius innoteſcat, vosque illam ſequi, profiteri, tenere, euangelizare firmius valeatis, eam tenore praeſentium prouidimus, vt ſequitur, explicandam. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem et Filium, et Spiritum Sanctum, cet. Dat. Auin. XVI. Kal. Septembris anno VI.*

## N. LXXXXII.

### Ex L. WADDINGO *T. VII. p. 256. ſ.*

Reuerendis in CHRISTO et dilectis, Guardiano, et Fratribus, Conuentus Victorienſis, cum totius Cuſtodiae Patribus, et dulciſſimis Fratribus, frater PASCHALIS Ordinis Minorum, ſalutem cum omni benedictione, non etiam immemor aliis noſtris parentibus, ac notis, et amicis reuerentiam filialem.

*Nouerit veſtra Sanctitas, Patres dilectiſſimi, quod cum a vobis receſſiſſemus cum caro Patre fratre* GONSALVO TRANSTORNA, *profecti ſumus, vsque ad Auenionem. Inde Genera-*

*lis reuerendi benedictione, iuimus ad Indulgentiam Assisii; et post Venetiis ascendentes quandam carracam, transiuimus per mare Adriaticum, et post, per mare Ponticum ad sinistram admittentes Sclauoniam, et ad dexteram Turquiam, applicuimus Graeciam, scilicet Galatas, iuxta Constantinopolim, et ibi inuenimus Patrem Vicarium de Catay, in Vicaria Orientis: inde ascendentes vnum lignum, per mare nigrum, cuius profunditas est abyssus, profecti sumus vsque ad Gazariam, in Vicaria Aquilonari, in Imperio Tartarorum. Inde per aliud mare, cuius non est fundus, applicuimus Tana. Et quia ego citius accessi, quam socius meus, cum Graecis in curribus equorum, vsque in Sarray sum directus: socius autem meus, cum quibusdam aliis Fratribus vsque ad Vrganthum delatus est. Ego vero volebam secum ire, sed consilio habito, prius volui linguam terrae, illius addiscere, et per Dei gratiam addidici linguam Chumanicam, et litteram Viguricam, qua quidem lingua et littera vtuntur communiter, per omnia ista Regna, seu imperia Tartarorum, Persarum, Chaldaeorum, Medorum et Cathay, sed socius meus reuersus de Vrgantho, iuit ad vos: ego autem ad vomitum abhorrens redire, et gratiam summi Pontificis desiderans obtinere, redire nolui: quia omnes Fratres, qui ad istas partes venimus, habemus indulgentiam illam, quam habent euntes cum licentia Hierusalem, scilicet, plenissimam a poena et culpa, et perseuerantibus vsque in finem, corona dabitur vitae. Idcirco Patres mei, ex quo sciui linguam, per Dei gratiam, saepius praedicaui sine Interprete verbum Dei tam Sarracenis, quam etiam Christianis, Schismaticis, et Haereticis: et habui mandatum a Vicario meo, quod procedebat, quod visa littera, in meritum obedientiae salutaris perficerem peregrinationem, quam coeperam. Cum iam vltra annum demoratus fuissem in praedicta Sarray, ciuitate Sarracenorum Imperii Tartarorum in Vicaria Aquilonari, vbi ante annum tertium quidam frater noster* STEPHANVS *nomine fuit passus venerabile martyrium per Sarracenos. Inde ascendens in quoddam nauigium, cum Armenis, per fluuium qui vocatur Tygris, et per ripam maris Vatuk nomine, vsque Sarachuk deueni per duodecim dietas.*

*dictas. Inde ascendens currum camelorum, cuius equitatus terribilis est, quinquagesimo die, in Vrgant deueni, quae est ciuitas, in fine Imperii Tartarorum et Persarum; quae ciuitas alio nomine vocatur Hus; vbi est corpus beati* IOB. *Inde ascendens currus camelorum, cum Agarenis maledictis,* MAHOMETI *sequacibus, solus ego Christianus, inter ipsos, cum quodam Seruitore* ZINGVO *nomine, vsque ad Imperium Medorum veni, Deo dirigente: vbi, quae, et qualia, et quanta sum passus, Deus ipse scit; et longum esset enarrare per litteras; qualiter nimirum Imperator Medorum, per fratrem suum carnalem est interfectus; et Carrauana Sarracenorum cum qua ibam, detenta est per viam in ciuitatibus Sarracenorum timentibus guerram et suorum expoliationem. Quapropter magnam traxi moram inter Sarracenos, quibus per dies plurimos praedicaui manifeste et aperte nomen* IESV CHRISTI, *et eius Euangelium; et falsi eorum Prophetae deceptiones, falsitates, et coecitates explicando, detegendo, et publica et alta voce latratus eorum confundendo, confidensque in Domino nostro* IESV CHRISTO *modicum eos timebam, Spiritu Sancto confortante et illuminante: vbi ipsi obseruantes coram eorum Mesquita me posuerunt in Paschate eorum, ad quam Mesquitam, propter Pascha de diuersis partibus quamplures sunt congregati Cadini, id est, Episcopi eorum, Talisimani* I. *Sacerdotes ipsorum congregati, cum quibus Spiritu Sancto docente, de diuinis suis, et de falso suo Alchorano et doctrina disputaui per dies XXV. in eodem loco, scilicet coram ianuis Mesquitae: ita vt semel in die panem cum aqua vix comedere valebam. Sed Deo tribuente, sancta Trinitas reuelata, et praedicata fuit, et ad vltimum per ipsos etsi reluctantes concessa; et gratias omnipotenti Deo, victoriam in omnibus habui, ad laudem et honorem* IESV CHRISTI, *et sanctae Matris Ecclesiae: vbi filii diaboli me muneribus tentauerunt, promittentes foeminas, virgines, aurum et argentum, possessiones, equos et boues, et alia quaeque delectabilia huius mundi, vt me peruerterent. Sed me omnes suas promissiones omnibus modis spernentem, per duos dies lapidauerunt, ignem faciei et pedibus meis apposuerunt, barbam*

*meam extraxerunt, contumelias, vituperia, et opprobria quamplurima et diu intulerunt, Deus scit, qui est benedictus, per quem ego pauper sum, gaudens et exultans in Domino* IESV CHTISTO, *quia sua pietate admirabili dignus fui talia pati pro nomine eius. Ecce gratiose ductus sum in Armalech, ciuitatem in medio ipsorum Medorum, in Vicaria Catay, et sic incipiens ab Vrganth, quae est ciuitas vltima Persarum et Tartarorum, vsque ad Armalech, per viam quinque Mensium moram gessi inter Sarracenos solus, verbo, et exemplo, et habitu publice nomen* IESV CHRISTI *portando: a quibus saepe toxicum recepi, in aquis positus fui; percussiones et alia, quae littera non continet, passus sum: sed Deo gratias in omnibus reddo, quia maiora horum expecto pro nomine eius pati, in remissionem meorum peccatorum, vt securus vadam ad Regnum coelorum pietate diuina, Amen. Valete in Domino* IESV CHRISTO, *et orate pro me; et pro his, qui peregrinationem intendunt facere, vel faciunt: quia Deo mediante, haec peregrinatio vtilis est ad profectum et fructum animarum multarum, et non curetis me videre, nisi in istis partibus, vel in Paradiso, vbi est requies, consolatio, et visitatio, haereditas nostra, Dominus noster* IESVS CHRISTVS. *Et quia ipse dixit,* vbicunque fuerit praedicatum Euangelium per vniuersum mundum, *est consummatio seculi: ergo Fratres carissimi, meum est praedicare inter diuersas nationes, et peccatoribus reatum suum ostendere, et viam salutis manifestare; sed Dei omnipotentis est gratiam suae conuersionis infundere. Data in Armalech, in Festo Sancti* LAVRENTII, *Anno Domini MCCCXXXVIII. in Imperio Medorum.*

## N. LXXXXIII.

### Ex OD. RAYNALDO *T. XVI. ann.* 1343. *n.* 21. *p.* 183. et L. WADDINGO *T. VII. p.* 289.

Magnifico principi IANIBECH Imperatori Tartarorum illustri Deum verum, qui omnia creauit de nihilo, deuote cognoscere, diligere, et timere.

A*d sedem Apostolicam saepius extitit multorum relatibus fide dignis*

*dignis perductum, quod progenitores tui Tartarorum Imperatores ex innata, et a Deo sibi inspirata clementia, Christianos in tuo degentes imperio tractare praeteritis temporibus fauorabiliter et humaniter curauerunt, eos tam diuinae pietatis intuitu, quam reuerentia dictae sedis pie manutenendo, et confouendo in suis libertatibus, ac ab oppressionibus indebitis violentis, et iniuriis defendendo; permittendo quoque Sacerdotes catholicos diuina ibidem celebrare officia, ministrare sacramenta ecclesiastica, et tam Christianis populis, quam aliis audire volentibus praedicare libere Verbum Dei. Propter quod sedes ipsa, et Praedecessores nostri Romani Pontifices, ex his gaudii et exultationis rore perfusi, nuntios Imperatorum ipsorum quandoque venientes ad sedem eandem receperunt placabiliter, eosque gratiis et fauoribus praeuenerunt, regratiatorias, directiuas, et amicabiles literas plerumque praefatis Imperatoribus dirigendo. Et licet praemissa saepe laeta mente audiuerimus, dum status inferior nos haberet; nunc tamen ad apicem summi apostolatus assumpti, diuina gratia fauente, eis tam per dilectum filium* ELIAM *de* VNGARIA *Ordinis Minorum illis in paribus diutius conuersatum, quam alios fide dignos in nostra praesentia commendabiliter et laudabiliter recensitis, exinde tanto altius exultauimus, quanto curam Christianorum omnium ex iniuncto nobis desuper apostolicae seruitutis officio magis conspicimus imminere; sperantes in eo, qui nunquam cessat a benedictionibus gratiarum, quod tu laudabilia progenitorum tuorum praedictorum vestigia imitando, super his erga Christianos eosdem exuberare fauores, et gratias huiusmodi non cessabis. Tuam siquidem credimus magnificentiam non latere, quod in terris et ditionibus nonnullorum charissimorum in* CHRISTO *filiorum nostrorum Regum Christianorum innumera Sarracenorum et aliorum, qui fidem Christianam non colunt, millia commorantur, qui ab iisdem Regibus tolerantur, et confouentur, ac ab iniuriis et oppressionibus quorumlibet defenduntur, nec aliquis Sarracenorum ipsorum et fidem eandem non colentium, vi, metu, et violentia ritum suum abnegare aut fidem Christianam suscipere cogitur, sed si ad eam venire sponte et libere voluerit, fa-*

*vorabiliter recipiatur et benigne. Rogamus itaque celsitudinem tuam, et hortamur, quatenus praefatos Christianos, in tuo praedicto commorantes Imperio, ad instar eorundem progenitorum tuorum habeas commendatos, ipsos defendendo ab iniuriis et oppressionibus indebitis quibuscunque. Sacerdotesque permittendo praedictos diuina officia peragere, proponereque libere quibusuis audire volentibus verbum Dei. Nos autem nuncios tuos et literas, si ad nos miseris, recipiemus fauorabiliter et libenter, ac ea, quae pro parte tua coram nobis exponere curauerint, audiemus, tibique viam charitatiuis, et benignis monitis, si audire volueris, ostendemus, per quam tibi gratia in praesenti vita dabitur abundanter a Domino, et tandem post decursum vitae ipsius aeternae felicitatis gaudia mereberis adipisci. Dat. apud Villamnouam Auinionensis dioecesis VIIII. Kalend. Augusti anno II.*

## N. LXXXXIIII.

### EX OD. RAYNALDO *T. XVI. ann.* 1370. *n.* 9. *p.* 486. *s.* et L. WADDINGO *T. VII. p.* 221.

VRBANVS cet. magnifico viro Camo Regi Tartarorum Deum diligere et timere.

*Ad alti tui nominis titulum et splendorem, et culmen ac decus accedit, quod tu et aliqui praedecessores tui Reges Tartarorum, sicut glorifica fama praeambula fide dignorum relatione didicimus, ob omnipotentis Dei creatoris reuerentiam et honorem vos Christicolis sub vobis degentibus vestrisque subditis, qui ad fidem catholicam conuolarunt, reddidistis fauorabiles et benignos, eosque beneuola et mansueta benignitate tractastis: tua et ipsorum praedecessorum fama gloriosa longe lateque per orbem commendationis titulo redimitur, et tu si quidem in eum fidem habueris, et renatus fueris sacri fonte baptismatis, legemque susceperis et impleueris Christianam, requie sempiterna supernorum ciuium perfrueris. Ecce igitur quod nos, qui submissis humeris operosa solicitudine in salu-*

taris

*taris et vigilis prouidentiae studio tuam tuique Regni sincera in Domino charitate perpetem salutem appetimus; eiusque fructum salutiferum et perennem tibi, regno, regnicolisque tuis prodesse iugiter cupientes; vt praemissa propensius et efficacius per diuinam clementiam felici successiuaque prosperitate succedant, venerabilem fratrem nostrum* GVILLELMVM *archiepiscopum Cambaliensem ordinis fratrum Minorum professorem (virum quidem in deuotione ac fide Christiana feruidum, excellentem in sacra scriptura peritum, expertum in opere et sermone, virtutum probitate probatum, fama praeclarum, a nobis ex multis bonis, et idoneis religiosis electum, et ad Cambaliensem archiepiscopatum de fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio promotum) praesentium exhibitorem, cum decenti et virtuosa comitiua fratrum dicti ordinis ad ecclesiam suam Cambaliensem tuamque praesentiam, ac partes et loca tuorum terrae et Dominii salubriter prouidimus destinandum; vt ipse et dicti fratres collaterales eidem more sanctorum Apostolorum, qui dispertiti ore dominico, et Spiritus Sancti gratia illustrati, doctrinam euangelicam praedicando, terrae cardines, prout eis assignati fuerant, perlustrarunt; communiter et diuisim, prout eisdem archiepiscopo et fratribus ex coelicae inspirationis oraculo visum fuerit salubrius expedire, regnum et terram praedicta, aliasque regiones adiacentes circumeant et frequentent; et iuxta datam eisdem a Domino sapientiam et doctrinam verbum Dei euangelizare perstudeant, et officiosa promtitudine praedicare, sermone praedicationis huiusmodi mentes illorum, qui in tenebris ambulant, et adhuc prae oculorum caligine gloriam luminis non viderunt, radicaliter illustrantes, eosque ad dictam fidem rectam, perfectam et lucidam,* CHRISTI, *sanctorum et sanctarum miraculis verissimis comprobatam, dulcibus allectionibus conuertentes; et tam ipsos quam alios ad fidem ipsam feliciter iam conuersos, et neophytos in eadem pabulo refectionis aeternae, in ipsa fide spiraculo, spiritalis gratiae roborando. Haec est enim fides rectitudinis, salutis et meriti, qua sacer ille supernus rerum Conditor et creator seminans terram irrigauit, et quam ad omnes limites machinae mundialis profecto diffudit et etiam propagauit;*

*gauit; et quam sacrosancta Romana ecclesia, mater cunctorum* CHRISTI *fidelium et magistra, tenet et docet, extra quam nullus omnino saluatur: per siquidem istam innocens anima Christiana perpetua, lugubri et corruptibili corpore charior, coelicorum agminum consortio aeternaliter aggregatur. Cum igitur beatorum vita seu praemium comparationem non recipiat in diuitiis, nec in huiusmodi seculi gazis, felix est ille, qui sic terrestria deserens, languidum orbem transit, quod ad aeternae beatitudinis gloriam prouehatur: Hanc equidem gloriam brauialem assequitur, qui huiusmodi fidem suscipiens et agnoscens, eam per beatorum operum et virtutum exsecutionem obseruat, et licet per ipsius fidei semitas difficilis videatur incessus, oculis tamen mentis, fide catholica mediante, dum eam credit, diuinae omnipotentiae maiestatem et gloriam beatorum intellectualem intuetur. Magnitudinis itaque tuae potentiam attente rogamus, et hortamur in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus pro eius reuerentia et honore, a quo tanquam a summo culmine rerum cuncta descendunt, et qui personam tuam creans et conseruans in esse, te super tam excellens caducum tamen et temporale, dominium constituit imperantem, tibique innumeram et copiosam populorum multitudinem subiugauit, memoratos archiepiscopum et fratres, cum eos ad regnum et terram tuam praedicta, tuamque prouinciam peruenire contigerit, vultu beneuolo et sereno recipias, et a tibi subditis recipi facias et iubeas gratulanter, sicut quidam tui praedecessores hactenus receperunt; eosque mansuetudinis, serenitatis, et piae deuotionis affectu pertractes, et facias pertractari, habeasque tam illos, quam eandem ecclesiam, cunctosque Christicolas, in dictis regno et terra morantes, nec non conuersos neophytos et (Deo propitio) conuertendos ad fidem eandem infra tui Dominii districtus et limites constitutos cum charitatiuae sinceritatis dulcore benigno fauorabiliter et propensius commendatos; eis in his, quae circa suscipiendam per te (Deo viuo et vero inspirante) sacri fontis baptismatis gratiam; legemque* CHRISTI, *et alia tuae salutis commoda duxerint explicanda, praedicanda et etiam consulenda, studiosum auditum aperiens, et feruentem ac*

*solici-*

*folicitum, et attentum adhibens intellectum, illeque recipiens tanquam donum coelitus deriuatum, et missum tenaciter, operose, fideliter, et pe petim exequaris; sisque aliis tuis subditis salutis speculum et exemplar, vt ipsi vna tecum ad similitudinem tui ad Altissimum conuertantur, dictamque legem* CHRISTI *suscipiant et obseruent, tecumque glorientur nomine Christiano, et salui fiant, ne pereant in aeternum; ita quod Rex regum, propitius retributor omnium ad se conuertentium, miserator et misericordiarum dominus atque pater, quem nil latet, et quem coelestia et terrestrta fatentur, tui misereri dignetur, in omnibus affluenter gratam vicissitudinem rependens, conferatque tibi iugiter in huiusmodi vitae tempore abundantiam pacis et gaudii, et post tui corporis dissolutionem humanam ad perpetuae felicitatis imperium te perducat, et te glorificet in supernis.* (1) *Nos namque ac eadem Romana Ecclesia tibi miserante, clementiam summi Patris exorare curabimus sollicitudine pastorali, vt nunquam in te deficiat fides tua, quam in tui cordis armario duxeris infigendam, sed pro bonis, quae feceris, centuplum, dono Dei in terris percipias et in coelis. Datum Romae apud S.* PETRVM *VII. Kal. April. anno VIII.*

## N. LXXXXV.

### Ex L. WADDINGO *T. VIII. p. 225.*

Magnificis Principibus vniuersis, Imperatoribus, et Regibus Tartarorum, aliarumque Nationum Orientis et Aquilonis. Deum diligere et timere.

*Tunc verum et vnum Deum reuerimini, et gratum ei, qui est Rex Regum, et Dominatium Dominus, praestatis obsequium, cum illos, qui Christiana professione censentur, siue in regionibus vestris commorantes, siue aliunde declinantes, benigne tractatis, et eis fauo-*



(1) Sequentia addit WADDING.

*fauorem impenditis opportunum. Quare singuli vestrum circa omnes et singulos Christianos, siue antiquos siue nouellos in fide Catholica in vestris Imperii atque Regnis morantes, seu per ea transitum facientes, vos exhibere debetis fauorabiles et benignos, vt exinde praefatus Deus, per quem Reges regnant, et Principes dominantur, vos prosperitatis votiuae successibus efficiat gloriosos. Nos igitur, qui licet indigni, diuina disponente Clementia, beato* PETRO, *Apostolorum Principi, et Vicario Domini nostri* IESV CHRISTI, *succedimus in Apostolatus officio, et debemus aeternam salutem animarum omnium nationum nostris et aliorum studiis procurare, salutem vestrum et subditorum vestrorum sincera zelantes in Domino caritate, venerabilem Fratrem nostrum* GVILLELMVM *Archiepiscopum Cambalien. Professorem Ordinis Fratrum Minorum, virum vtique religiosae vitae, et conuersationis honestae, litterarum scientia praeditum, amatorem legis diuinae et Christianae fidei zelatorem, quem nuper, suis meritis exigentibus, de Fratrum nostrorum consilio sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium in Cambalien. Ecclesiae promouimus Archiepiscopum et Pastorem, et nonnullos Fratres Ordinis eiusdem ad partes vestras pro praedicando gentibus Imperiorum et Regnorum vestrorum huiusmodi legem et fidem, ac gentes ipsas ad praefatam fidem, per quam solam saluantur animae, diuina cooperante gratia, conuertendas duximus destinandos. Quocirca vestram Magnificentiam rogamus et hortamur in Domino, quatenus pro reuerentia ipsius Dei, qui creauit coelum et terram, quique vos viuere facit, et regnare permittit, praefatum Archiepiscopum ad dictam suam Cambalien. Ecclesiam accedentem, et Fratres praefatos, cum ad vos et partes vestras peruenerint, iucundis recipiatis aspectibus, et humana benignitate tractetis, et a vestris subditis tractari mandetis, habentes ipsos Archiepiscopum et fratres fauorabiliter commendatos, plenamque libertatem concedentes eidem, vt in Imperiis et Regnis vestris praedictis hominibus, habitatoribus et incolis eorumdem praedictam Christianam fidem libere valeant praedicare, ac ipsos habitatores, et incolas ad eumdem Dominum* IESVM CHRISTVM, *fidemque*

*praefa-*

*praefatam conuertere, et etiam baptizare, ac de ipsius fidei regulis et articulis plenarie informare, vt vos ex hoc diuinam gratiam vberius mereamini, et in praefatis Imperii et Regnis vestris possitis gloriosius et felicius imperare. Datum vt supra.*

## N. LXXXXVI.

L. WADDINGVS *vbi supra.*

Vniuerso populo Tartarorum viam agnoscere veritatis.

*Altissimus rerum omnium prouidus ordinator, Dominus noster* IESVS CHRISTVS, *cuius Imperio Reges regnant, et Principes dominantur in terris, beato* PETRO *Sanctorum Apostolorum Principi coelicas claues tradens, vt ligaret et solueret dedit posse, vt quodcunque in orbe ligaret et solueret, ligatum et solutum remaneret in coelis. Huiusmodi siquidem pastoralis potestatis officio per eumdem, Dominum nostrum in sanctum* PETRVM, *aliosque Romanos Pontifices eidem beato* PETRO, *quamdiu mundus extiterit, canonice succedentes, circumspecta dispositione transfuso, eas super omnem terram suos Vicesgerentes, et successores huiusmodi constituit, apostolatus officium, et potestatis priuilegium successiuis temporibus possessuros. Videlicet nos, qui, quamquam insufficientibus meritis, memorato beato* PETRO *diuina permissione succedimus, et locum et vicem supremi Pastoris et Domini quarumlibet animarum obtinentes in terris, promtis desideriis, et vigilis prouidentiae studiis, prout debitum officii nostri pastoralis exposcit, intendimus et internis affectibus affectamus, oues, scilicet quamlibet creaturam humanam, extra sacrosanctae Romanae Ecclesiae gremium deuiantes, Christianaeque fidei nescias et ignaras, ac erroneas ab eadem, salubribus hortamentis inducere, et ne lacerentur et deuorentur lupinis a morsibus, illas ad caulam reducere saluificae mansionis, easque satagimus, et curamus paterno fauore adducere ad vnionem et reconciliationem Ecclesiae supradictae.*

*Sane cum iſta bona, Pneumatis almi gratia praeeunte, valeant cum eius irrigante clementia et copioſiore miſericordia effectualiter peruenire, ſi huiusmodi creaturis dictam fidem, ignorantibus et deuiis ab eadem, ſermo Catholicus praedicetur, ipſaeque praetactae fidei articulis et regulis, mellitis vocibus imbuantur, vt ex hoc Regum altiſſimo lucrifaciamus animas earumdem, ipſisque ſalutis aeternae praemium procuremus, nos operoſa ſollicitudine curauimus ad vos et partes veſtras perſonas religioſas, Spe, Fide, et Caritate praefulgidas, in ſacra pagina ſufficienter inſtructas et expertas, Deo gratas et nobis acceptas pro veſtrae ſalutis, quam feruenter optamus, impetrandis a Domino profectibus, deſtinare ad praedicandum et euangelizandum, itaque vobis ſermones et verba ſalutifera* IESV CHRISTI, *vosque ad ſupremae maieſtatis gratiam miſerantem, ſuamque fidem rectiſſimam ſuauiter conuertendos, et fouendos in illa, venerabilem Fratrem noſtrum* GVILLELMVM *Archiepiſcopum Cambalien. Ordinis Fratrum Minorum Profeſſorem, Deum diligentem et timentem in diuina et humana ſapientia et ſcientia illuſtratum, facundum, morigeratum, probatum, aliisque probitatis meritis multipliciter inſignitum et a nobis ex multis viris religioſis deuotis et virtuoſis electum, et de Fratrum noſtrorum dictae Romanae Eccesiae Cardinalium conſilio, ad Archiepiſcopatum Cambalien. promotum, cum honorabili comitiua Fratrum dicti Ordinis iamdiu in diuinis officiis expertorum, in ſacra Scriptura litteratorum, fidei zelo, aliisque virtutum muneribus praeditorum, ad vos, quos ipſe Deus Pater benignitatis, veritatis et luminis immenſa ſua bonitate plaſmauit, ac proprii ſanguinis effuſione redemit, et iugi ſuae ſapientiae prouiſione gubernat, ad partes transmittentes easdem, vt vobis, et ſibi ipſis proficiant ad ſalutem, vniuerſitatem veſtram ſinceris ſuaſionibus, et accenſis intrinſecae caritatis dulcedine plenis requirimus, monemus, rogamus, et propenſius exhortamur in Domino* IESV CHRISTO, *quatenus vos, quorum hucusque mentales oculi tetra caligine per perfidos ſpiritus tenebrarum et mortis, in idolatriis, ac inanibus ſuperſtitionibus fuerunt obducti, ſollicite veſtram memoriam excitantes,*

*et*

*et reducentes ad illam, quod Deus omnipotens protoplastum, ex quo omnes homines traxerunt originem suam, in enarrabili maiestate formauit, ac in terrestris paradisi deliciis collocanit, et quod inibi sibi boni et mali cognitio data fuit, et quod estis ad similitudinem Dei facti, quodque creatura non posset suo Creatori pro meritis respondere, excussis primitus a vestris cordibus vepribus, et vrticis damnabilis coecitatis explosis manibus, vestrae intelligentiae oculos eleuetis, et consideratione perspicua cogitetis, quod ipse vos de limo terrae creauit, et pascit assidue, ac viuitis per eumdem, et quod cum vult, cuiuslibet carnis figmenta dissoluit, quodque sacrae paginae testimonio comprobetur, quod omnis spiritus Deum laudat, omniaque animantia et inanimantia Dominum benedicunt, pro ipsius Creatoris reuerentia et honore, et vt sibi reddatis humanae gratitudinis holocaustum ob nostrae contemplationis intuitum, qui vos de viuo et vero coniungere cupimus, et etiam laboramus vestro statui et saluti prouide consulentes, eosdem Archiepiscopum et Fratres, quotiens eos ad vos declinare contigerit, recipere procuretis humiliter et benigne, cum honorificentia reuerenti, eosque sincerae caritatis officio pertractetis, et ad gremium vniuersalis Ecclesiae* CHRISTI *sponsae, quam sua pretiosissimo sanguine dedicauit; extra quam veri sacrificii non est locus, in humilis et verae contritionis spiritu redeuntes, eorumdem Archiepiscopi, atque Fratrum sermonibus, praedicationibus, et verbis salubribus vigilem praebeatis auditum, et intellectum aperiatis acutum ad hauriendum ex ore ipsorum verba salutis, et quae pro vestrae perfectione salutis docuerint, instruxerint, et praedicauerint, vestrae memoriali cellulae firmiter imprimatis, mentes vestras et corda, studiosa promtitudine disponentes ad suscipiendam sacri fontis gratiam baptismalem legemque* CHRISTI, *doctrinam Euangelicam et fidem Catholicam Domini nostri* IESV CHRISTI, *quam vti omnium fidelium Magistra, Ecclesia Romana tenet, et pruedicat, docet, profitetur, et credit. Etenim ipsa fides est, per quam innocens anima Christiana perpetua, postquam a lugubri et corruptibili humanitatis corpore fuerit dissoluta, coelorum agminibus aeternaliter aggregatur,*

*et cum fidem susceperitis, et vestris cordibus impresseritis eam firmiter et perpetuo tenacibus obseruantiis custodite, vt in die missionis extremae, id est, secundi aduentus dicti Domini nostri Saluatoris, qui tunc iudicaturus aduenient, prout ante venerat iudicandus, ante cuius tribunal tunc omnis homo surrecturus in propria carne stabit, vel aeternae vitae praemia, vel perpetuae mortis, prout gessit, supplicia, secundum merita vel demerita recepturus, positis vna cum aliis Catholicis Christianis de cetero tanquam fortia membra* CHRISTI *vnius ouilis effecti, et viuentes in fide praedicta virtuosa opera faciendo, aeternae beatitudinis, quam ipse Saluator obtinet ex natura, esse participes et consortes, eius praesentiam gloriosam, laetissimam quidem bonis, et terribilem malis et impiis facie tenus inspecturi. Propulsis igitur superstitiosis erroribus vniuersis, quibus vos Satan instructu fraudulento seducit, vt ab eius sitis nexibus funditus liberi, et mereamini post vitae praesentis excursum coelica palatia introire, digna laudum praeconia repetitis vocibus Altissimo deuotae mentis affectu, cum gratiarum actionibus resonantes, qui ad vos Archiepiscopum et Fratres praedictos dignatus est, per suam misericordiam destinare, cuius gloria coeli et terra sunt pleni, quique manum aperit, et implet omne animal benedictione, et cunctis in hac valle lacrymarum ambulantibus, et dictae fidei* IESV CHRISTI *coniunctis, abundantiam in bonis temporalibus gratiosa copiositate largitur. Nos insuper omnipotentiam Maiestatis Altissimi essentialiter in coelis, et potentialiter in terris vtique permanentis, regnantis, et principantis cunctipotenter et aeternaliter in vtrisque, assiduis deuotis affectibus exoramus, vt corda et intelligentias vestras illustret ad suscipiendam gratiam, baptismatis supradicti, ipsamque* CHRISTI *legem, et ad eam credendam firmiter ac perpetim adimplendam, quia sine illis nullus omnino saluatur, et per illas eritis salui, et efficiemini gloriae sempiternae per gratiam, intercedentibus meritis, cohaeredes. Quod vt nobis concedat retributor Altissimus cum Patre, sanctoque Spiritu sine principio, et sine fine vivens, et regnans apud diuinam Maiestatem, hactenus instantiis deuotae flagitationis insistimus, et super*

*hoc pro praedicto studio, ipso Deo auctore, insistere proponimus in futurum. Datum Romae apud sanctum* PETRVM *VII. Kal. April. anno VIII.*

## N. LXXXXVII.

### Ex L. WADDINGO *vbi supra p.* 222.

Venerabili fratri GVILLELMO Archiepisco Cambalien.

*Zelus tuae deuotionis ingentis, quem habes ad propagationem Catholicae fidei, ac circumspectionis industria, et scientiae donum, aliaque merita probitatis, quibus personam tuam fide dignorum testimonio insignitam audiuimus, merito nos inducunt, vt te in agendis dictae fidei honoremus, et etiam fiducialiter oneremus. Cum itaque te ac nonnullos Fratres, Ordinis Fratrum Minorum Professores, cuius professor existis, ad terras Sarracenorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Schytarum, Ruthenorum, Iacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mochitarum, aliarumque non credentium nationum Orientis et Aquilonis, intendamus de proximo destinare; te caput, Ducem, et gubernatorem eorumdem, et aliorum quorumcunque Fratrum dicti Ordinis existentium in dictis partibus, et profecturorum ad eas, vsque ad beneplacitum Apostolicae Sedis, tenore praesentium, auctoritate Apostolica, constituimus, ac etiam deputamus, tibi regendi et gubernandi eosdem Fratres, ac cum consilio ex eis maturiorum, de quibus tibi videbitur ad Prouincias, et partes infidelium ad dictam fidem praedicandum mittendi, eosque reuocandi, et secundum regulam beati* FRANCISCI, *et etiam per censuram Ecclesiasticam, et alia opportuna remedia puniendi et compescendi, ipsosque ab omnibus transgressionibus regulae, ac constitutionum Ordinis, sicut potest generalis Minister absoluere, absoluendi, et super irregularitatibus inde contractis etiam dispensandi; nec non Vicarium generalem eiusdem Ministri in Vicaria Cathai,*

*Cathai, si forsan in ea huiusmodi generalis Vicarius non esset, qui illam habeat potestatem, quam per praedictum Ministrum concedi huiusmodi generalibus Vicariis consueuit, constituendi, quoties us fuerit opportunum, tribuentes plenam facultatem. Per hoc autem priuilegiis dicti Ordinis, aut auctoritati, et officiis quorumque Vicariorum, et Praelatorum eiusdem Ordinis, in eisdem partibus constitutorum in posterum in aliis, quam in praemissis, non intendimus derogare. Insuper omnibus priuilegiis et gratiis per praedictam sedem concessis Fratribus praelibatis, quamdiu Ecclesiae Cambalien. praedictae praefueris, volumus te gaudere, sicut iidem Fratres gaudere possunt, seu poterunt in futurum. Teque tam pro tua persona, quam tuis sociis, et opportunis familiaribus participare volumus eleemosynas, et dona Fratribus ipsis iam erogata, et imposterum eroganda, donec de prouentibus Ecclesiae tuae Cambalien. viuere poteris condecenter, declarantes ex abundanti, quod huiusmodi facultas per nos tibi concessa ad tuos successores Archiepiscopos Cambalien. nullatenus extendatur. Datum Romae apud sanctum* PETRVM, *VII. Kal. April. anno VIII.*

## N. LXXXXVIII.

**Ex *eodem l. c.***

Eidem.

*Cum te, et nonnullos Fratres Ordinis Fratrum Minorum, cuius Professor existis, ad partes Tartariae ad praedicandum fidem Catholicam destinemus, Nos cupientes, quod huiusmodi negotium felicius prosperetur, ac de tua fraternitate confisi, tibi per te vel alium, seu alios assumendi, et ad dictas partes ducendi duodecim fratres dicti Ordinis, quos duxeris eligendos, cuiuscumque eorum Praelati licentia non obtenta, non obstantibus Regula, et quibuscunque statutis dicti Ordinis contrariis, plenam licentiam, et facultatem, tenore praesentium, indulgemus. Datum vt supra II. Kalend. Aprilis, anno VIII.*

## N. LXXXXVIIII.

N. LXXXXVIIII.

## Ex WADDINGO *T. VII. p.* 238. *s.*

Dilecto filio FRANCISCO de PODIO Vicario Tartariae Aquilonaris, Ordinis Fratrum Minorum.

*Probatae tuae deuotionis zelus, quem habes ad fidem Catholicam, quam vt testimonio fide digno percepimus, in Orientis, et Aquilonis partibus, ad conuersionem schismaticorum et infidelium, assistente tibi diuina gratia, fructuose hactenus praedicasti, et praedicare proponis, non indigne meretur, vt votis tuis, iis praesertim, quae argumentationem fidei praefatae respiciunt, liberaliter annuamus. Cum itaque tu in nostra praesentia constitutus, nobis exposueris, quod in dictis partibus messis est multa, operii vero pauci, et propterea supplicaueris, quod tibi ducendi, et mittendi ad partes easdem aliquos Fratres Ordinis Fratrum Minorum, cuius professor existis, ad praedicandum verbum Dei eisdem schismaticis et infidelibus, et conuersos iam addictam fidem eiusdem verbi pabulo nutriendum, licentiam concedere: dignaremur. Nos tuis supplicationibus inclinati, discretioni tuae, de qua gerimus fiduciam pleniorem, duodecim Fratres Ordinis praefati, vita et moribus commendabiles, de quibuscumque rationibus, de quibus tibi videbitur, quique sponte ad easdem partes voluerint proficisci absque licentia obtenta, vel petita suorum superiorum vel Praelatorum, semel tantum recipiendi, eosque ad dictas, et alias infidelium partes, de quibus tibi videbitur, moraturos in eis ad Dei et fidei praefatae seruitium, ducendi et mittendi, non obstantibus Regula, et Constitutionibus eiusdem Ordinis, etiamsi sint auctoritate Apostolica confirmatae, nec non priuilegiis eidem Ordini concessis, et aliis quibuscumque contrariis, plenam concedimus, tenore presentium facultatem. Datum Auenione III. Kalendas Ianuarii anno I.*

N. C.

## Ex L. WADDINGO *T. VIIII. p.* 106.

Dilectis filiis ROGERO de ANGLIA et AMBROSIO de SENIS Ordinis Fratrum Minorum professoribus salutem cet.

*Probata deuotionis sinceritas, quam ad augmentum Catholicae fidei dilecti filii Vicarius, et alii Fratres vestri Ordinis ad imperii Tartarorum, et aliorum infidelium, et schismaticorum Aquilonarium partes, ad praedicandum eisdem infidelibus, et schismaticis pro concursione ipsorum ad fidem Catholicam, verbum Dei, per sedem Apostolicam destinati, ac vos eorum*

*eorum Collegae in hac parte gerere comprobamini, merito nos inducunt, vt votis eorum, ac vestris fauorabiliter annuamus. Exhibitas siquidem nobis dictorum Vicarii, et Fratrum, ac vestra petitio continebat, quod licet ipsi Vicarius et Fratres ac vos praedicandi verbum huiusmodi eisdem infidelium et schismaticis magnum fructum conuersionis praedictae in illis partibus Dei gratia ferunt operari; tamen decendentibus quampluribus ex eisdem Fratribus, pauci remanserunt ibidem, qui possint manutenere reductos in fide praedicta, et alias continuare fructum conuersionis huiusmodi, vt fecerunt, quodque nonnulli ex conuersis eisdem, praesertim in montibus Caspiis partium earumdem, vbi decem millia, et vltra reductorum huiusmodi esse noscuntur, exceptis aliis dictorum imperii, et partium, in quibus etiam sunt copiosae multitudines reductorum ad fidem praedictam, qui propter carentiam Fratrum huiusmodi in priores errores relaberentur, scilicet si non provideretur super hoc per sedem dictam de remedio opportune, pro parte dictorum Vicarii, et Fratrum ac vestra fuit nobis humiliter supplicatum, vt vobis assumendi viginti quatuor Fratres dicti Ordinis ad hoc, vita et scientia idoneos, et alias aptos ad praedicationem et conuersionem praedictas, partium quarumcunque, ad hoc voluntarios, et eos ducendi vobiscum ad infidelium partes praedictas, ad praedicandum verbum Dei eisdem schismaticis et infidelibus, et conuersos eiusdem verbi pabulo nutriendi licentiam concedere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni vestrae, de qua gerimus in Domino fiduciam specialem, viginti quatuor Fratres Ordinis praedicti, vita et moribus commendabiles, de quo dilecti filii Ministri Prouinciales, et Custodes, aut Guardiani ipsorum testimonium perhibeant veritati, de quibuscunque notionibus, de quibus vobis videbitur, quique sponte ad easdem partes voluerint proficisci, absque petita suorum Praelatorum licentia, vel obtenta, semel tantum recipiendi, eosque ad dictas, et alias partes infidelium, de quibus etiam vobis videbitur, moraturos in eis ad Dei, et fidei praefatae seruitium; ita tamen, quod tam vos, quam assumendi et ducendi per vos alii fratres huiusmodi sub obedientia Generalis Ministri, et aliorum Praelatorum eiusdem Ordinis, qui nunc sunt, et pro tempore fuerint, sicut caeteri Fratres eiusdem Ordinis, nihilo minus persistant, plenam, et liberam concedimus, auctoritate Apostolica, tenore praesentium facultatem. Et insuper, ne quis cuiuscumque dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existat, vos in praemissis impedire praesumat, sub excommunicationis poena, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, districtius inhibemus: nihilo minus eisdem Fratribus concedentes, quod omnibus facultatibus, priuilegiis, et gratiis Fratribus dicti ordinis proficiscentibus ad quascumque partes Haereticorum, schismaticorum, et aliorum infidelium quorumcumque, et commorantium in eisdem per Apostolicam Sedem concessis, quamdiu in eisdem partibus fuerint, gaudere plenarie valeant. Non obstantibus Constitutionibus, si sint auctoritate Apostolica confirmatae, nec non priuilegiis eidem Ordini concessis, et aliis in contrarium editis quibuscumque. Datum Perusii VI, Idus Nouembris anno III.*

)o(

# INDEX.

## A.

Abaka patri Halako succedit, 64. Christianis fauet, ibid. oratorem ad Pontificem mittit, ib. eius religio, 65. bella cum saracenis, 66. oratores ad Concilium Lugdunense mittit, ibid. alios legatos in Europam mittit, 67. moritur, 70
Abusaid Chodabeudae succedit, 103. diem suum obit, 113
Abuscanus conuertitur, 107
Achaeus Archiep. Seleuciensis, 8
Achmet Tartarorum Chanus, v. Tangodor.
Aegidius Romanus catechismum Tartaricum componit, 99
Aghaeus in Hyrcania praedicat, 7
Alanza Chan. 2
Albericus Pontificis legatus ad Tartaros, 44. f.
Albertus Vsbeki ad Pontificem legatus, 116
Alexander Pontificis ad Tartaros legatus, 44
Ali soldanus Christianos ex Armalech eiicit, 117
Ambrosius a Franciscanis ad Pontificem missus, 131
Amir Zupani Abusaidi tutor, 103
Andreas Apostolus in Scythia praedicat, 7
- - - Imperatoris Chiuens. ad Pontificem legatus, 114
- - - de florentia ad Tartaros missus, 68
- - - de Longiumello ad Tartaros proficiscitur, 45. ad Ludouicum S. in Cyprum venit, 51. ab eo iterum ad Tartaros mittitur, 52
- - - de Perusio Pontificis legatus, 97
Andrutius de Assisio Pontificis legatus, 97
Anichohamini Tartarorum regina conuersa, 79
Anselinus, v. Ascelinus
Antonius de Parma ad Tartaros missus, 68
Argonus Tangodori succedit, 73. Christianis fauet, 74 Legatos Romam mittit, ib. alios ad Pontificem mittit, 75. moritur, 80
Armalech vrbs Tartariae, 116. Christiani in ea opprimuntur, 117
Arpa, 113
Ascelinus ad Tartaros mittitur, 44. f.
Assassini ab Halaku internecione delentur, 63
Aunak-Chanus presb. Iohannes vltimus, 27

## B.

Baichu Christianos in China trucidat, 12
Baidar princeps Tart. 42
Baidus Kazeito succedit, 82. a Gasano interimitur, 83
Baiazethes a Timur - beco capitur, 124
Baiothnoi dux Tartarorum, 46
Balaba de Ianua Christianorum amicus, 76
Barsuma Iugurita, episcopus Chinensis, 70 legatus Argoni, 75
Bartholomaeus Abaliati in Tartariam mittitur, 106
- - - - de Podio in Tartariam mittitur, 106
Batus princeps Tart. 41. foedus cum Hungaris adpetit, 58
Bela Rex Hungariae, 42. foedus cum Tartaris respuit, 58
Benedictus legatus Pontificis ad Tartaros, 45

Bernardinus de Placentia in Tartariam mittitur, 106
Bernardus Guille Pontificis ad Tartaros legatus, 87
. . . Moreti in Tartariam abit, 106
Bina Catona vxor Abakae Christiana, 64
Bogagoc legatus Argoni, 74
Bonzii, 146
Boyssethanus Armeniae suppetias fert. 110
Budda, 145

C.

Carasmon principis Chansi purpuratus, 115
Carbaganda conuersus, 79
Cassanus Argoni filius, 79
Caticen Tungii princeps Alenorum conuersus, 114
Cayton vrbs Chinensis, 99
Chaganis Argoni legatus, 79
Chan, 2
Cansi Tartarorum Imperator, 115
Chataia, 2
China, an S. Thomas ibi fuerit, 5. eius metropolita, 8. 15. Christiani in ea Saec. III, 7. Saec. VII, 9. Saec. VIII, 8. 14. Saec. IX, 12. Saec. X, 13. Saec. XIII, 13. Saec. XIV, 94. Saec. XVII, 13. 120. Christiani ex ea pulsi, 119. nius Imperator legatum ad Pontificem mittit, 113
Chodabenda Gasano succedit, 90. baptisatur, ib. a religione deficit, ib. Christianos vexat, 91. legatum Romam mittit, 103. moritur, ib.
Coplaius a Mengu Chano in Chataiam mittitur, 56. ei in regno succedit, 59. Halakum Tartariae occident. praeficit, ib. eius mors, opes, religio, 88
Chyiscan Vsbeki filius, 115
Petrus Couillanius presbyterum Iohannem quaerit, 17

D.

Dailamitae conuersi, 14. eorum metropolis, 15
Dalai Lamae domicilium, 134. immortalitas, 135. an Presbyter Iohannes, 138. negatur, 143. vera eius origo, 145
Damordas Armenos opprimit, 109
Dathenicatum Tartarorum regina conuersa, 79
Dauides Erchalthaii ad S. Ludouicum legatus, 51
. . . Sinarum metropolita, 15
Denha Nestorianorum patriarcha, 65. 69
Dominicus Hungarus a Tartaris excoriatur, 113
Dokuz-Chatona vxor Halaki Christiana, 61
Duidari aedes, 57. 65
Dzanibech v. Ianibech.

E.

Elegages Tartarorum Regina conuersa, 75
Elias Vsbeki ad Pontificem legatus, 116. ad Vsbekum redit. ib. Aenionem reuertitur, 118. ad Ianibechum a Pontifice mittitur, 119
Erchalthay ad S. Ludouicum legatum mittit, 51
Erockaton Tartarorum Regina Christiana, 79

F.

Foe Chinensium, 145
Franciscus de Alexandria presbyter Armalech, 117
. . . e Camerino episcopus Vosprensis, 113
. . . de Podio in Tartariam mittitur, 121
Francus perusinus episcopus Soltaniensis, 106
Futim Iuens princeps Alanorum conuersus, 114

G.

## G.

Gabulensis episcopus legatus Armeniorum ad Pontificem, 26
Gaiatheddin Mohammed. v. Coplaius.
Gesanus Baido succedit, 83. Christianos vexat, ib. iis fauet, 85. conuertitur prodigio, 86. exstinguitur, 90
Gelae conuersi, 14
Gemboga Duenzi Princeps Alanorum conuertitur, 114
Georgius Cusi Christianos amat, 76
- - - Rex Keritensium conuertitur, 94
Gerhardus Caluensis in Tartariam mittitur, 106
- - - legatus Pontificis, 97
- - - de Prato ad Tartaros missus, 68
Ginghizcan v. Zingis-Chanus.
Girardus Casmuri Christianorum amicus, 76
- - - de Caturco Christianorum fautor, 76
Gregorius de Hungaria Pontificis legatus, 115
Guiboga Tartaius Sidonem expugnat, 60. a Soldano Aegyptio in praelio occiditur, 63
Guillelmus Adae ex Tartaria redit, 105. in eam remittitur, 106
- - - Anglus comburitur, 113
- - - Bernardi Pontificis ad Tartaros legatus, 87
- - - de Cherio Pontificis ad eosdem legatus, 79
- - - Pratensis archiepiscopus Cambaliensis, 120
- - - Rubruquis a S. Ludouico ad Tartaros mittitur, 55
- - - Tripolitanus Pontificis ad Caplaium legatus, 89
Guiscardus ad Tartaros abit, 45

## H.

Halaku a Mangu-Chano exercitui praeficitur, 56. Turcos vincit, ibid. Bagdadum expugnat, 57. Nestorianis fauet, ib. omnibus Christianis, 61. nuntium ad Pontificem mittit. 62. Assessinos delet, 63. exspirat, 64
Hasanus, 113
Henricus Silesiae a Tartaris in praelio perimitur, 42
Hieronymus Pontificis ad Tartaros legatus, 98. episcopus Caffensis designatur, 106. ex vrbe eiicitur, 107. ad Pontificem venit, ibid. in Tartariam redit, ib.
Hor chang idolorum sacerdotes, 146
Hugo Gantelini Christianorum amicus, 76
Hungaria a Tartaris vestatur, 41. noua irruptione a Tartaris terretur, 58
S. Hyacinthus, 66

## I.

Iaballaha Apostolus Tartarorum, 15
- - - Iugurita fit patriarcha Nestorianorum, 70. pontifisci se subiicit, 92
Iacobitarum patriarcha Pontificis Romani primatum adgnoscit, 50. eorum Maphrianus ab Abaka confirmatur, 65. a Tangodore, 71
Iacobus ex Tartaria venit, 108
Ianibech Vsbeco succedit, 118. Christianos vexat, ib.
Ianisena flumen, 1
Iassa leges Zingis-Chani, 38
Iasuusin-Beghi vxor Zingis-Chani, 34
Iessugi. Bayadus. Chan pater Zingis-Chani, 30
Ignatius Maphrianus Iacobitarum ab Abaka confirmatur, 65
India, an S. Thomas in ea praedicauerit, 6
Iohanan principis Chansi purpuratus, 115
Iohanna Regina Neap. principem Tartaram conuertit, 131

Iohannes Aethiops Christianus in Armalech, 117
. . . de S. Agatha ad Tartaros missus, 68
. . . Baptista Imolensis Presbyteri Iohannis legatus, 132
. . . de Barlara Christianorum amicus, 76
. . . de Bonacha Christianorum amicu, 76
. . . de Bonestra Christianus, 79
. . . de Casaria eorumdem fautor, 76
. . . de Florentia Pontificis legatus, 115. Auenionem redit, ib.
. . . Hungarus Halaki ad Pontificem nuncius, 62
. . . Iuckoy Princeps Alanorum conuertitur, 114
. . . de Monte Coruino, 71. s. in Chataia veritatem propagat, 94. noui foederis libros in linguam Tartaricam conuertit, 95. episcopus Cambaliensis constituitur, 97. de vita decedit, 111
. . . de Plano Carpini legatus Pontificis ad Tartaros 45. eius iter et gesta, 48
. . . Presbyter v. Presbyter.
Isse legatus Argoni, 74
Isocrates princeps Tiflitanus ad sacrorum mutationem a Timurbeco cogitur, 130
Isolus Pisanus Christianorum amicus, 77
Iuguritae, 39

K.

Kaiukus, 41. Vgadaio succedit, 49. eius religio, 50. mors, ibid.
Kardagus Tartarorum Apostolus, 15
Kazeitu Argono succedit, 81. trucidatur, 82
Keritenses, Tartari presbytero Iohanni subiecti, 22. 23
Kitay v. Chataia.
Kutuchra Pontifex Maximus Mongallorum, 136

L.

Lamae Tartarorum sacerdotes, 134. num olim Christiani fuerint, 137. negatur, 141
Lapis niger Meccanus, 40
Laurentius de Alexandria, Christianus in Armalech, 117
L. . . Pontificis legatus ad Tartaros, 45. 48
Legatio Pontificis ad Tartaros prima, 43. Dominicanorum, 45. Franciscanorum, 48. Egchalthaii ad S. Ludouicum, 51. Ludouici ad eum, 51. 55. Abakae ad Pontificem, 64. alia Abakae ad Concilium Lugdunense, 66. alia eiusdem, 67. Pontificis ad Abakam et Coplaium, 78. Argoni ad Pontificem, 74. altera eiusdem, 75. tertia. 79 Pontificis ad eum, 79. Pontificis ad Tartaros 87. alia ad Coplaium, 89. Pontificis ad Iohannem de Monte Coruino, 96. Chodabendae ad Pontificem, 103 Ekhichadaii ad Pontificem, 110. Imperatoris Chinens. ad Pontif. 113. Pontificis ad eum, 115. Vsbeki ad Pontificem, 116. Pontificis in Chataiam, 120. eiusdem in Tartariam aquilonarem, 121. Franciscanorum ad Pontificem, 131. presb. Iohannis ad Romanos, 132. Pontificis ad Dalai Lamam, 147
S. Ludouicus legatum accipit a Tartaris, 51. ipse legatum in Tartariam mittit, 52 Guillelmum Rubruquis in Tartariam ablegat, 55

M.

Machicha Nestorianorum patriarcha, 57
Magia Tartaris victoriam adfert, 43
Mangu Chan Kaiuko succedit, 53. conuertitur, 54. moritur, 59
Matthaeus de Aretio ad Tartaros missus, 68
. . . legatus Pontificis ad Tartaros. 79

Mengilie legatus Argoni, 74
Millenus rex Alanorum conuertitur, 112
Miraculum conuersionem presb. Iohannis efficit, 23. lapidis in Samarkanda, 40. eo multi Tartari conversi, 52 Sartachus, 56. Gasanus, 86
Missiones v. Legationes.
De Monte Coruino, v. Iohannes.
Monumentum Syro-Sinicum, 9. f.
Mungl, 2
Mussayd ad religionem Christianam inclinat, 108. quis? 109
Musa, 113

N.

Nasarath princeps Keritensium, 25
Nestoriani Christianam religionem propagant, 12.13. 23. 40. 69. eorum Patriarcha Pontifici Romano se subiicit, 50 92. eis fauet Halaka, 57. Iohanni de Monte Coruino resistunt, 93
Neuruzus dux copiarum Christianos vexat, 84. trucidatur, ib.
Nicolaus archiepiscopus Cambal. 111
... de Bantra Pontificis legatus, 97
... Bonetus Pontificis legatus, 115
... legatus Pontificis ad Tartaros, 89
... de Molano Pontificis legatus, 115

O.

Odoricus de Portu Naonis ad Tartaros proficiscitur, 100
Olopuem Nestorianus euangelium in China adnunciat, 10

P.

Paschalis Presbyter Armalechensis, 117
Peregrinus Pontificis legatus, 97
Petrus I. Russorum Imp. in Tartariae Geographiam inquirit, 4
... de Castello Pontificis legatus, 97
... de Florentia Pontificis legatus, 98
... Franciscanus ex Florentia venit, 108
... de Lorto Vsbeki ad Pontif. legatus, 116
... Martelli Christianus in Armalech, 117
... de Molina Christianorum amicus, 76
Philippus Pontificis ad presbyterum Iohennem legatus, 28
Pisuca pater Zingis-Chani, 30
de Plano Carpini, v. Iohannes.
Presbyter Iohannis, qui? 16. f. non in Aethiopia, 21. sed in Asia regnauit, 18. origo nominis, 21. primus, 23. alter, 24. tertius, 25. quartus et vltimus, 27. debellatur a Zingis-Chano, 32. eius filius, 33. polygamia, ib. filia, 34. posteri, 34. 94. 101. an Dolai Lama, 138

R.

Rabbanta monachus Nestor. 34
Raiae et Tabrestanae metropolis, 15
Raymundus Ruffi, presb. Armalechensis, 117

S.

Saadeddulat, Iudaeus intimus Argoni amicus, 81
Sabadinus Archaon legatus Argoni, 75. conuertitur, 77
Salibazacha Nestorianorum Catholicus, 8
Sammanaei, 145
Sanctius de Bolea Pontificis ad Tartaros legatus, 87
Sancum Vnch-Chani filius, 33
Sarkutana Beghi, mater Halaki Christiana, 61
Saron Argoni filius, 79
Sartachus princeps Tart. conuertitur, 54. 56. nuntium ad episcopum Rom. mittit, ib.
Schammanes magi Tart. 133
Silas Nestorianorum patriarcha 8
Simeon Bar Kalig, 69
Simon de S. Quintino legatus ad Tart. 44
Siurchochtny - Begigeham mater Mangu Chani Christiana, 54

Soltania archiepiscapatus Persiae, 106
Sommano Codom, 145
Stephanus Hungarus a Tartaris trucidatur, 113
Subchaliesus Nestor. euangelium Tartaris adnunciat, 14
Suffridinus Christianus, 79

T.

Tagharzar, 80
Tai çu Tartaros ad China pellit, 119
Talapoini, 146
Tamerlanes, v. Timur-bec.
Tamucin nomen Zingis-Chani, 30
Tangodor Fratri Abakae succedit, 70. Christianis fauet, 71. ad Mahometis castra transit, ib. Christianos vexat, 72. ab Argono in proelio occiditur, 73
Tartari, eorum, nomen, 1. diuisio, 3. fines, 4. mores, ib. litterae, 39. cultum idolorum accipiunt, 38. Hungariam, Poloniam, Russiam vastant, 41. Hungariae imminent, 58 in Poloniam et Russiam irruunt, 64. ex China eiiciuntur, 119, eorum hodierna religio, 153
Tartar, 2
Taulai fil. Zingis-Chani, 39
S. Thomas an in China et India euangelium adnunciauerit? 5
Thomas Banchrui legatus Argoni, 74. 75
- - - Indiae metropolita, 15
- - - Ilduci Chodabendae legatus, 103
- - - Mancasola Elchichadaii ad Pontificem legatus, 110
- - - Pontificis ad Tartaros legatus, 98
Thimotheus patr. Nestor. Tartaros, Gelas, Dailamitas conuerti curat, 13
Timur succedit Coplaio, 9
Timur-bec, 121. eius religio, 123. res gestae, 124. mors, ib. 126 animus, ib. religio, 125. 129. Christianam religionem in Tartaria delet, 130
Tschu, v. Tai çu,
Togrull presb. Iohannes vltimus, 27
Tuctanes Tartarorum Regina conuersa, 75
Turcae uomen Tartarorum, 2
Turk Iaphetis filius, 2

V.

Vesacus Rex Zichorum conuertitur, 112
Vgadai Zingis-Chani fil. 38. exercitum in Europam mittit, 41. regnum Turquiae occupat, 43. moritur, 49
Vgetus legatus Argoni, 74. 75
Vnch-Chanus presb. Iohannes vltimus, 27
Vsbekus ad Mahumedis castra transit, 104 Christianos vexat, 105. Legatos ad Pontificem mittit, 116 Christianis fauet, ib. animam efflat, 118

X.

Xaka, 145
Xanctus Christianus, 79
Xekiao f. crucis secta in China, 9

Z.

Zagatai filius Zingis-Chani, 39. conuertitur, 40
Zingis-Chanus, 29 eius origo, 30. amores, ib. bellum cum Vnch-Chano, 31. nomen, 36. gesta, ib. an magnus princeps, ib. mors, ib. animus, ib. religio, 38. filii, 39
Zopau Begdar ad Christianam religionem inclinat, 108. quis? 109
Zuzi fil. Zingis-Chani, 39

) o (